



6
5
G
8

CATALOGVS TESTIVM VERITATIS LOCVPLETISSIMVS, OMNIVM ORTHODOXÆ MATRIS ECCLESIÆ DOctorum, extantium & non extantium, publicatorum & in Bibliothecis latentium, qui adulterina Ecclesiæ dogmata, impuram, impudentem & impiam hæresum vaniloquentiam, in hunc vsque diem firmissimis demonstrationum rationibus impugnarunt, variaq́ scriptorum monumenta reliquerunt, seriem complectens.

GVILIELMO EYSENGREIN DE NEMETO SPIRENSI AVTHORE.

Cum Gratia & Priuilegio Cæs. Maiest.



DILINGÆ
EXCVDEBAT SEBALDVS
MAYER.

Anno Dñi M. D. LXV.




GVILIELMVS EYSENGREIN DE NEMETO SPIrensis Lectori S.

HVNC laborem, in tuum commodum assumptum, candide Lector, grato animo suscipe, atq; studia tua in Orthodoxæ matris Ecclesiæ vtilitatem conuerte. Continentur in hoc opusculo, non modò pleriq; de varijs Theosophiæ Scriptoribus editi Catalogi, sed insuper infinita volumina, tam recentis memoriæ eruditorum, quàm veterum authorum, qui vbiq; locorum inuicti athletæ stadio CHRISTI insistentes, pro fide nostra decertarunt, quantum nos vel studijs, vel peregrinationibus assequi potuimus. Hoc vnicum tamen rogamus & obtestamur, cùm Sacrosanctæ Oecumenicæ Tridentinæ Synodi Patres, iam per aliquot annos ex omnibus ferè nationibus delecti, vt, quoad eius fieri posset, doctorum hominum commodis & studijs, salua veritate ac religione, prospiceretur: multum diuq; deliberando, quæuis scripturarum monumenta, labe aliqua cuiusuis hæresis respersa, vix satis iudicare potuerint, ne, si qui fœdè inter hos nostros commemoratos lapsi essent, propter doctrinam, quam continent non sanam, aut suspectam, aut quæ offensionem etiam in moribus tantùm fidelibus afferre potest, puta Tertullianum, Origenem, & alios, non inquam hæresim, non errores eorum nos defendere voluisse credas, imò potius constitueramus nihil vnquã omittere, quod ad subleuandos pios Lectores, & sacrarum literarum studiosos pertineret.

REVERENDISSIMO

ATQVE AMPLISSIMO IN CHRISTO PRINCIPI AC DOMINO, D. DANIELI, SACRAE Moguntinæ Sedis Archipræsuli, Sacri Romani Imperij per Germaniam Archicancellario, & Principi electori &c. Domino atque Principi suo clementissimo.





QVONIAM, reuerendissime Princeps, Domine clementissime, vt præclarè Plato Princeps ille Philosophorum disserit, nō nobis solùm nati sumus, ortusq; nostri partem patria vendicat, partem parentes, partem amici, prorsus maiores quidem siue præstantiores res nullas, quibus orbis terrarum vniuersus regitur & sustentatur, quam Religionem & Reipub. administrationem esse cognosco. Cum itaq; Catalogus testium veritatis, quem vocat, qui ante nostram ætatem Pontifici Romano eiusq; erroribus reclamarunt, authore Mathia Flaccio Illyrico in lucem prodierit, qui passim apud doctos pariter atq; indoctos, & proh dolor inter manus omnium, vel ipsius vulgi versatur, nec ego oscitanter ipsum euoluerim, intellexi à veritatis scopo Illyricum penitus deflectere & euagari, & inter scribendum non solùm priuatis affectibus seu simultate quadam laborasse, quin etiam imponere & calumniari. In votis itaq; erat, cupiens Reipub. Christianæ prodesse & gratificari, per præsentem hunc nostrum ingenij fœtum respondere, vix autem ad scribendum ani-



mum & calamum accommodaueram, en tot mendacia integri Collegij, Historię Ecclesiasticæ Illyricanę prodeunt, vt visum demum fuerit, quàm primùm, si mea hæc rhapsodia stilo & oratione humiliora, in commodum & vtilitatem multorum, magna celeritate raptim & ex tempore collecta, typis proponantur, horas, quibus à lectionibus feriarer, totas ad Historiam Ecclesiasticam, religionis scilicet conuertere, cum post illam sacram, nullam æquè necessariam iudico, hisce præsertim infelicissimis temporibus, quibus fœdissimis sectis dissectis perturbata sunt omnia. Per hanc namq; in auita quam profitemur, eaq; verè Catholica doctrina cōfirmamur, vt neq; aliò deflectere velimus, neque Sathanæ aut ministrorum ipsius illecebris nos à suscepta religione patiamur abduci, sed perpetua recordatione CHRISTI promissum pectore gestantes, eidemq; confidentes, quo vsq; ad consummationem seculi nobiscum sese futurum esse pollicitus est, in e[illegible] nos CHRISTO genuit, Ecclesia DEI, constanter permanemus. Ab h[illegible]equam ipse discessero, vt cum diuino loquar Ignatio, ignes, cruces, bestiarum cohortes, dissipationes ossium, membrorum concisiones, totius corporis commolitiones, & diaboli tormenta & supplicia in me progrediantur, vt modò ad IESVM CHRISTVM perueniam. Quot sanctissimorum Martyrum agones? quot præclarissimorum & doctissimorum hominum gesta & monumenta, à quibus sacrorum ritus, sacras cæremonias, rationemq; colendi verum DEVM accepimus, omnia instituta Ecclesiastica, quibus nunc vtitur Occidens & sancta Romana Ecclesia, manarunt, vel amisere, vel priuato indulgentes ingenio turpissimè dissimularūt? Hi nihil aut parum memoria dignum reliquerunt, & si quid

si quid hominum commendatione excellens ac singulare perscripserunt, id temere, præpostere & inepte, temporumque ordine aut corrupto aut immutato ab illis refertur: fabulas quoque mendaciorum plenas rebus veris immiscere non veriti, effecerunt, vt multi vel in varios errores inducti, ea credant, quæ nulla ratione vnquam esse possunt, vel neque veris postea neque falsis fidem adhibeant. Spargunt noua dogmata, imo horrendas vomunt blasphemias, ferro & flammis vindicandas. O mentem cæcam. O perditissimos homines, ac omnino dignos, qui ab hominum conuentu, cuius concordiam & tranquillitatem oderunt excludantur, quia priscorum moribus tam impudenter, tam infœliciter ac misere degenerant tandem. O ceruices plus satis duras. Quo tandem deuenit Europa hæc nostra? qualis qualis inquam est huius ætatis conditio? quæ forma? quis color? Neque Ecclesiæ Christianæ tranquillitas, si qua meæ sententiæ fides, grauiores periculosioresque ruinas passa est, quam hoc nostro exulceratissimo sęculo, hoc Religionis & Rerumpub. statu miserrimo, quam inquam, dum præsentissima dogmatum venena, per venas in omne corpus longe lateque diffuderunt, hi hypocritici Apostatæ, Lutheranæ hæreseos asseclæ, hæ blandissimæ sed pestilentissimæ quidem Syrenes. Vbi enim non latrant hi canes? Vbi non sæuiunt turbines, rugiunt Leones, reptitant Scorpiones, qui videri nonnullis locis volunt quasi iustitiæ DEI executores, lucisque filij? O truculentos & sæuos hæreticorum dentes, qui libidini, qui Veneri, qui auaritiæ, qui simoniæ, alijsque damnandissimis scelerum monstris sese dedunt, cruci CHRISTI mentientes. Decreui proinde, Ecclesiasticam Historiam conscribere, non vt noui quid addu-

cerem, huius enim ex Eusebio Cæsariensi, Rufino Aquileiensi, Euagrio, Nicephoro, Nauclero, Pontano & alijs, plenissimam cognitionem habemus, sed eô potissimum, vt improborum istorum blasphemias & deliria, sanctorum Patrum scriptis deuincerem, atque simul ostenderem, apud CHRISTI fideles eadem semper fidei dogmata, easdem traditiones, à sua primæua origine vsque in hanc diem viguisse. DEVM semper Ecclesiam suam contra innumerabiles hæreticorum nouas adinuentiones sollicitudine plus quã paterna in vnitate fidei conseruasse et protexisse. Quis autem de hoc vnquam dubitare posset, vt non, si hæc vera Christi, Catholica & orthodoxa religio esset, quã nouum illud & inusitatum præconum genus, sine vlla commendatione maiorum, post mille quingentos & viginti Annos, quasi per nundinas mercatum proponit, illa eadem, nec diuersa, tum ab Apostolis diuino numine afflatis, & his qui primitiuæ successerunt Ecclesię, tum ab ipsis Deo dilectis Martyribus, inclitisque eius successoribus, qui ad hæc vsque tempora vixisse reperiuntur, & honoratè, & honorificè, & grauiter decantata, vbique singulari studio, multis præclarisque monumentis, ad omnem memoriam tota reposita fuisset. Atqui certè, cum absque hac eadem doctrina, quod in natura rerum omne est Christianum constiterit, iam verò etiam, cùm nostra hæc quam profitemur religio, ab omnibus Sanctis, per omnes ætatum gradus, cùm operibus & miraculis diuinitus patratis, tum sanguinis effusione exculta & celebrata fuerit, necessariò cõsequi quis non viderit, hos tanquam Antichristos, & nouorum dogmatum assertores, expellendos prorsus & abijciendos esse? Et illud nobis mordicus tenẽdum Euangelium, ac in eo moriendum magis, in quo maiores

res


res nostri salui facti sunt. Verùm, ne iustam Epistolæ rationem ac regulam, Princeps illustrissime, nō obseruasse videar, ad T. C. cōuertor. Tametsi hoc quicquid est operis, ex causis supradictis, publicare nondum proposueram, quia tamen planè sperabam, in communem studiosorum vsum, vsque quo alius liber diuulgaretur cessurum, partum hunc meum, quantumlibet præmaturum, in lucem prodire, atque publicum accipere iussi: audentius forsitan ac præcociter, neque etiam sine periculo, sed hoc minore tolerabilioreque futuro, si illustrissima C. T. velùt præcipuum ac tutelare quoddā numen, huius defendendi curam suscipere, vel quod eidem C. T. offero, æquo animo ferre sustineat. Non ignoramus plures adhuc doctissimos viros esse, quorum vel scripta latent, vel temporum iniuria minus ad nos perferuntur. Quis non singularem Ottonis S. R. E. Cardinalis Augustani Episcopi eloquentiam prudentia coniunctam? Quis Fridericum Vurzeburgensem Episcopum Franconiæ Ducem, Marquardum Spirensem, Vitum Bambergensem, Martinum Eystetensem, Vrbanū Patauiensem, Vitum Ratisbonensem, Mauritium Frisingensem Antistites, mundi luminaria, religionis propugnatores? Quis Stephanum Baumburgensem, Christophorum Chiemensem, Leonardum Vuessepronnensem, Petrum Salisburgensem, Thomam Vrspergensem, Bartholomæum Aldersbacensem, Vrbanum Raittenbuochensem Abbates, omnium doctrinarum consumatissimos? Quis Iesuitas viros sanctos? Quis Iesuitas Orthodoxæ fidei cultores magnificos? Quis Iesuitas pugiles pro CHRISTI religione inuictos, non miraretur? eorum cùm omnium, tum singulorum, vel scripta, vel res fortiter actitatæ, cùm minus nunc nobis occurrant,

rant, ſuo tamen loco, condignis honorum præconijs minimè defraudentur. Interim CHRISTVS IESVS C. T. Eccleſiæ ſuæ Catholicæ ſemper incolumem conſeruet, vti ea te fideliſſimo propugnatore diu frui poſſit. Ingolſtadij xiij. Calend. Octobr. ANNO M. D. LXV.

T. C.

Addictiſſimus

Guilielmus Eyſengrein de Nemeto Spirenſis.



SERVATOR noster IESVS CHRISTVS, perfectissimum DEI verbum, principij expers seculaq; præcedens: verè iustitia nostra, cùm & peccata mundi in se receperit, & patrem nobis reconciliarit, suamq; nobis adscripserit iustitiam, perq; regenerationem innocentiæ nos restituerit. Sanctus ille sanctorum inquàm, verus DEVS & homo, nascitur in Bethlehem Iudæ, ex tribu Iuda, nobilissima quidem ob vetustatem & imperiū, Cyrino tum Syriæ præsidente, Anno ab vrbe condita DCCLII. Imperij verò Augusti Cæsaris XLII. vt sic hominum genus, ab infusa ei liberaretur execratione & pernicie, & ad immortalem illam atq; beatam reuerteretur vitam: vt fracta tenebratum potestate, viam in cœlum sterneret: vt humilitate extremaq; sui abiectione, inenarrabilem potentiam & maiestatem suam assereret. Vicit enim infernales hydras, vicit pestes, vicit & teterrima mundi portenta, vt nos qui sub huius signis militamus, & ab ipso cognominamur, suo exemplo, aduersus sacrosanctæ matris Ecclesiæ, CHRISTI sponsæ hostes, generosius decertaremus. Inprimisq;, cū summus ipse Sacerdos & Pontifex, sermonibus perfectæ sapientiæ & sanæ intelligentiæ, nec non naturam superantibus discipulos legibus erudiuerit: vt sic ad contemplationem cognitionemq; DEI, ad actiones præterea DEO placitas, imitationemq; diuinam eos deduceret. Et facilius ad eum modum familiarib. auditorib. spectatoribusq; suis edoctis, factisq; & doctrinis per fidem confirmatis corroboratisq;, in orbem vniuersum eos mitteret, vt accuratiorem exactioremque Euangelicæ doctrinæ disciplinam in gentes propagarent, conformatosq; suo exhiberent parenti filios, eosq; hæredes quidem DEI, cohæredes verò ipsius vnigeniti & primogeniti IESV CHRISTI constituerent. Hinc catholicæ & Apostolicæ nostræ primogenitæ matris Ecclesiæ Doctores, testes dico veritatis, & sanctos Martyres, quos in hoc nostro tenui quamuis opusculo breuissimis referre libet: qui indissolubilem CHRISTI tunicam (quam ne carnifices quidem illi diuidere voluerunt) hactenus aduersum rabidos canum latratus & insultus illæsam reseruarunt, tanquam ex fonte irriguo ad nostra tempora defluxisse,



haud iniquè profiteor. Semper enim Apoſtolicæ & Orthodoxæ ſplendor Eccleſiæ, & ſtatus, & grauitas, eius modeſtia, libertas, diuinus vitæ morumq; diſciplinæ ordo, doctrinæ ſynceritas, apud Romanos ſimul & barbaros ſibi cōſtabit. Nā & ſi qui aliquando aduerſus Eccleſiæ Catholicæ doctrinam hæreſes inſurgunt, nihilo minus tamen, illa alios quoque (& hoc ſingulari quadam DEI prouidentia) qui non tantùm æditis libris, verùm etiam ſine ſcripto, firmiſsimis demonſtrationum atque rationum probationibus, impiarum hæreſum mendacia oppugnant, in medium producit. Quorum memoriā intercidere meritò non patiemur, cùm & orationis virtute, & doctrina monumentiſque librorum, plurimùm profeſsioni Chriſtianæ conferant momenti.

Ante Annos 1 5 2 4. *qui fuit* CHRISTI 41.

S. MATTHÆVS, qui & Leui, genere Iudæus, ex publicano Apoſtolus & Euangeliſta clariſsimus, Hebræis ſalutifero verbo prædicato, quando quidem aliô ad gentes ire maturabat, primus Euangelium CHRISTI ſermone patrio ſcripſit: cuius ſolo attactu, Barnabas Apoſtolus, ex alia regione atq; gente in aliam, prædicationis munere ſubinde migrans, cæcis viſum, ſurdis auditū, claudis greſſum reddidit: & vt ſemel dicam, omne ſanitatis beneficium contulit. Matthæus, Æthiopum vrbibus peragratis, Spiritus ſancti ductu, ad Antropophagorum terram, in ciuitatem cui nomen eſt Mirmenæ peruenit: in qua, cùm Ephigeniam nobilem virginem, & ducentas alias ſacro baptiſmatis lauacro conſecraſſet, à Ciuitatis eius Principe, qui verbo fidei aduerſabatur, cōprehenſus, animo forti & intrepido martyrij coronam ſuſcepit.

Ante Annos 1 5 2 1. *qui fuit* CHRISTI 44.

S. SIMON Petrus, Cæphas, Ioannis filius, patria Bethſaidenſis, natione Galilæus, Andreæ Apoſtoli frater, IESV CHRISTI diſcipulus, atq; ab eo Princeps Apoſtolorum deſignatus. Vbi Aſiaticas Ponti, Galathiæ, Bithiniæ & Cappadociæ Eccleſias, præclarè fundatas noſtris reliquiſſet, Epiſcopalem quoque apud Antiochiam ſedem annis ſeptem tenuiſſet, primus Romanum erexit Pontificatum, quod hanc pontificali conuenientem dignitati cernebat cathedram. Sedit autem Romæ

Annis

Annis xxiiij. M. v. D. xij. Simonem Magum, Samaritanum quendam, qui præstigijs suis eò erroris iam deduxerat populum, vt Deus crederetur, miraculis & varijs prodigiorum generibus longè superauit, eiusq; hæresim expugnauit. Scripsit duas Epistolas quæ Canonicæ nominantur. Anno demum CHRISTI lxviij. imperante Nerone Augusto, cum Paulo Apostolo vno ac eodē die necatur: Romæ capite deorsum verso in cruce affixus, & in Vaticano sepultus est.

Ante Annos 1 5 1 9. qui fuit CHRISTI 46.

S. MARCVS Euangelista, vnus ex Septuaginta, Episcopus Aquileiensis, S. Petri ex sorore nepos, eius in baptismate filius, atque in diuino sermone discipulus & interpres, in Israël sacerdotium agens, sed secundum carnem Leuita, imperante Tiberio, Ægypto & Libiæ, Barbariæq; vniuersæ CHRISTI verbum euangelizans annunciauit. Euangelium suum dictante atque comprobante Petro, cùm aduersus Simonem Magum fortiter rem gereret, ac simul occidentali oræ lucem inferret, in Italia scripsit. Apud Cyreneos & Pentapolitanos Ecclesias construxit, clerum & Episcopos, atque alia insuper quæ opus erant ritè & ordine constituit. Christianorum monachorum solitariæ vitæ leges dedit. Tandem Alexandriam reuersus, dum liberè CHRISTVM fatetur, cultores idolorum impetum in eum faciunt, virum sanctum carceri includunt, funibus vinculis extracti pedes constringunt, a que per plateas immanissimè raptant: sanguine abs eo profluente, dum sic corpus saxis illiditur, imperante Nerone spiritum DEO reddit, sepultus Alexandriæ, Anno CHRISTI lxiiij Gregorio tandem eius nominis iiii. Rom. Pontificatu præsidente, sacratissimum Martyris corpus, Alexandria à mercatoribus Venetis in patriam delatum est, vbi nunc in maxima veneratione habetur, extructo egregio templo in celebriore vrbis loco, multisq; donarijs in ipso Sacello reconditis.

Ante Annos 1 5 1 7. qui fuit CHRISTI 48.

S. PAVLVS Apostolus, qui antea Saulus dicebatur, ex tribu Beniamin, & oppido Iudææ Giscalis originem ducens, quo, à Romanis bello capto, cum parentibus

ſuis Tharſum Ciliciæ commigrauit: Hieroſolymam ob ſtudia legis miſſus, à Gamaliele viro doctiſsimo eruditur. Acceptis deinde epiſtolis à Pōtifice templi, eos perſequens, qui CHRISTVM verum DEVM eſſe profiterentur, Stephani Prothomartyris neci interfuit. At verò, cùm Damaſcum pergeret, ſpiritu diuino ad fidem compulſus, vas electionis vocari meruit, nomenq́; à Paulo Procoſs. Cypri accepit, quem prædicatione ad fidem redegerat. Vna deinde cum Barnaba, multis vrbibus peragratis, Hieroſolymam rediens, à Petro, Ioanne Iacoboq́; Gentium eligitur Apoſtolus. Fama enim inauditorum antea miraculorum eius increbuerat, adeò, vt ſudaria quædam & tenues faſciæ, quæ corpus eius attigiſſent, quum morbos curarent, tum dæmonibus formiduloſæ eſſent. Et toto iam ferè orbe peragrato, atq; xxxv. Annis Euangelico pro CHRISTO certamine peracto, cùm poſtremò Romę eſſet, & in coryphęū præcipuumq; Apoſtolorum Petrum incidiſſet, vnà cum illo ibi immortalitatis coronam, eodem die accepit: Paulus quidem capite plexus, Petrus autē crucifixus eſt, Anno videlicet CHRISTI lxviij. Nerone Claudio Auguſto. Rem hanc, Petri & Pauli capita, quæ hodie etiam Romæ in Lateranenſi Baſilica reſeruantur, confirmant. Scripſit autem xiiij. Epiſtolas. Ad Romanos quidem vnam, ad Corinthios verò duas. Aliam item ad Galathas, ad Epheſios alteram. Ad Philippenſes rurſus vnam. Theſſalonicenſibus duas. Deinde verò ad Coloſſenſes vnam, binas Timotheo, vnā ad Titum, ad Philemonem alteram. Quæ ad Hebræos eius nomine fertur, incerta habebatur propter ſtyli ſermoniſque differentiam. Erant etiam olim, qui hanc & Lucæ, & Barnabæ & Clementi aſſcriberent.

Ante Annos 1512. qui fuit CHRISTI 53.

S. IVDAS Apoſtolus, frater Simonis Chananæi & Iacobi, ſecundū carnē fratris Dñi, genus ex Dauide ducēs, Ioſephi filius, ex vxore Salome, q̄ quidē filia fuit Aggæi fratris Zachariæ prophetæ, eiuſdēq; Ioannis Baptiſtæ patris, cū Meſopotamiæ populos ad CHRISTI fidē couertiſſet, in Nitrio Armenię oppido martyriū ſubijt. Extat vna de ſeptē Catholicis eius Epiſtola, quæ vetuſtate iam & vſu meruit inter ſanctas ſcripturas computari.

Ante

Ante Annos 1510. qui fuit CHRISTI 55.

S. IACOBVS Apoſtolus, cognomento Iuſtus, ſecundum carnem frater Domini dictus, Ioſephi filius ex Salome, ſtatim poſt paſsionem Dominicam ab Apoſtolis Hieroſolymorum Epiſcopus ordinatus, bonis ſuis in Galilæa alienatis, ſalutare verbum duodecim tribubus Iſrael prædicauit. Ex ipſo vtero matris ſuæ ſanctus hic fuit, vinum & ſiceram non bibit, nil carnis deguſtauit vnquam, intonſus, balneo minimè vſus, oleo quoque vnctus non eſt. Sancta ſanctorum ingreſſus, ita aſsiduè flexis genibus pro populo deprecabatur, vt eius genua Cameli inſtar per callum induruerant. Cùm CHRISTVM filium DEI negare reccuſaret, tumultus concitatus eſt à Iudæis, ac præcipitem eum de pinna templi deiecerunt, ſed cum ſemiuiuus adhuc manus tenderet pro perſecutoribus orans, fullonũ quidam ligno quo veſtes complanabat arrepto, caput Iuſti comminuit. Atque ita martyrio eſt defunctus Anno vij. Imperij Neronis, qui fuit CHRISTI lxj. ſepultus iuxta templum. Huius fertur prima inter Catholicos Epiſtola, ad omnes Eccleſias magnificè, cum libertate multa conſcripta.

Ante Annos 1509. qui fuit CHRISTI 56.

L. ANNEVS Seneca, patria Cordubenſis, natione Hiſpanus, Stoicus Philoſophus, Romæ Sotionis Stoici quõdã auditor & diſcipulus, patruus Lucani Poëtæ, Neronis pceptor, & Pauli Apoſtoli amiciſsimus. Vir cõtinẽtiſsimę vitæ, plures Epiſtolas quas ad Paulũ cõſcripſerat reliqt. Edidit & de diuina puidentia, De inſtitutione vitę ad Luciliũ Siciliæ Pręſidẽ, De vita beata ad Gallionẽ fratrẽ cõmentarios. Et alia plura. Quẽ nõ ponerẽ in hunc noſtrũ Eccleſiæ Doctorum Catalogum, niſi me vel D. Hieronymus prouocaſſet, qui hunc inter viros illuſtres commemorat. Nam præter cætera ſibi à Deo collata beneficia, tanta memoria fuit, vt duo millia nominum recitata, eo quo dicta erant ordine, mox ſine ſcripto, verbis eiſdem redderet. Cùm ſenex admodum, Piſonianæ coniurationis labe notatus eſſet: imò ob innatum in virtutes odium, à Nerone per Centurionem indictum fuit, vt ſibi ipſe mortem deligeret. Qui cognita Imperatoris voluntate, petijt, vt in tepenti aqua poneretur, & ibidem omnes venę

eius aperirentur, donec ſpiritum exhalaret: quòd factum eſt bienniam ante, quàm Petrus & Paulus martyrio Romæ coronarentur, Anno videlicet CHRISTI lxij.

Ante Annos 1 5 0 8. *qui fuit* C*HRISTI* 57.

S. LINVS, Herculani filius, Volaterranus, Etruſcus, Petri Apoſtoli diſcipulus, & ab eo viuente cum Cleto coëpiſcopus ordinatus, ſedit Romæ abſente vt plurimum Petro Ann. xj. M. iij. D. xij. cuius Paulus in ea, quam Romæ ad Timotheum ſcripſit Epiſtola, mentionem facit. Græco ſermone SS. Apoſtolorum Petri & Pauli, vno die paſſorum martyrium cõſcripſit, digladiationem Petri cum Simone mago aperiens. Hic cùm ſanctitate, tum moribus in pretio habitus, dæmones fugauit, mortuos ſuſcitauit, plures baptizauit: tandem verò, à Saturnino Coſs. cui filiam à dæmonio vexatam curauerat, altero Menſe & die xxvj. à Petri morte capite cæſus eſt, atq; iuxta S. Petri Apoſtoli corpus in Vaticano ſepultus, Anno CHRISTI lxviij.

Ante Annos 1 5 0 6. *qui fuit* C*HRISTI* 59.

MARCELLVS, Marci Vrbis Romæ Præfecti filius, Simonis magi quondam auditor & diſcipulus, vir grauis atq; diſertus, prædicatione D. Petri Apoſtoli ad CHRISTI fidem cõuerſus, ſcripſit rogantibus Chriſtianis De cõflictu Simonis & Petri, De actibus Petri & Pauli, de obitu S. Petronellæ volumina. Circumferuntur eius quoq; De paſsione S. Nicomedis, De artibus Simonis magi, De paſsione S. Fœliculæ libri. Et alia plura, quæ ad noſtram nondum peruenerunt notitiam.

Ante Annos 1 5 0 3. *qui fuit* C*HRISTI* 6 2.

PHILO Iudęus, natione Alexandrinus, ſecta Pythagoreus, ex genere Sacerdotum, vir diſertiſsimus, & in vtraque Philoſophia celeberrimus, non tantùm apud ſacros, verũ & profanos ſcriptores celebris, omnes ſui temporis Philoſophos longè ſuperauit. Qui multa ita eleganter & grauiter ſcripſit, vt dictum meritò ſit: Aut Plato Philonem ſequitur, aut Platonem Philo. Reliquit Commentaria in Geneſim, quibus titulum indidit Sacrarum legum allegoriæ. In Exodum verò Quęſtionum ſolutionumque libros quinque, Vnum de Decalogo, vnum de tabernaculo, De ſtatu Monachorum, qui temporibus Agrippæ

Regis

Regis monasteria sibi fecerint, volumen. Sua doctrina atque sermonis elegantia, Appionis temeritatem, contra Iudæos ab Alexandrinis missam, compescuit. Romæ imperante Claudio sermones doctissimos requirens, multa & iucunda consuetudine Petro coniunctus, de laudibus Christianorum non pauca memoriæ prodidit. Parum quoq; tum abfuit, quin de vita ibi periclitaretur, quemadmodum eius in xviij. Histor. libro, circa finem Iosephus meminit.

Ante Annos 1499. qui fuit CHRISTI 66.

S. DIONYSIVS Areopagita, princeps ille Philosophorum, interpres astrorum nobilissimus, D. Pauli Apostoli quondam auditor atq; discipulus, Athenarum primo, Parisiorum exinde, quē meritò augustè omnes sanctèq; veneramur, Antistes, cū diuino viro Hierotheo vteretur pręceptore, ipsius Pauli gentiū Doctoris manibus Atheniensiū Pręsul designatus, mirificis prorsus atq; cœlestib⁹ donis clarus effulsit. Per Clemētē itaq; sanctum Rom. Pontificem, ex D. Petri pręcepto in Gallias missus, vbi cōmendatum atq; concreditum sibi munus firma cum mentis ratione administrasset, à Præfecto Pescenninò, socijs SS. Eleutherio Archipresbytero ac Rustico Diacono, iam nonagenarius, Anno CHRISTI xcvj. martyrij palmam accepit. Ferunt autem, eum caput suum quod gladio resectum fuerat in manibus gerentem, ad duo millia passuum tulisse, ibiq; id in quam inciderat tanquam mulieri depositum reddidisse. Tutone demum Episcopo sedi Reginoburgensium præsidente, Anno CHRISTI Dccclxxxvij. sacratissimū Dionysij corpus, ab Arnulpho Cæsare, sede regia Parisiorū euastata, pridie Non. Decemb. sub Eubulone Abbate, Ratisbonā delatum, hodie nunc in D. Hemerani sacrata æde religiosissimè colitur. Quæ ille scripta sublimi rerum diuinarum cōtemplatione, sententijs & elocutione admiranda prorsus & excellentia composuit, sic se habent: Primum quidem opus de diuinis nominibus conscripsit xiij. capitibus, in quo ad centum alia quoq; capita sunt adiecta diuinæ sapientiæ plena. Secundus ab eo liber scriptus est de cœlesti Hierarchia. Tertius de Ecclesiastica Hierarchia. Quartus de arcana seu mystica Theologia. Reliquit etiā Epistolas decem, quarum postrema Euangelistæ Ioanni qui suprà pectus Domini recubuit est scripta. Non ignoro,

Lauren-

Laurentium Vallam, cùm in Acta Apostolorũ scriberet, cap. xvij. contendere, Dionysium non esse Areopagitam, & opera Dionysij quæ circumferuntur esse cuiusdam Appollinaris, deridereque hanc Epistolam Dionysij de Solis Eclypsi quæ contigit in passione Dominica quasi confictam & fabulosam. Id quod etiã Erasmus Roterodam. in Nouo Testamento repetit & penè cõfirmat, hac potissimum ratione defendens: Dionysius sub illo Solis defectu fuit Athenis, qui visus non est in Græcia, non enim fuit vniuersalis, aliàs Historici eius meminissent. Et paulò pòst subiungit: Nec tot Cæremonias Apostolorum temporibus extitisse credo. Ah bone DEVS, quòt hic errores deprehenduntur? Nã primò argumentantur ab authoritate negatiuè. ij. Historicos nõ meminisse huius Eclypsis perspicuè mendacium est. Flegon citatur ab Origene, & Faber Stapulensis Aphricanum citat. Omitto Oracula & Vaticinia Sybillarum ac Prophetarum de hoc Solis defectu, nonne Euangelistæ super vniuersam terram factam cõiunctè scribunt? Quid Esculus Astrologus? Quid Lucianus Martyr Antiochenus, de Sole Tiberij Cæsaris tempore obscurato literis prodidit? Postremo Cæremonias (quod Roterodamus lubens dissimularet) primitiuæ Ecclesiæ in frequenti vsu fuisse testantur sanctorum Apostolorum discipuli Clemens, Ignatius, Anacletus: testãtur SS. Apostolorum canones: testatur hoc & ipse Iacobus Apostolus frater Domini. Sed proripit Illyricus, qui in libro cui titulum Saxonici scripti dedit, Dionysij commentaria hæc esse negat, hac philosophica ratione: Autor librorum cap. v. de diuinis nominibus Clementem Alexandrinum viij. Stromatum citat, Non est ergo Areopagita. Sibi à mendacio non temperare in sacræ scripturæ locis Mathia Illyrice, impudentiæ magis ac temeritati, quàm veræ pietatis & religionis zelo tribuitur. Nec tamen cuiuis id mirum videatur, cum & statim post Apostolorũ ætates primi hæresiarchæ sanctorum scripta patrum adulterarint, vt sic ad impietatẽ suam multos pertraherent. Diligentius quintum Dionysij de diuinis nominibus capitulum aduerte, & oculorum intentione magis exquisita relege, Clementem Philosophũ, nõ Alexandrinum illum qui post tempora SS. Apostolorum vixit adductum deprehendes. Mera hæc est calumnia, qua CHRISTI oues moliris dispergere, sed impetus ille tuus & conatus, me monitore in maximam animæ perniciem tuæ procedet. Nouissimè

ſimè Caluinus tale Argumentum producit: Hos libros veteres non inuenerunt, Ergo non ſunt Dionyſij. Argumentum procedit à negatiua quod non concludit. Et iam pluribus ſæculis non viſus erat Græcus Æſchylus Poëta, Ioãnes quoq; Monachus à paucis, imò à ſolo Andrea Alciato hactenus quòd viderim citatur, qui tamen Græcè doctiſsimam Hiſtoriam & veriſsimam conſcripſit. Areopagitam Dionyſium, Sancti viri doctrina fulgentes, Maximus, Michael Hieroſolymitanus, Andreas Cretenſis Epiſcopus, & vniuerſa docta Græcia, miris laudibus honorificentiſſimè colit: magnum appellat, Angelum appellat, & cui ſimilis non ſit ſacrorum interpretem. Verùm vt Solem conſpiciamus face non egemus, idcircò cætera teſtimonia Patrũ de ipſo, vt Polycarpi, Dionyſij Corinthiorũ Epiſcopi, Methodij, Athanaſij, Eugenij, Gregorij Turonenſis, Clementis, Euſebij & Fortunati, nunc prætereunda iure cenſeo. Chryſoſt. in Dial. Baſil. lib. iiij. ſcriptorũ eius altitudinem demiratus, volucrem hunc cœli exclamat. Origenes Homil. prima in Euang. Ioan. magnum illum. Damaſcen. cap. xvij. de Angelis & Proangelis, ſanctiſsimum & theologiſsimũ vocat. Idem Polycarp. in epiſtol. ad Athenien. Zepherin. diſt. 38. cap. Omnes. Leo ix. Papa ad Galliç Reges atq; Primates ſcribens facit. Dionyſius inſuper Carthuſianus Act. 1. in Areopagitam Commentaria colligens, ſtupenda de eo refert: Tanta enim, inquit, iã ex viuis ereptus miracula patrauit, vt imbecilles ſeptendecim numero priſtinæ ſanitati reſtituerentur. Dagobertus quoque Francorum Rex interceſsionibus eiuſdem ex purgatorio liberaretur. Ambroſius Camaldulenſis Abbas, Sancti huius viri cõmentaria in ſacrorum bibliotheca librorum Romç inueniri, Petrũ Romanorũ Diaconum ſcriptis reliquiſſe teſtatur. Et ipſe ex Domino patrueli meo Martino Eyſengrein!, paſtori Mauritiano Ingolſtadienſi, illuſtriſsimi Boiorũ Ducis Cõſiliario, crebriꝰ audiuĩ, ſe, cùm adhuc Viennæ in Pannonia Canonicũ Eccleſiç Cathedralis, ac eiuſdem Academiæ Profeſſorem ageret ordinariũ, apud D. Doctorem Petrum Raimundum, Græcarum literarum Profeſſorem ordinarium, librum Eccleſiaſticæ Hierarchiæ S. Dionyſij, aureis literis ſubtiliter atque eleganter ante Annos Paulò minus Dccccxl. conſcriptum vidiſſe, cuius certè notas ita vetuſtas abſumpſerit, vt aliquibus in locis, niſi ſcripta nouis elementorum

figuris illustrata fuissent, per sese neque cognosci neque intelligi potuissent. Nec dubitandum est ab Areopagita Dionysio hos libros æditos esse, eò quod & multorum meminit, & nonnullorum dicta proponit, qui temporibus illis floruerunt, quorum & Actuum liber, & Epistolæ Pauli meminerunt.

Ante Annos 1498. qui fuit CHRISTI 67.

S. LVCAS Euangelista, Antiochiæ quæ in Cœlesyria est ortus, medicus simul & pictor egregius, Græci sermonis apprimè doctus, Apostolorum discipulus, Thebis ad Paulum veniens omnis peregrinationis eius fit comes ac socius. Cùm iam scripta essent Euangelia, per Matthæum quidem in Iudæa, per Marcum autem in Italia, sancto Spiritu instigante, iubente verò Paulo, in Achaiæ partibus Euangelium suum sicut audierat conscripsit, atque itidem Romæ Apostolorum Acta sicut viderat composuit. Fertur is primus CHRISTI, & quæ eum ita vt DEVM decebat genuit matris, Principum quoque Apostolorum Petri & Pauli effigiem viuis coloribus pingendi arte adumbrasse. Septuaginta & quatuor ætatis annos agens, in Bythinia obijt, plenus Spiritu sancto. Reliquias eius quouis honore dignas, Constantius Constantini Magni filius, per Artemium maximum illum martyrem, Thebis Constantinopolim translatas, templo Sanctis Apostolis sacro intulit. Hodie tamen Paduæ in æde Iustinæ virgini sacrata requiescunt.

Ante Annos 1497. qui fuit CHRISTI 68.

S. CLEMENS, quem cooperarium suum fuisse Apostolus Philippensibus scribẽs docet, Faustini filius, Romanus, de regione Cœlimontium, Petri discipulus, ad Cæsarum gentem ortum suum referens, Romæ vrbis post Petrum Pontifex, Ann. ix. M. iiij. D. xxvj. vir pietate, religione, doctrina clarus, Græcorum disciplinis eruditus, atque in omni scientiarum genere summè exercitatus. Scripsit ex persona Romanę Ecclesiæ ad Corinthios prolixam & valde vtilem Epistolam. Ad Iacobum quoq; Apostolũ duas. Sanctorum Apostolorũ Canones

in

in vnũ cõgeſsit. Cùm verò imperata Traiani nõ faceret à Mamertino vrbis præfecto in ciuitatem quandam obſcuram ac deſolatam Cherſoni vicinam eſt relegatus, in qua duo millia Chriſtianorum ad ſecanda marmora damnatorum inuenit, & dũ aquæ penuria laboraret, quam à ſexto miliario peterent, Clemens collem conſcendens agnum vidit, ſub cuius dextro pede fons diuinitus aquam ſcaturiebat, qua recreati, multi ob hoc ad CHRISTI fidem ſunt conuerſi. Hanc ob rem motus Traianus, ex ſatellitibus quoſdam mittit, qui Clementem ancora ferrea collo ſuſpenſa, in altum Mare proijcerent, cuius corpus non ita multo pòſt ad littus delatum eſt, atque eo loci extructum templum vbi ſepeliretur. Martyrium ſubijt Anno lxxvij. ix. Calend. Decembr. Fl. Veſpaſiano Auguſto. Sacratiſsimum corpus eius Dccclxviij. CHRISTI Anno ex Ponto Romam translatum, & in Baſilicam ſuo nomini dicatam conditum eſt.

Ante Annos 1493. *qui fuit* CHRISTI 72.

S. CRESCENS ſiue Creſcentius, D. Pauli quondam auditor atque diſcipulus, Moguntiaci ad Rhenum ſedem Epiſcopalem conſtituens, vnus ex primis Germaniæ Apoſtolis, Nemetes, Vangiones atque Argentoratenſes, cum vniuerſa Belgica ſalutari CHRISTI verbo confirmauit, in Gallijs ſepultus. De fide contra Gentes multa ædidit, quæ tamen ad noſtram minimè peruenerunt notitiam.

Ante Annos 1490. *qui fuit* CHRISTI 75.

S. TIMOTHEVS, Lycaonius, ex vrbe Lyſtra, Pauli quondam auditor & diſcipulus, quem Epheſi Epiſcopum conſtituerat, ſcripſit ad Eccleſiam Catholicam toto orbe diffuſam libros iiij. S. MARIÆ DEI Genetricis ex hac vita migrationi, CHRISTI diſcipulis præſentibus, cùm S. Dionyſio Areopagita, magnoque diuino & ſapiente Hierotheo affuit, Martyrij palmam ſubiens, Anno CHRISTI xc. imperante Domitiano. Cui dum ad ſupplicium traheretur duo An-

geli comparuere, dicentes: Erige caput in cœlum ac vide, & intentis in cœlum oculis, vidit cœlos apertos, & IESVM coronam ex auro gemmis distinctam clarissimis comprehendentem, atque dicentem: Hanc manibus accipies meis. Quod cùm quidam Apollinaris cognouisset, sacris vndis & ipse ablutus, capite cæsus est. Reliquias Sancti viri Timothæi, Artemius propugnator fidei generosus, Dux & Augustalis Antiochiæ, ardore diuino flagrans, cum D. Apostolorum Lucæ et Andreę corporibus, Anno Constantij Cæsaris xx. ex Epheso Constantinopolim transtulit.

Ante Annos 1482. *qui fuit* CHRISTI 83.

S. IOANNES Apostolus & Euangelista, dilectus ille qui supra pectus Domini recubuit discipulus, Zebedæi filius, frater Iacobi Apostoli, in Asia CHRISTVM IESVM annuncians, templum Dianæ solo æquauit. Sed persecutionis sub Domitiano tempore in Pathmos insulam relegatus, Spiritu sancto plenus, xiiij. Imperij illius Anno, sacram & diuinitus inspiratam Apocalypsim protulit. Omnium quoque nouissimus, Euangelium suum, rogatus ab Asiæ Episcopis aduersus Cærinthum aliosque hæreticos in Asia congessit, ac ea confirmauit, quæ à Matthæo, Marco & Luca conscripta fuerant. Scripsit & Epistolas tres, compulsus maximè ab Ebionitis CHRISTI natiuitatem edicere. Post Domitiani obitum, Ephesum in Asiam reuersus, mortuum resuscitauit, quæ ibi fuere Ecclesias rexit, templa construens, clerum omnem docens, Ecclesiarumque sacros ministros instinctu Spiritus sancti ad perfectionem instituens. Cùm aliquando balneo vti oporteret, atque is futurum cognosceret eò quoque Cærinthum hæreticum ingressurum, quanta potuit celeritate inde refugit: Fugiamus, inquiens, ne balneum concidat, in quo veritatis inimicus Cærinthus lauat. Senio confectus, migrationem suam ad DEVM diemque & horam eius cùm præuidisset, conuocatis discipulis suis in Epheso, extra vrbem progreditur, corda eorum confirmans, Seruatori CHRISTO commendat. Postremoque in Domino saluere & valere iussis, facta oratione, vbi se crucis signo commu-

communiſſet, in defoſſum ſepulturæ ſuæ locũ deſcendit, ſtatimq; eo qui iuſtis debetur ſopitur ſomno lxviij. poſt CHRISTI paſſionem Anno, qui fuit cij. Die ſequenti, cùm ad monumentum eius peruentum eſſet, operculo auulſo, nihil præter manna comparuit.

Ante Annos 1481. qui fuit CHRISTI 84.

S. ANACLETVS, Antiochi filius, Athenienſis, Græcus, à Petro Apoſtolo Rom. Eccleſiæ Presbyter ordinatus, quintus Romæ vrbis Pontifex Ann. xij. M. ij. D. x. Seorſum à plebe loca vbi Martyres ſepelirentur aſsignauit. Omnes fideles per Epiſtolã vt Presbyteri præ cæteris honorentur monuit. Ædidit & Decretorũ volumen magnũ. Martyrium pro CHRISTO Romæ ſubijt imperante Domitiano, Anno CHRISTI xcvj. iuxta S. Petrum in Vaticano ſepultus.

Ante Annos 1480. qui fuit CHRISTI 85.

FL. IOSEPHVS Iudæus, Mathatiæ eius gentis Sacerdotis filius ex Hieroſolymis, Philoſophus inſignis, Hiſtoricus celeberrimus, multarumq; literarũ & rerũ peritiſsimus, tantum diſciplinarum doctrina excellebat, vt ſummam & patriæ & Græcæ linguæ peritiam conſequeretur. Multa volumina reliquit: Romam enim veniens Iudaicæ captiuitatis libr. vij. patri & filio Veſpaſianis obtulit, quos fama fert Titum Cæſarem manuum ſuarum deſcriptione comprobatos publicari vbique, atq; etiam in Romana bibliotheca reponi iuſsiſſe, & authorem ipſum ob ingenij gloriam tum ſtatua tum ciuitate, Flauia quoque familia donatum eſſe. Hiſtoriam Eccleſiæ Iudaicæ ab initio Mundi vſq; ad poſtremum Hieroſolymæ excidium xxiiij. libris contexuit. Præterea contra Appionem Grammaticum, qui tum orationes aduerſus Iudæos inuectiuas ſcripſerat: & contra alios itidem, qui patria Iudæorum gentis inſtituta & mores calumniari auſi fuerant refutationes. Fertur & alius quoq; liber eius, qui inſcribitur τὸν περὶ τοῦ αὐτοκράτορος λογισμοῦ, in quo Machabæorum ſunt digeſta martyria. Traiani temporibus Romæ glorioſè defecit.

Ante Annos 1469. qui fuit CHRISTI 96.

S. FISPIVS, Areopagitæ Dionysij auditor qnondam & discipulus, cùm magister ob CHRISTI fidem in agro Parisiaco morti adiudicaretur, præsens, inter cætera scripturarum monimenta, vitã pręceptoris sui reliquit. Moritur in Gallijs imperante Traiano.

Ante Annos 1466. qui fuit CHRISTI 99.

S. IGNATIVS, Ioannis Apostoli quondam auditor & discipulus, secundus in Antiochena Ecclesia Petri successor, cùm Traiani qui tum Antiochiæ erat non desineret reprehendere superstitionem, vinctus Romam, vt ibi leonibus esca obijceretur si fidem CHRISTI non abiuraret, missus est: Asiã itaq; cũ firma militum custodia peragrans, omnes Christianos in itinere, oratione vel literis in fide confirmabat, sic inquiens: Vt IESVM CHRISTVM inueniam, ignis, crux, bestiæ, confractio osſiũ, & totius corporis cõtentio, tormenta quoq; Diaboli in me veniant, dum modò CHRISTO fruar. Cùm autem iam audiret leonũ rugitum: Frumentum sum, inquit, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Smyrnæ cùm esset, vbi Polycarpus Ecclesiam regebat, Epistolam vnam ad Ephesios dedit, Onesimi pastoris mentionem faciens. Aliã autem Magnesiæ ad Meandrum sitæ scripsit, in qua Episcopi cuiusdam Damæ meminit. Aliam item ad Ecclesiam quæ Trallis fuit misit, cui tum Polybius præfuit. Quartam porrò ad Romanos scripsit. Cùm Troadæ esset, per literas cum Philadelphiæ Ecclesia collocutus est. Epistolam quoq; ad Smyrneos dedit, & aliam item seorsim ad Episcopum eorum Polycarpum. Scripsit insuper ex Emporio ad Philippenses, ad Antiochenos, Heronem quoque Archidiaconum. Similiter & ad Tarsenses ex Philippis. Ignatius ille noster, qui cum Apostolis omnibus plurimo tempore vixit, cùm per ecstasim semel animi consternatus esset, visionem nouam perspexit, sanctos scilicet angelos alternis & sibi inuicem respondentibus carminibus sanctam Trinitatem hymnis & laudibus vehentes. Hinc ipse primus Antiphonorum concinendi morem Antiochenorum Ecclesiæ dedit. MARIAM quoque virginem, Saluatoris nostri

nostri IESV CHRISTI matrem inuiolatam, pluribus quas ad eam scripsit Epistolis CHRISTIFERAM salutauit. Et Romæ x. Traiani Anno, qui fuit CHRISTI cix. cùm prius varia tormenta pertulisset, in medio theatro duobus leonibus obiectus, martyrio est defunctus: carnes quidem eius atque ossa teneriora bestiæ deuorarunt, quæcunque autem firmiora reliqua fuere, multo deinceps tempore Roma à sectatoribus eius Antiochiã delata, & extra portam Daphnicam sunt sepulta.

Ante Annos 1 4 6 2. *qui fuit* CHRISTI 103.

S. PAPIAS, Ioannis auditor, Sanctorumq́ Apostolorum discipulus & studiosus imitator, Polycarpo familiarissimus, Asianus, Hierapolita, in sua ipse patria Episcopatus magistratu est functus imperante Traiano. Vir cũ eloquentia clarus, tum sacrarum literarũ quàm maximè peritus, fidei Christianę constantissimus propagator & defensor, multa Ecclesiæ scripta reliquit, quorum quinq; tantum quæ Dominicorum sermonum expositionem inscripsit circumferuntur.

Ante Annos 1 4 3 7. *qui fuit* CHRISTI 128.

ARISTIDES, princeps ille Philosophorum Atheniensium, vnus omnium sapiẽtissimus ac eloquentissimus, qui Iusti cognomen meruit, sub pristino habitu Domini Saluatoris nostri IESV CHRISTI discipulus, vir bonus & grauis, tam secularibus quàm diuinis scripturis eruditus, tanta ingenij vbertate, tanta dicendi copia, tam diuino atque incredibili orationis genere effulsit, vt miraculum sui gentibus præberet, nec sine sanctitatis opinione decederet. Ingenti fidei nostræ æmulatione & ardore flagrans, pro nostra pietate simul decertans, cùm improbi quidam homines Ecclesias vrgere atque persequi aggrederentur, Apologeticum pro Christianis, nostri dogmatis rationem continens, ad Publ. Ælium Adrianum Principem, qui Traiano consobrino in Imperio successerat scripsit. Quo oblato & perlecto, factum est, vt Hadrianus iniustum fore existimaret Christianos in dicta causa vbique occidi. Vnde & per Minutium Fundanum Asiæ Procoss. edicto cauit, neminem occidendum, nisi de accusatore & crimine constaret.

Ante

Ante Annos 1435. *qui fuit* CHRISTI 130.

AQVILA Iudæus, natione Ponticus, post illos Septuaginta primos qui Philadelphi temporibus fuere secundus Mosaicæ legis interpres, veteris Testamenti libros ex Hebræo in Græcum transtulit, Publ. Ælio Adriano Augusto.

Ante Annos 1434. *qui fuit* CHRISTI 131.

S. IVSTINVS, ex Philosopho Martyr, vir admiratione omnium dignissimus, patria Palæstinus, in vrbe Neapoli generosâ familia natus, CHRISTI amator & cultor insignis, Græcorum disciplinis egregiè exercitatus, aduersus Græcos & Gentiles pro Christianis orationes habuit, quibus repugnare atque refragari non potuerunt. Cùm Romæ vbi vitam degebat, Antonino Pio Imperatori & Senatui Romano pro fide nostra defensionem obtulisset, contra oppugnatores Græcos & Iudæos, Christianæ professioni patrocinatus est, atque hæreticorum vanam linguæ loquacitatem nocentemq; mentis insaniá luculentis scriptis retudit. Dialogũ contra Tryphonem Principem Iudæorum, diuina probè instructus doctrina ædidit. Scripsit & de mundi Monarchia librum. Volumen præterea quod Psalten prænotauit. Scholiũ de Anima. Inuectus est in Marcionem, qui Cerdonis dogma secutus erat. Impugnauit quoq; Crescentem Cynicũ vt gulosum, mortis timidum, luxuriæq; ac libidinum appetentissimum, Christiq; blasphemum, cuius insidijs circumuentus, pro CHRISTO sanguinem fudit.

Ante Annos 1435. *qui fuit* CHRISTI 132.

S. QVADRATVS, Apostolorum quondã auditor atque discipulus, prophetico dono, Apostolica gratia illustris atque conspicuus, Apostolorum successione sortita, enituit Athenarum post Publium Martyrem Episcopus: vir constans & incomparabilis doctrinæ, Ecclesiam DEI periclitantem fide & industria sua quoad fieri potuerit sustentauit. Nã cùm Adrianus Athenis hyemem agens, Symmystesq; Eleusinæ omnibus penè sacris initiatus, occasionẽ sæuiendi in Christianos dedisset, Quadratus ipse Imperatori oratione splendidissima Apologeticum librum,

brum, pro nostra religione conscriptum, & validissimis communitum assertionibus obtulit. Et sic Ecclesiam metu persecutionis dispersam, ad veritatem fidei congregauit, pro CHRISTO martyrium subiens.

Ante Annos 1427. qui fuit CHRISTI 138.

AGRIPPA cognomento Castoris, Christianorum suæ ætatis doctissimus, nobilis Ecclesiæ Historiarum interpres, aduersum xxiiij. Basilidis hæretici volumina in Euangelium conscripta sua doctrina mirificè disseruit, imperante Hadriano Augusto, Barrabam & Barthecab eius Prophetas, conficta scilicet ad terrorem nomina, & Deum maximum eiusdem Abraxas deridens.

Ante Annos 1424. qui fuit CHRISTI 141.

S. POLYCARPVS, Smyrnæ in Asia Præsul, Irenæi præceptor, & S. Ioannis Euangelistæ qui supra pectus Domini recubuit quondam auditor ac discipulus, totius Asiæ religione & doctrina tum facilè princeps, non modò ab Apostolis institutus, cum multis eorum vixit qui Dominum ipsi viderunt, sed etiam per Apostolos Smyrnensi Ecclesiæ in Asia Episcopus ordinatus est. Romam veniens, plurimos fidelium Marcionis & Valentini falsa persuasione deceptos ad fidem reduxit. Cùm autem Marcion huic fortè obuiam factus, diceret: Nosce nos: respondit, Nosco, inquiens, nosco primogenitum Sathanæ. Scripsit valdè prolixam ad Philippenses Epistolam, doctrinam veritatis complectentem. In quarta post Neronem persecutione, Marco Antonino Philosopho Augusto, Smyrnę sedente Procoss. Galieno, igni adiudicatur, cùm verò nullam haberet vim in Martyris carnem, quidam gladio virum sanctum confodit, quo facto tantum sanguinis effluxit, vt flamma extingueretur. Triduo ante quàm comprehenderetur, vidit per somnium noctu, seu visionem potius, ceruical capitis sui igne esse cõsumptum, quod euigilans interpretatus est, flamma se consumendum, & cùm persecutores sui ad comprehendendum eum venissent, haud aliter quàm amicos cibo copioso, somno deinde & quiete laxiori eos recreauit.

Ante Annos 1417. *qui fuit* CHRISTI 148.

HERMAS Grecus (cuius Apostolus ad Romanos scribens meminit: Salutate Asyncritum, Phlegontem, Herman, Patrobam, Hermen, & qui cum eis sunt fratres) Pio Pontifici familiarissimus, librum Romæ titulo Pastoris insignitũ scripsit, Antonino Pio imperante Augusto. Quo quidem in libro, Angelus pastoris personam induens, ei mandat, vt omnibus persuadeat Pascha die Dominico celebrari, quod & fecit.

Ante Annos 1413. *qui fuit* CHRISTI 152.

MVSANVS, Doctor non ignobilis inter eos, qui de Ecclesiastico dogmate scripserunt, librum contra quosdã pulcherrimum, qui præter rationem ad sectam Eucratitarum deflexerant, ædidit.

Ante Annos 1412. *qui fuit* CHRISTI 153.

S. EGESIPPVS, Apostolorum discipulus, Iudæus, scriptor eloquens & grauis, inter Ecclesiasticos vetustissimus, ad fidem CHRISTI conuersus, quinque libris integram & simplicem Euangelicæ professionis reliquit doctrinam, in quibus satis indicat, multos se conuenisse cùm Romam proficisceretur Episcopos, à quibus vnam eandemq; doctrinam acceperit. Affirmat se Romam Aniceti tempore peruenisse. Multa in idololatras scripsit, quòd tumulos mortuis templaq; facerent. Et ad summam peruenit ætatem.

Ante Annos 1411. *qui fuit* CHRISTI 154.

PHILIPPVS, vrbis Gortynæ, Cretensis Episcopus, non obscura familia natus, & sacrarum literarum studijs eruditus, pro fide nostra decertans præclarum contra Martionem ædidit volumen.

Ante Annos 1403. *qui fuit* CHRISTI 162.

S. MELITO, Asianus, Sardensis Episcopus, Fron-

Frontonisque Oratoris discipulus, eximius veræ pietatis propugnator, qui diuitijs genere, gloria & sapientiæ studijs præclaram consecutus famam. Apologeticum pro religione Christiana M. Antonino Vero Imperatori obtulit. Huius ingeniū Tertullianus mirum in modum laudat, dicitq; à plerisque nostrorū Prophetā habitum esse. Præterea Melitonis liber circumfertur de Politia & Prophetis, item de Ecclesia. Alius de die Dominico. Alius de natura & figmento hominis inscriptus. Item de obedientia fidei, de Sensibus eorumq; sedibus. Alius præterea de Anima & corpore. Rursus de lauacro & veritate. De fide & Natiuitate CHRISTI. Insuper de prophetia & hospitalitate. Item is qui dicitur Clauis. De Diabulo. De Apocalypsi Ioannis. Eclogarum quoque seu de scripturarum compendijs ad hos accedit Volumen.

Ante Annos 1402. *qui fuit* CHRISTI 163.

S. THEOPHILVS, Antiochię sextus ab Apostolis Episcopus, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras Scripturas diligenter & fœliciter perceperat, acerrimè contra Ponticum Marcionem depugnauit, erroremq; eius & fraudem in publicum produxit: quod ex libris eius qui adhuc aduersus Marcionem circumferuntur satis apparet. Extant quoque eius scripta alia diuinis referta doctrinis, Ad Autolycum Institutionum libri tres. Et contra Hermogenis hæresim liber, in quo multis vtitur testimonijs ex Apocalypsi Ioannis. Ex Indiæ demum partibus ad sedem suam reuertens, cùm plura viuens miracula patraret, in CHRISTO plenus dierum requieuit.

Ante Annos 1400. *qui fuit* CHRISTI 165.

S. APOLLINARIS, Hierapolitanæ in Asia Ecclesię Antistes, eloquētia nobilis, apostolicaq; doctrina insignis. Innocentis hic vitæ & sanctus pastor, illustre de CHRISTI fide nostrā religionē defendens M. Antonino Cæsari volumē tradidit. Nam vir eximius, ad diuinæ cognitionē doctrinæ, profanas etiam disciplinas adiecerat. Inter alia quoq; scripturarum monimenta suarum quinque libellos, in quibus cum Græcis seu Gentilibus

agit ſcito ſermone produxit. Scripſit & in Cataphrygas, qui tum cum Priſca & Maximilla inſaniebant, vaticinantes aduentum Spiritus ſancti non in Apoſtolis, ſed in ſe traditum fuiſſe.

Ante Annos 1 3 9 9. qui fuit CHRISTI 166.

S. DIONYSIVS, Corinthi Antiſtes, ſummæ eloquentiæ & induſtriæ vir, non ſolùm pio & ſancto labore eis qui curæ eius fuerant commiſsi, ſed etiam qui in longinquis eſſent regionibus plurimum profuit, omnibus ſe facilem præbens. Inſtructus Pauli Apoſtoli doctrina, facilimè alios in officio continebat. Scripſit ad Lacædemonios Epiſtolam de pace & vnitate. Aliam ad Athenienſes, in qua Dionyſij meminit Areopagitæ. Tertiam ad Nicomediæ Eccleſiam, in qua Marcionis hæreſim vehementer impugnat. Ad Gortynios etiam & reliquas per Cretam Eccleſias, in quibus de caſtitate & coniugio multa refert. Ad Soterem quoque Romanæ vrbis Pontificem ſcribens, de Epiſtolis ſuis callidè ab hæreticis deprauatis conqueritur. Eſt etiam Epiſtola eius ad Chryſophoram fidelem ſororem fœminam ſanctam.

Ante Annos 1 3 9 2. qui fuit CHRISTI 173.

ASIANVS, Sardienſis Epiſcopus, qui ſacras atque profanas literas ſummè didicerat, volumen fidei & rationis plenum, noſtri dogmatis aduerſus Gentes defenſionem continens, M. Aurelio Antonino Vero Imperatori obtulit.

Ante Annos 1 391. qui fuit CHRISTI 174.

S. IRENÆVS, Lugdunenſis ciuitatis in Gallia, quam Rhodanus præterfluit Epiſcopus, Photiani ſucceſſor, in tenera ætate Polycarpi auditor, quem Tertullianus omniũ doctrinarum curioſiſsimum explanatorem nominat, Apoſtolicæ vitæ, vir arcana & myſtica Diuinarum ſcripturarum interpretatione altus & ſublimis, fidei ꝓpagator acerrimus, mirè veterũ hęreſeon impias ac portentoſas opiniones, Valentini ꝑcipuè retexit & cõfutauit, multa variaq; memoriæ digna relinquẽs monumẽta. Quinq; eius extant libri quibus titulũ dedit Confutatio & euerſio falſò nominatæ ſcientiæ. Aduerſus Florinum & Blaſtum quoque Romæ

Romæ rei Ecclesiasticæ hostes iudicatos, qui casu quodam à petitione presbyteri excidentes, zelotypia quadam & æmulandi studio Marcionis errori inuoluti, Ecclesiasticas sanctiones deprauare conati sunt, duas scripsit Epistolas: & alteram quidem ad Blastum de schismate & dissidio, alteram verò ad Florinum de Monarchia, siue DEVM non esse authorem malorum inscripsit, quod is propugnator eius erroris fuisse sit visus. Qui deinde propter variantem sententiæ instabilitatem, etiam in Valentini hæresim protractus, causam Irenæo præbuit, vt is aliud componeret opus, cuius titulus est de Ogdoade seu Octonario, in quo se primam Apostolorum successionem attigisse ostendit. Ædidit & volumen de Pascha ad Victorem Pontificem Romanum. Et alium de prædicatione Apostolica librum. Ex Epistolis eius quas vel ad vicinas Ecclesias eas confirmans, vel ad fratres quosdam eos instruens & docens dedit, puritas doctrinæ eius colligi potest. Sub Seuero in quinta post Neronem persecutione iam grandæuus, omne tormenti & afflictionis genus expertus, Lugduni iiij. Calend. Iul. coronam immortalitatis reportauit.

Ante Annos 1390. *qui fuit* CHRISTI 175.

S. MILTIADES, cuius Rhodon in opere suo quod aduersum Montanum, Priscillam Maximillamq; composuit recordatur, vir eximius, qui ad diuinæ doctrinæ cognitionem profanas etiam disciplinas adiecerat, Catholicæ religionis contra hæreses propugnator inuictus, Montani opiniones redarguit, & sapientissimus aduersus easdem doctè scripsit: alia porrò studij diligentiæq; suæ de rebus sacris monumenta relinquens. Vnũ siquidem librum ad Græcos, alterum verò ad Iudæos per quàm eruditè composuit, sed & tertium ad Principes scripsit, defensionem pro ea quam complexus est religione instituens.

Ante Annos 1387. *qui fuit* CHRISTI 177.

S. MODESTVS, vir in Græcis iuxta & Christianis disciplinis præclarus, castitatis decus & ornamentum, aduersus hæreticorum phalanges fortiter rem gessit, & contra Marcionis prædonum more structas insidias, sub M. Antonini Cæsaris imperio constanter decertauit, ac præ cæteris maximè impo-

ſtutas eius & deprehendit & redarguit,luculẽtum aduerſus eundem librum conſcribens.

Ante Annos 1386. *qui fuit* CHRISTI 179.

APOLLONIVS, vir diſertiſſimus,non minus vita quàm eloquentia inſignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobiliſsimus,cõtra Montanum volumen prudenter & doctè compoſuit.

Ante Annos 1384 *qui fuit* CHRISTI 181.

THEODOTION, genere Aſianus, ex Epheſo Iudæus, Tatiani Philoſophi cùm adhuc fidelis eſſet diſcipulus, vir certè vndecunq; doctiſsimus, & diuinarum ſcripturarum tertius interpres,ad Chriſtianiſmum conuerſus,pro laude noſtræ religionis, veteris Teſtamenti libros ex Hebræo in Latini ſermonis elegantiam conuertit.

Ante Annos 1380. *qui fuit* CHRISTI 185.

SERAPION, ex Anachoreta, poſt Maximinum Antiochenæ ad orontem Eccleſiæ, octauus ab Apoſtolis Antiſtes, vir tum profanarũ tum ſacrarum literarũ peritiſsimus, præterea verò hæreticis refellendis exercitatiſsimus, aduerſus Montanum inſigne volumen ædidit, fabuloſas eius doctrinas & opiniones ſatis refellens. Scripſit & pro fide noſtra cõtra Iudæos.

Ante Annos 1377. *qui fuit* CHRISTI 188.

S. APOLLONIVS, Senator Romanus, vir eloquẽtiſsimus,Orator inſignis,à ſeruo proprio ob CHRISTI fidem accuſatus, cùm inſigne volumen primus Latinorum Romana lingua, quod de religione noſtra piè conſcripſerat, L. Aurelio Antonino Commodo Imperatori obtuliſſet, atque Senatui prælegiſſet, ex Senatus conſulto xiiij. Calend.Maij capite damnatus eſt.

Ante Annos 1375. *qui fuit* CHRISTI 190.

SYMMACHVS, natione Samaritanus, Iudæorum proſelytes, quartus diuinarum ſcripturarum interpres,

poſt

post Theodotionem, Sacra Biblia, ex Hebræo, in Græcum transtulit eloquium.

Ante Annos 1370. qui fuit CHRISTI 195.

RHODON, genere Asianus, Tatiani Romæ auditor quondam atque discipulus, omni genere doctrinæ & sapientiæ clarus, Marcionis assimulatam ac dæmoniacam opinionem scripto refutauit, authores dissectionis accuratè recensens. Feruntur præterea varij eius libri in Hexaëmeron. In Cataphrygarum quoque hæresim inuectus est acerrimè pro Catholica decertans religione.

Ante Annos 1366. qui fuit CHRISTI 199.

S. MAXIMVS, qui vetustate inter Ecclesiasticos scriptores facilè primas obtinet, in Lybia ortus, egregium de fide & vita Christiana specimen ac studium complectens, super quæstione illa, quæ hæreticis in ore est, vnde sit malitia: & item de eo, quòd materia creata sit, solutiones atque decisiones ædidit.

Ante Annos 1360. qui fuit CHRISTI 205.

S. HERACLITVS, Græcus, vir diuinus, Ecclesiæ Doctor insignis, vita & sapientiæ studio pollens, primus in Apostolum Commentarios scripsit.

Ante Annos 1358. qui fuit CHRISTI 207.

S. CLEMENS, Presbyter Alexandriæ beatissimus, insigni spectataque virtute præditus vir, qui à volumine quod conscripserat στρωματεὺς seu contextor cognominatus est, Pantæni auditor, cui & post mortem succedens Ecclesiasticam Alexandriæ scholam rexit, quam eo tempore Origenes adhuc puer frequentauit; plena eruditionis & eloquentiæ insignia volumina reliquit, è quibus Stromatum, id est, varietatum libri octo eius ferũtur, & totidem quos dispositionum seu informationum vocat. Scripsit quoq; ad Gręcos siue Gentes librum exhortatorium, & tres alios libros quos Pædagogos nominat. Aliũ item lectu dignum & doctè compositũm, cui titulus est: Qui diues saluus fiat. Præterea scriptum aliud, in quo de Paschate disserit. Item Homilias

Homilias de ieiunio. De obtrectatione. Rursum cohortationem ad patientiam. Alium quoq; ad recens illuminatos. Insuper eum qui Ecclesiasticus canon ab eo est inscriptus, & quem contra iudaizantes ad Alexandrum Episcopum dedit.

Ante Annos 1353. *qui fuit* CHRISTI 212.

Q. SEPTIMIUS Florens Tertullianus, Presbyter Carthagine in Africa ortus, patre Centurione Proconsulari, quem Hieronymus primum post Victorem & Apollonium inter doctos Latinos cōmemorat. Vir legum & institutionum Romanarum peritissimus, scriptorum nobilissimus, Christiano planè animo pro fide nostra decertauit, & aduersus hæreses depugnauit, Ecclesiæq; statu & morib⁹ receptis, alijsq; quæ vel scriptis vel sine scriptis à maioribus accepisset in literas relatis, libros plurimos posteritati reliquit. Scripsit enim de cōtinentia. De persecutione. De ieiunio. De monogamia. De ecstasi libros. De ꝑscriptione aduersus hæreticos volumē. Apologiam pro fide ad Senatum Romanū. Inuectus est & in Iudæos, Montanum, Hermogenem, Valentinianos, Praxeā & Appollonium. Vidi ego Hieronymus inquit, Paulum quendam Concordiæ, quod oppidum est Italiæ, qui se beati Cypriani Notarium, cùm ipse admodum adolescens esset, Romæ vidisse diceret: referretq; Cyprianum nunquam absque Tertulliani lectione vnam diem præterijsse, verba ista vsurpantem: Cedo Magistrum, Tertullianum videlicet designando. Is verò, cùm vsq; ad mediam ætatem Presbyter mansisset, inuidia deinceps & contumelijs clericorum Romanæ vrbis, quod eloquentia admodum polleret, ad Montani doctrinam lapsus, contra Ecclesiam volumina composuit. Vixit autem ad ætatem decrepitam.

Ante Annos 1346. *qui fuit* CHRISTI 219.

S. HIPPOLITUS, Portuensis Episcopus, veræ pietatis propugnator inuictus, quum alijs rebus vir bonus, tum quoduis adire discrimen propter DEUM promptus & paratus, æditis libris adulterinas de CHRISTI fide hæreticorum opiniones prodidit. Tùm de Paschate librum composuit. Scripsit & volumen in Hexaëmeron: & aliud post Hexaëmeron refutatoriū

contra

contra Marcionem. In Cantica Canticorum. In partes Ezechielis. Opus contra hæreses omnes longè vtilissimum. De aduentu Antichristi. De resurrectione,& alia plurima: In Zachariam. De Psalmis. In Esaiam, In Danielem. De Apocalypsi. De Prouerbijs. De Saul & Pythone. De laudibus Domini nostri IESV CHRISTI. Anno demum Saluatoris ccxxxv. exul deportatus in Sardiniam iiij. Calend. Octobr. martyrij palmam retulit.

Ante Annos 1344. *qui fuit CHRISTI* 221.

AMMONIVS, Philosophus Alexandrinus, præceptor Origenis, vir diuinarum literarum Græcarumq; disciplinarum, nec non artis Oratoriæ atq; Philosophiæ egregiè peritus, Christianus, & Christianis parentibus educatus, quem falsò Porphyrius à veræ pietatis instituto ad peregrinam religionem transijsse accusat, ad extremum vsque spiritum constanter persuasionem fidei in CHRISTVM retinuit. Quemadmodum id lucubrationes eius, quibus magnam laudem & gloriam est consecutus, manifestò testantur, præcipuè verò & commentarius eius qui de Mose & IESV consonantia est inscriptus. Excogitauit & Canones Euangelicos, quos postea secutus est Eusebius Cæsariensis.

Ante Annos 1337. *qui fuit CHRISTI* 228.

MINVTIVS Fœlix, Romanus, insignis patriæ causidicus, præcellentis ingenij & doctrinæ vir, Dialogum scripsit, in quo Christianum & Ethnicum disputantes inducit. Composuit quoq; insigne contra Mathematicos volumen.

Ante Annos 1334. *qui fuit CHRISTI* 231.

AMBROSIVS, Græcus Diaconus, Origenis auditor atque discipulus, vir quum confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, quòd primò Valentini infectus hæresi fuisset, vel (vt Hieronymo placet) Marcionis, ab Origene conuictus, veritatisq; luce illustratus, pro syncera fidei doctrina gratias agens, ad præceptorem grande volumen scripsit.

Ante Annos 1333. *qui fuit CHRISTI* 232.

ORIGENES, qui & Adamantius, quem Ale-

xander Episcopus Hierosolymitanus per manuum impositionem Cæsareæ Philippi in Presbyterorum ordinem legit, Clementis Alexandrini quondam auditor atq; discipulus, qui decimo Seueri Pertinacis Anno, persecutione in Christianos mota, Leonida patre interempto, quem ipse adolescens nondum sedecim annos natus ad martyrium literis adhortatus est, (inter alia verba ista vsurpanté: Sustine, & ne quid alterius sententiæ aut consilij nostra causa capias vide) cum sex fratribus & matre vidua, quòd patrimonium omne fisco imperiali illatum fuerat relictus, diuino ei succurrente numine, incredibile consecutus est auxilium, Grammatica sibi ac suis victum quæritans. Porrò decimum octauum egressus annum, scholæ Catechistes in vrbe Alexandrina profectus, innumeros habuit auditores, quorum animis ita diuinum fidei verbum inseuit, vt ex eis quidam persecutionum temporibus martyrij coronis sint illustrati. Tanti autē ingenij fuit & doctrinæ, vt septem Notarij sibi inuicem succedentes homini vix sufficerent. Librarios habuit totidem, & puellas apprimè eruditas, quos omnes ingenij copiam & vbertatem effundendo defatigabat. Tanta disciplinis tradendis inerat facilitas & elegantia, quòd multos etiam Palæstinæ docens haberet discipulos. Nulla eum lingua, nulla literatura latebat: Dialecticam & Geometriam, Arithmeticam, Musicam, Grammaticam & Rhetoricam, omniumq́ue Philosophorum disciplinas summè didicerat, sacras scripturas ab ineunte ætate assecutus. Et quidem eò vsq; accuratam sacrorum oraculorum inquisitionem & studiū produxerat, vt Hebraicam etiam addisceret linguam, & Hebraicos libros ad prima exemplaria descriptos conquireret: insuper etiam omnes translationes eorum qui sacras scripturas verterunt inuestigaret. Mammæa Alexandri Cæsaris mater, celebritate famæ Origenis permota, explorare atque cognoscere in diuinis rebus ab omnibus laudatam cognitionem & prudentiam eius cupiens, cùm Antiochiæ esset, virum eò ad se honesto militaris manus satellitio & comitatu accersiuit. Ibi ille satis diu mansit, cumq́ue eam doctrina sua ad diuini verbi Christianæq́ue disciplinæ amorem excitasset, ad consuetum sibi inde scholæ suæ laborem est reuersus. Quantus eidem fuerit ardor contra eos qui peruersa & peregrina induxerunt dogmata diuina scripturarum eius monumenta

menta declarant. Nam & Hebioneorum hæresim, qui CHRISTVM purum hominem esse dicebant impugnauit, & Helchesetarum hæresim sustulit. Scripsit item in Celsum Epicureum Christianos impugnantem. Literas quoque de fide ad Philippum & Seueram eius vxorem dedit. Extat eius & ad Fabianum Romanæ Pontificem Ecclesię de ordine fidei Epistola. Germanum Presbyterum Antiochenum, & Berillum Arabiæ Episcopum ab hæresi ad veritatem reduxit. Traduxit etiam sua doctrina ad veram fidem Ambrosium quendam Valentiniani dogmatis imitatorem. Scripsisse Origenem ad sex millia volumina librorum Hieronymus refert. Alexandriæ quidem conscripsisse dicitur in Euangelium Ioannis libr. vj. In totum Euangelium libr. xxij. Præterea in Threnos Tomos ix. In Genesin xij. Expositiones in viginti quinque primos Psalmos. Libros itidem de Principijs, & quos inscripsit στρωματεῖς seu contexta. Porrò cùm in Palæstina esset lucubrationes in Esaiam & Ezechielem composuit. Cantica verò Canticorum decem Tomis absoluit. Quinque verò Euangelium Matthæi. Commentatus quoque est in xij. Prophetas. Et cùm nihil non in sacris literis exponere vellet, à diuina sententia & gratia delapsus, alienas opiniones Sathana instigante induxit. Hinc ab Ecclesia proscriptus, Alexandria relicta in Iudæam est profectus, vbi pòst Anno CHRISTI cclxj. ætatis verò suæ lxx. deficiens, apud Tyrum sepelitur.

Ante Annos 1330. *qui fuit* CHRISTI 135.

BERYLLVS, Bostrensis in Arabia Episcopus, vir doctissimus, qui elegantia & vtilia multa post se scripta reliquit: quamuis ab Ecclesiastico primùm canone alienas proferret opiniones, ab Origene tamen firmis atque grauibus argumentis conuictus, demonstrationibusque certis persuasus, synceram veritatis doctrinam, pristinumq́; sanæ sententiæ complectitur habitum, insigni volumine Origeni pro sana doctrina gratias agit. Extat Dialogus Origenis & Berylli, in quo Beryllum hæreseos arguit.

Ante Annos 1329. *qui fuit* CHRISTI 236.

S. ALEXANDER, Cappadocum Episcopus,

Ante Annos 1326. qui fuit CHRISTI 239.

S. DIONYSIVS, Alexandrinæ vrbis Episcopus sub Heracla, cuius in Pontificatu successor fuit, scholam κατηχήσεων Presbyter tenuit, Origenis valde insignis auditor, Philosophus, Rhetor atque Theologus suæ ætatis clarissimus, & cùm alijs in rebus vir magnus, tum certaminibus ac periculis pro pietate subeundis maximè spectatus. Quòd pro fide contra Hæreticos causam dixisset, in regionem cui nomen Cephro, & locū Colythium dictum exul est deportatus. Nondum pace Ecclesijs à Galieno reddita, de pœnitentia & baptismo, alias quoque de Paschate composuit Epistolas. Quarum vnam quidem ad Flauianum dedit, aliam ad Dydimum & Domitium. Aliam rursus ad Presbyteros Alexandrinos, atque diuersas alias ad alios scripsit. Pace porrò exorta, ab exilio Alexandriam redijt. Ibi seditione & tumultu ciuili excitato, quoniam Episcopali munere fungi non potuit, fratribus in alterutram partem, factionis inclinatis, ipsis Paschæ ferijs ex ipsa Alexandria veluti exul per literas cum eis est collocutus. Dedit quoque ad Hieracem Ægyptiū Episcopum Paschales literas, in quibus seditionis Alexandrinæ mentionem facit. Deinde cùm iam in ea vrbe pacatiores essent res, Dionysius ad fratres in Ægypto Paschalem Epistolam & rursus alijs alias scripsit. Circumfertur etiam eius de Sabbato scriptum, & aliud de exercitio: & ad Hermanionem fratresq; Ægyptios literas scribens, inter alia de Decio & Gallo, prauisq; eorum moribus pleraque commemorat: & tranquillitatis quæ sub Galieno fuit, mentionem facit. Ad hæc duos libros de promissionibus composuit, quibus argumentum præbuit Nepos: hæc inter cætera cōmemorans, se in Arsenoite fuisse, vbi huiusmodi emerserit hæresis: ibique omnibus Ecclesiasticis atque alijs item viris p̄sentibus, tribus continuis diebus de Nepotis doctrina, libro eius proposito, disseruisse. Sunt & plurimæ diuini eius viri Epistolæ contra Sabellium, ad Ammonem Beronicensem Episcopū, item quæ ad Telesphorum, & ad Euphranorem, & rursum quæ ad Ammonem & Euporum est scripta. Composuit præterea in eodem argumento libros quatuor ad cognominem sibi Romanum Episcopum. Insuper aliæ plures sunt Epistolæ, & orationes prolixæ

inter Epiſtolas cõnumeratæ: ſicuti quas Timotheo puero conſcripſit, inſcriptionẽ habentes, De natura. Sicuti etiam eſt ea quam ad Euphranorem compoſuit, De tentationibus. Ad Baſilidem autem Eccleſiarum Pentapolitanarum Epiſcopum ſcribens, ab initio commentarios ſe compoſuiſſe indicat in Eccleſiaſtem. Scripſit itidem contra Paulum Samoſatenum & Manetem, qui eo tempore extiterunt. Cùm autem ad multam perueniſſet ſenectutem xij. imperij Galieni Anno, qui fuit CHRISTI cclxvj. Pontificatus verò xvij. in Domino obdormiuit.

Ante Annos 1318. *qui fuit* CHRISTI 247.

S. CYPRIANVS Afer, qui primò glorioſè Rhetoricam docuit, deinde ſuadente Presbytero Cæcilio, à quo & cognomen ſortitus eſt, ad Chriſtianos tranſiens, omnes facultates ſuas pauperibus erogauit. Presbyter primò, ac tandem toti Aphricæ ſacrorum Antiſtes Carthagine præfectus eſt. Eximiæ ſapientiæ & affluentiſsimæ vir eloquentiæ, ſermonibus ſcriptisq; ſuis cohortatorijs permultos ad certamen pro CHRISTO fortiter perferendum confirmans, de laude martyrij ſcripſit. De gratia DEI ſimiliter ad Donatum volumina compoſuit. Præterea de pietate & eleemoſyna libros. De Virginitate. De Sacramẽto calicis Homilias. Rurſum de vnitate Eccleſiæ librum. Alium quoque de Martiali & Baſilide hæreſiarchis. Item contra Demetrianum. Et qui de Iudæis ad Quirinum eſt ſcriptus. De vnctione Chriſmatis opus cùm lectu dignum tum doctè compoſitum. Extant Cypriani ad Cornelium Pontificem Romanum Epiſtolæ, religionis plenę & fidei, ſed illa potiſsimum elegans habetur, qua Nouatum diſcipulum quendam ſuum accuſat & damnat. Nullam ferè diem præterire paſſus eſt ſine Tertulliani librorum lectione, quibus adeò delectatus deditusq; legitur, vt quoties ab amanuenſi codicem poſceret, dicere ſolitus ſit: Cedo Magiſtrum, Tertullianum videlicet deſignando. In Valeriana perſecutione multis prius exploratus cruciatibus, dignitatem Epiſcopalem capitali ſupplicio cohoneſtauit, Anno CHRISTI cclix. Sanctiſsimi viri caluariam in æde Laurentio Martyri ſacrata Norimbergæ reſeruari aiunt.

Ante

Ante Annos 1314. *qui fuit* CHRISTI 251.

S. CORNELIVS, natione Romanus, patre Castino, Romæ Pontifex vrbis sedit Ann. ij. M. ij. D. iij. Non solùm viuens ob vitæ integritatem clarissimus est habitus, sed eũ DEVS etiam cohonestans mirificorum operum patratorem esse ostendit, superstitem simul & defunctum. Nouati de peruersa doctrina pœnitentiæ hæresim damnauit, scriptisq; refutauit. Ad Cyprianũ præterea Carthaginensium Antistitem plures Epistolas dedit. Et corpora B. Petri ac Pauli in alia transtulit loca. Martyrio coronatus est Romæ xix. Cal. Octobr. Anno ccliiij iuxta cœmiterium Calisti via Appia, in prædiolo Lucinæ, prope Harenarium in crypta sepultus.

Ante Annos 1312. *qui fuit* CHRISTI 253.

S. METHODIVS, Olympi Lyciæ vel Pataræ, & postea Tyri Episcopus, fidei Christianæ defensor insignis, omnes sui temporis Pontifices literarum sacrarum scientia, eruditione & doctrina superans, æditis libris in Porphyrium inuectus est. Scripsit alios quoque de resurrectione contra Origenem libros. Tum in Genesim. In Cantica etiam Canticorum commentarios congessit. Circumfertur præterea eius nomine Chronicorum liber & necessarius et vtilis. Sub Valeriano Imp. in Chalcide Græciæ martyrio coronatur.

Ante Annos 1310. *qui fuit* CHRISTI 255.

S. ZENO, Veronensis Episcopus, vir doctissimus, qui pro fide à maioribus accepta contra hæreticos veluti sacræ propugnaculum religionis fortiter depugnauit, de Baptismo, Patientia, Pudicitia, Fide, Spe & Charitate volumina scripsit. De Natiuitate quoque Domini & Maiestate librum. Item de quatuor temporum ieiunio. Præterea de festo Paschatis volumen. De die Dominico. De passione Arcadij Martyris in Mauritania eo tempore perempti libros. Circumferuntur porrò & super Ionam, & in aliquot Psalmos eius commentarij.

Ante

Ante Annos 1309. *qui fuit* CHRISTI 256.

MALCHION, qui prius Antiochiæ Sophisticæ Scholæ Græcarum disciplinarum præerat, & ob sanctam inuiolatamq; in Saluatorem CHRISTVM fidem, singularemq; virtutem & doctrinam ad presbyterij postea dignitatem euectus fuerat, contra Paulum Samosatenum Antiochenum Episcopum, quòd dogma Artemonis instaurare conaretur, insigne volumen scripsit.

Ante Annos 1308. *qui fuit* CHRISTI 257.

S. PONTIVS Diaconus, B. Cypriani quondam auditor & discipulus, exilij quoque comes, cùm ad summã peritiam artium dicendi omniũ peruenisset, neminemq; sibi parem esse passus esset, Philippum Imp. Augustum ad CHRISTVM conuertens, Cypriani præceptoris vitam atque martyrium egregio volumine contexuit. Immortalitatis pro fide coronam in Gallijs apud Cimellam vrbem recepit.

Ante Annos 1302. *qui fuit* CHRISTI 263.

S. GREGORIVS, Neocæsariensis Ponti Episcopus, qui & Thaumaturgos, & Hieromartyr vocatus est, magna vir fama sanctitatis pariter & doctrinæ, qui ab efficacia miraculorũ ædendorum Mirifici cognomen meruit, Græco patre genitus, in fide maximè profecit. Athenis florebat Philosophus nondum Christianus. Inde Berythum venit ibiq; iura docebat. Alexandriæ demum Origeni operam dans, sacras atque profanas literas summè addidicit. Vbi meretricula quæ calumniæ causa ad eum venerat à Dæmone correpta, per orationem eius sanitatem est consecuta. Et lacum quendam de quo fratres duo ingenti contentione decertabant siccum aridumq; reddidit. Iudæũ qui se ex hac vita migrasse simulauerat reuera mortuum effecit. Cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, Metaphrasin in Ecclesiasten conscripsit. Extat eius quoque in Origenem Panegyricus. Et de anima liber ad Tatianum. Huic DEI mater apparens, per Ioannem Euangelistam professionem fidei nostræ scriptam exhibuit.

exhibuit. Ad multam peruenit senectutem, ita vt Diocletiani ætates attingeret.

Ante Annos 1287. *qui fuit* CHRISTI 278.

S. ANATOLIVS Alexandrinus, Laodiceæ in Syria Episcopus, multæ sanctitatis & doctrinæ vir, optimi decessoris Eusebij bonus successor, Præsul doctissimus, & de repub. Alexandrina benè meritus. Præcipua certè laus ei in profana simul & sacra Philosophia, omnibus omnium præclarorum virorum calculis est tributa, vt ei, qui ad summam peritiam proportionis numerorum, Astronomiæ, Dialecticæ, Physicæ, ipsiusque adeò Theologicæ sapientiæ artiumq; dicendi omnium peruenerit, neminemq; sibi parem esse passus sit. Multa is Alexandriæ, Pyruchij obsidionis tempore in ciuili dissensione & famis discrimine, propter annonæ angustiam optimè fecisse ciuibusq; consuluisse traditur. Et rationes finesq; certos Pascha æquinoctiali tempore celebrandum esse ostendit. Arithmeticas institutiones decem libellis composuit. Inuectus est & in Manichæorum hæresim, aliaq; plurima literarum monumenta reliquit, quæ eximij eius studij satis magno sunt documenta.

Ante Annos 1284. *qui fuit* CHRISTI 281.

ARCHELAVS, Episcopus Mesopotamiæ in Syria, Manichæorum hæresim tum vigentem oppugnauit, cùm falsas eorum opiniones ad verbum refellens, tum vitam & mores authorum eius erroris describens.

Ante Annos 1280. *qui fuit* CHRISTI 285.

S. VICTORINVS, Pætabionensis, vel quod alij Pictauiensis Episcopus, omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, qui æquè Græcam ac Latinã nouerat linguam, in hæreses inuectus est omnes, cùm impietatem eorũ refellens, tũ authores eorũ dissectionis accuratè recensens. In Genesim, Exodum, Leuiticum, Abacuc, Ecclesiasten & Cantica Canticorum commentarios scripsit. Alios quoque in Esaiam, Ezechielem & Apocalypsin Ioannis: tristi ac decrepita senectute pro CHRISTO martyrium subiens.

Ante Annos 1274. *qui fuit* CHRISTI 291.

PIERIVS, Alexandrinæ Presbyter Ecclesiæ, qui cùm diuitiarum contemptu, Philosophiæq; & Græcarum disciplinarum scientia, tum sacrarum literarum studio & peritia, publicisq; scripturæ enarrationibus & disputationibus admirationem omnium promeritus est, in Oseam prolixa commentaria scripsit, quæ Romæ in Vaticana reseruantur bibliotheca.

Ante Annos 1269. *qui fuit* CHRISTI 296.

ARNOBIVS, Aphricanus Presbyter, Philosophus clarissimus, & Rhetor insignis, Lactantij Firmiani præceptor, sub Diocletiano Principe Siccæ apud Africam florentissimè Rhetoricam docuit, eloquentiæ professione clarus etiam antequam fidei nostræ mysterijs initiaretur. Qui cùm multa aduersus Christianos esset meditatus, non est ab Ecclesiæ Pontificibus receptus, donec luculentissimos libros contra pristinam religionem æderet, somnijs enim (teste Hieronymo) compulsus CHRISTI fidem susceperat. Cathecumenus itaque septem libellos, & quidem eloquentissimos in Gentiles conscripsit. Præterea commentatus est in Dauidis Psalterium volumen insigne. Cuius scripta in Collegio disciplinæ regularis, quod inter Vvormatiam Vangionum vrbem, & Spiram Nemetum Augustam situm vulgo Franckenthal vocitari solet reseruantur.

Ante Annos 1263. *qui fuit* CHRISTI 302.

S. PHILEAS Ægyptius, ex vrbe Thmuis, Thebaidæ ciuitatis Episcopus, eximius veræ pietatis propugnator, diuitijs, genere, gloria & sapientiæ studijs præclaram consecutus famam, eloquentiæ vi longè alios antecellens cùm prolixè Martyres de egregia eorum in DEVM æmulatione & CHRISTI imitatione laudasset, cōtra verò Iudices malè iudicātes scripto impugnasset, capitali pœna afficitur.

Ante Annos 1262. *qui fuit* CHRISTI 303.

L. COELIVS Firmianus Lactantius, Arnobij

nobij Rhetoris quondam auditor & discipulus, Constantini Magni Cæsaris necessarius, Philosophus & Orator eminentissimus, cùm Rhetoricam Nicomediæ doceret, infrequentia discipulorum motus, quòd id in Græca ciuitate ageret, ad scribendum se contulit: qua in re tantum valuit, vt post tempora Ciceronis ab eo secundus habeatur. Multa scripsit, sed illa potissimum extant, quæ contra Gentiles, De opificio hominis, De ira DEI conscripsit. Circumferuntur & eius de vera & falsa sapientia libri. Rursum is quem de iustitia ad Constantinum dedit. Et qui de vero cultu, vita beata, ac persecutione inscribuntur. Ad Asclepiadem tomi duo. De Paradiso Elegia. Scripsit etiam versibus libros de Paschate atque passione Dominica. In extrema senectute constitutus, Cæsaris Crispi filij Constantini præceptor in Gallia fuit.

Ante Annos 1261. qui fuit CHRISTI 304.

S. PAMPHILVS, Presbyter Cæsariensis, natione Græcus, Eusebij eiusdem vrbis necessarius, eruditione iuxta & vitæ instituto insignis. Cuius vitam & actiones omnes celebrem etiam quam ibi instituit profanæ diuinæq; Philosophiæ scholam, præterea constantem in varijs persecutionibus confessionem & certamina, egregiumq; pro CHRISTI nomine martyrium, Eusebius sororis eius filius, eidemq; adeò charus, vt nomen illi suum imposuerit, copiosè peculiari scripto est prosecutus. Adeò diuinorum voluminũ cupidus fuit, vt magnam partem librorum Origenis sua manu descripserit, quos quidem libros Hieronymus affirmat se vidisse in Bibliotheca Cæsariensi tanta auiditate, vt Crœsi diuitias se consecutum arbitraretur. Apologeticum item pro Origene, & contra Mathematicos volumina confecit. Apud Cæsaream Palestinæ vrbem sub persecutione Maximini Calend. Iun. martyrium pro CHRISTO subijt.

S. LVCIANVS, Antiochenæ Presbyter Ecclesiæ, qui ob vitę continentiã & sacrarum literarum peritiã Nicomediæ Pontificatũ inuitus administrare coactus fuit, cùm Maxi-

minus Augustus, ne subditi sui Christianorum libris erudirentur scholásue publicas frequentarent lege caueret, omni dicendi genere probè instructus, pro fide nostra tres libros conscripsit. Et cùm in præsentia Imperatoris fidem pro qua decertabat mira cum libertate defenderet, in carcerem coniectus, Helionopoli Bythiniæ pro CHRISTO martyrium subijt.

Ante Annos 1259. qui fuit CHRISTI 306.

FL. VALERIVS Constantinus Magnus Imperator, in Britannia patre Constantio Chloro & matre S. Helena natus, ex Cæsarum familia genus ducens, primus Christianorum Augustus, verè pius Princeps, qui tanto in honore sacrosanctum Euangelium habuit, vt ad publicum fidei testimonium palàm Euangelicũ Codicem semper voluerit sibi præferri. Mandauit & priuatis sumptibus sacra Bibliorum volumina describi, eaq; curauit in omnes passim regiones mitti. Effecit præterea, vt & sanctum & vtile pariter Nicænum Concilium cogeretur, quo vel sic suis temporibus Ecclesiæ statum tranquillum redderet. Ecclesias constituit ac stipendijs dotauit: ministros Ecclesiarum ab oneribus publicis liberos esse decreuit, & certum ijs vectigal constituit. Edicto publico gentilium templa subuertit. Vt Sanctorum reliquiæ collectæ iustæ sepulturæ mandarentur edicto cauit. Et ea in summum Pontificem liberalitate fuit, vt & vrbem Romam & mediam Imperij partem ei donaret, vt est in Decret. Gratia. dist. 96. cap. Constantinus. Corporis & animi dotibus cum optimo quoque Principe comparari potuit. Erat eloquentia copiosus & exuberans. Et post susceptum Imperiale nomen omnium nationum iura quæ scripta non erant describi literisque mandari iussit. Græcè & Latinè dogma Basilicum quod hodie Romæ reseruatur ingenti volumine composuit. Et rursus ad Nationum Præsides librum conscripsit. Alium item Confessionum fidei suæ. Item de Synodo Nicæna. Alium de prouidentia DEI. Præterea & contra gentes volumen. Vitæ quoque ad filios instituta confecit. Liberalibus enim studijs vbi per ocium libebat maximè delectabatur. Obijt xj. Calend. Iun. in villa publica Ancyrone Suburbio Nicomediensi in Bythinia,

thinia, dum bellum pararet aduersus Persas, Anno CHRISTI cccxxxvij. Sepultus Constantinopoli in Basilica Apostolorum. Vixit annos plus minus lxv.

Ante Annos 1258. qui fuit CHRISTI 307.

S. DOROTHEVS, Antiochiæ Presbyter, Episcopus Tyri, vir in omni genere doctrinarum apprimè eruditus, adeò studiosus pietatis fuit, vt diuinarum literarum gratia ad Græcam Hebraicam quoq; linguam perdidicerit. Fuit is natura ex ipsa natiuitate eunuchus. Quamobrem illum etiam Imperator vt nouum & insolitum quiddam habentem familiarius complexus, honorem ei detulit, vt Tyri tingendæ purpuræ præesset. Docuit autem populum res sacras pro concione, eiusq; auditorem se fuisse dicit Eusebius Pamphili. Inter cætera scripturarum monimenta synopsim in vitas & obitus duodecim Apostolorum, & septuaginta discipulorum & Prophetarum maiorum ac minorum doctissimè confecit. Scripsit & Sermones nouendecim cum vitis S. Patrum Antonij, Sabba iunioris, Euthimij, Athanasij: & de martyrio Sanctorum Eustratij, Auxentij, Eugenij, Mardacij atq; Orestis. Opus præterea monasticum & vtile & necessarium ædidit. Fertur eius nomine (quod Nicephorus refert) historia Ecclesiastica, quæ tamen ad nostram nondum peruenit notitiam. Iuliano Apostata imperij habenas tenente immortalitatis pro CHRISTO coronam accepit.

Ante Annos 1246. qui fuit CHRISTI 318.

S. RHETICIVS, Eduorum Augustudunensis Episcopus in Gallijs, sanctitate & doctrina Præsul insignis, vt Ecclesia incrementa sua caperet mirificè operam dedit. Summa enim prudentia eam administrans, continua doctrina populum ad studium virtutis excitauit. Et ad misericordiam atq; largitionem tam procliuis fuit, vt non modò eis qui in sua diœcesi erant egenis prouidendum duceret, sed etiam vicinis pecuniam multam ad pauperum consolationem mitteret. Vbi Nouatiani blasphemias legisset, arrepto calamo, libellos doctè compositos scripsit, quibus simul certam rectæ fidei professionem, & peruersam Nouati opinionem ostendit.

Ante Annos 1240. *qui fuit* CHRISTI 325.

S. EVSEBIVS, cognomento Pamphili, Cæsareæ Palestinæ Episcopus, Dorothæi Eunuchi viri doctissimi quondam auditor & discipulus, Constantini Magni Cæsaris ob vitæ sanctimoniam & doctrinam eximiam necessarius, ac Bibliothecæ diuinæ cum Pamphilo Martyre diligentissimus inuestigator, cùm Arrianus esset, ad primum Concilium Patrum apud Nicæam habitum accedens errorem deposuit, Patrumq; iussu Symbolum quod Nicænum dicitur composuit Præsul cùm eloquentia tùm multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus. Disciplinis omnibus perceptis, sacrarum maximè literarum in quibus conquieuit scientia enituit, ad Constantij vsque tempora viuens. Et cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, egregiamq; pro CHRISTI honore æmulationem spiraret, libros Euangelicæ præparationis, Ecclesiasticæ Historiæ, in Porphyrium Christianorum hostem acerrimum primus absoluit. Est & aliud eius volumen in quo temporum certam accuratamque rationem digessit, Chronicorum seu Annalium. Scripsit quoque de Constantini vita libros quinque. Edidit & alium ad eundem quem Tricennalem inscripsit. Ad Stephanum item alium de ijs quæ in Euangelijs in dubium seu disputationem vocantur. Apologias item sex pro Origene composuit. Ædidit & de cœtu Martyrum volumen. De vita Pamphili Martyris à quo ob amicitiam cognomentum accepit libros tres; Et alia plura, quæ multum Ecclesiæ afferunt vtilitatis scripta. Arrius hæreticus Collucionistam hunc vocat, quasi condiscipulum, qui secum Lucianum Presbyterum Martyrem Antiochenum sacras literas docentem audierit. Obijt Palestinæ Anno CHRISTI cccxlij.

Ante Annos 1239. *qui fuit* CHRISTI 326.

S. ANTONIVS ille magnus & celebris, quem in Ægypti montibus viuentem, propter virtutis præstantiam germanum clarissimus Imperator Constantinus, frequentibus ad eum datis literis honorans, amicum fecit: genere Ægy-

ptius

ptius, Monachus & Abbas, primas in patria sua partes ferens, in vico cui nomen erat Comia ortus, qui finitimus est Arcadum, quæ apud Ægyptios est Heracleæ. Quoniam tum primum hæreses paulatim liberius se proferebant, vt sibi fratres ab eis cauerent doctrinæque Apostolicarum traditionum constanter insisterent scripto admonuit. Circumfertur & insigne volumen eius quod Melissam, id est, Apiculam inscribi voluit. Sanctissimus hic eremita, cui literis & nuncijs B. Helena se ac filios sæpius commendauit, semel tantùm inter diu post occasum Solis cibum sumpsit. Persæpe biduum quandoque etiam triduum escas non attigit. Cibus ei panis, obsonium simplex sal, præterfluens potum torrens præbuit. Mitis tamen atque humanus vt non magis alius quisquam, & in colloquijs gratiosus maximè, atque item acutus inuictusque fuit. Moritur in deserto Thebaidis ætatis suæ Anno cv. ibidem sepultus. Iustiniano imperante Alexandriam, mox inde Viennam Galliæ vrbem translatus est.

Ante Annos 1238. *qui fuit* CHRISTI 327.

S. HELENA Flauia Augusta, Magni Constantini Cæsaris mater, Cœli Britannorum Regis filia, fœmina incomparabilis fidei & religionis, diuinis admonita oraculis Hierosolymam petijt, vt lignũ crucis perquireret. Difficile id quidem erat, quia ab antiquis persecutoribus eò loci simulachrũ Veneris collocatũ fuerat, vt Christiani Venerem Saluatoris loco adorarẽt. At mulier religione percita, contaminato illo templo diruto, aggereq; exportato, tres sparsim disiectas Cruces reperit. Cùm verò incerta adhuc inquisitio esset, tertia mulieri mortuæ admota, eidem vitam restituit, in signum veræ CHRISTI crucis. Hâc ob rem Constantinus motus, edicto vetuit ne quispiam deinceps eo supplicio vteretur. Nuper cùm Reuerendum in CHRISTO Patrem ac Dominum, D. Georgium Neupeckhium Abbatem Sanctæ Crucis Schyrensem in Bauaria fortè vt fit conuenissem, non exiguam gloriosissimæ CHRISTI Crucis partem cum diplomatibus Patriarchæ Hierosolymitani ex Solymarum vrbe missam ostendit. Nemetum quoque Au-

gusta

gustæ Spirę, in æde D. virgini sacrata, particulæ duę ligni CHRISTIFERI, & pars claui in sumptuosissima atq; magnificentissima Cruce, fuluo metallo, auro obryzo, Iaspide gemmisq; distincta clarissimis, quam Henricus iij. Imperator, cognomento Pius & Niger, Conradi ij. filius, famoso Spirensium templo contulerat, reseruantur. B. Helena Augusta, ad CHRISTI fidem conuersa, Coloniam applicans, S. Gereoni Martyri templum instructu ornatuque magnificè illustratum, cuius tectum auri metallo præstantissimo operiebatur construxit: sed ab Hunnis sub Attila Rege militantibus spoliatum, plumbo nunc vestitur. Helena Christianorum omnium præclarissima parens, Christiani splendoris eximius fulgor, atq; bonarum virtutum certissimum documentum, cùm non minus doctrina, quàm vitæ sanctitate clareret, insigne de prouidentia DEI volumen composuit. Reliquit & de animæ immortalitate commentarium. Alium item de rectè viuendi norma. Scripsit insuper pietatis monita. Carmina Græca, & Epistolas ad diuersos doctissimas. Romæ diem claudens extremum xj. Calend. Iun. Anno CHRISTI cccxxxvij. Venetijs mausoleo Porphiretico in montis Oliueti quod vocant monasterio sepulta est.

Ante Annos 1236. qui fuit CHRISTI 329.

IVVENCVS Presbyter, natione Hispanus, S.R.E. Cardinalis, genere quidem nobilis, sed virtute & doctrina illustrior, princeps suæ ætatis Philosophorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, Sacrarum literarum scientia nemini secundus, tetrauangelia hexametris versibus ferè ad verbum transferens, quatuor libris composuit. Scripsit & quędam eo genere metri ad Sacramentorum ordinem pertinentia.

Ante Annos 1229. qui fuit CHRISTI 336.

S. IACOBVS; cognomento Sapiens, Nisibenæ (sic enim Antiochia Mygdoniæ antea vocata est) nobilis Persarum Ciuitatis Episcopus, vnus ex numero sub Maximiano persecutore Confessorum, & eorum qui in Nicæna Synodo Arrianam hæresim ὁμοουσίου oppositione damnarunt. Præsul vitæ sanctitate, miraculis & CHRISTI confessione spectatus; qui

mortuos

mortuos resuscitans ad vitam reduxit, & patriæ mœnia à Persarum Rege demolita Sapore, precibus ad DEVM fusis restituit. De fide aduersum hæreses omnes xxvj. libros subtiliter & copiosè admodum disseruit. Chronicorum quoq; volumen non minus eleganter quàm doctè compositum reliquit. Vitæ debitum Constantij temporibus soluens, ob ciuitatis custodiam intra Nisibenses sepelitur muros.


Ante Annos 1224. qui fuit CHRISTI 341.

S. SERAPION, θμουίτης Ægypti vrbis Episcopus, qui ob elegantiam ingenij Scholastici cognomen meruit, eruditione & eloquentia vir insignis, doctrinæ fœtus haud pœnitendos Ecclesijs reliquit, ædidit enim aduersum Manichæorum hæresim insigne volumen, cùm opiniones eorum refellens, tum fidei nostræ capita defendens, nec vnquam Constantij minis aut terroribus à confessione veritatis destitit, ad hominem enim profectus, quo eum pacatiorem magno Athanasio redderet, minis tanti Principis è gradu constantiæ nunquam decidit.

S. IOANNES Climachus, Abbas montis Synai, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus ac disertus eloquio, conuersatione deuotus adeoque sanctissimus, ad Abbatem sibi cognominem opus celeberrimum de institutione monachorum scripsit. Sermones & Epistolas plures exhortatorias ad monachos.

Ante Annos 1222. qui fuit CHRISTI 343.

S. PAVLVS, Patriarcha Constantinopolitanus, doctrina & eloquentia vir clarus, magnus Arrianæ persecutor opinionis, pro defensione Trinitatis consubstantialis ad Pontificem & Cardinales vrbis Romæ Sermones xiij. eleganti & puro stylo compositas conscripsit. Et quamuis multitudini vehementer clarus esset, malè tamen ab eis est acceptus qui Nicenæ decreta Synodi oppugnarunt, ac prima statim accusatione quasi non secundum leges viueret sede deiectus, & perpetuo exilio mulctatus, in oppidum quoddam Armeniæ, in so-



litudine situm Cucusum nomine deportatur, vbi laqueo strangulatus, aduersariorum insidijs mortem oppetijt. Post Synodum celebratam, vbi Imperator cognouit quid Paulo Constantinopolitano olim Episcopo accidisset, vt scilicet in exilio ab Arrianis suffocatus enectusque fuerit, translato honorificè corpore eius Constantinopolim, in templo id reposuit, quod Macedonius qui insidiatus illi fuerat construxit.

MARCELLVS, Ancyranus in Galatia Episcopus, elegantis copiosæque elocutionis vir, multa copiose & doctè contra Arrianos scripsit. Feruntur tamen contra hunc Asterij & Apollinarij libri eum Sabellianæ hæresis arguentes. Eiusdem quoque erroris eum Hilarius arguere conatur, quem certè Marcus refellens, se tamen nequaquam cum Iulio & Athanasio sentire ostendit,

Ante Annos 1221. *qui fuit* CHRISTI 344.

S. EVSTATHIVS, genere Pamphylius, Sidites, primùm Berææ Syriæ quæ est ipsa Chaleb, dein Antiochenæ Præsul Ecclesiæ, Philogonij Martyris in Episcopatu successor, veræ pietatis & castitatis propugnaculum, & quasi pudicitiæ margarita, cùm verbum ὁμουσίᾳ subtiliter inquireret, de dolo furentium Arrianorum scriberet, eorumque blasphemiam redargueret, per calumniam à meretricula subornata stupri insimulatus & condemnatus, Pontificatu pellitur. Grauis autem propter illius abrogationem Antiochiæ orta est seditio, vt parum abfuerit, quin eam prorsus euerti atque aboleri contingeret. Vbi enim Imperator Fl. Iulius Constantius cognouit Ecclesiæ seditionem, Eustathium tanquam hominem factiosum eo nomine suspectum habuit, & quendam honoraria militiæ illustris dignitate præditum eò misit, qui cùm tumultum ibi sedaret, tum Eustathium inde occultè abduceret. Itaque ille Thraciam per Illyricum est deportatus, perplacidè calumniam ferens, quod hoc sic præstare iudicaret. Vir rebus omnibus honestus bonusque, & orationibus componendis facundia

dia iucunda ac copiosa, sicut id opera eius testantur, elocutionisque priscæ pondere, sententiarum castitate, verborum eleganti gratia, & pronunciationis vehementia præcipuè pollens. Deinceps verò, infelix illa muliercula graui circumuenta morbo, fraudem detexit, ex opifice enim quodam Eustathio se puerum concepisse, & pecunia ab Arrianis corruptam vt hæc admittere ausa fuisset fatetur. Moritur Eustathius vir DEO plenus Traianopoli Thraciarum in exilio, vbi vsq; hodie conditus est.

Ante Annos 1220. *qui fuit* CHRISTI 345.

THEODORVS Perinthius, Heracleæ Thraciarum Episcopus, elegantis copiosæque elocutionis vir, cùm eloquentiæ vi polleret, diuinæque gratiæ neruis validus esset, varia imperante Constantino scripta verbis & sententijs perquam venustè composita reliquit, maximè verò Commentarios in Matthæum, in Iohannem, in Psalterium & Apostolum.

Ante Annos 1219 *qui fuit* CHRISTI 346.

S. HILARIVS, vrbis Pictauorum Aquitaniæ Episcopus, omnium doctrinarum consumatissimus, ob Catholicam fidem factione cuiusdam Saturnini Arelatensis Episcopi, nam primus Latinorum eloquentiæ suæ gladium strinxerat in Arrianos, quadriennio apud Phrygiam relegatus, ibidem inter alias virtutes mortuum ad vitam reuocauit. Demum ab exilio reuersus, sanioris fidei semina nihilominus sparsit. Italos & Gallos quæ vel fugienda vel expetenda dogmata essent erudiens. Perquam disertus autem Latina simul & Græca lingua fuit, & libros plerosque Romanis conscripsit, qui cùm Arrij opinionem refellunt, tum τῆς ὁμουσίου consubstantialis sententiam grauiter confirmant. Scripsit & contra Dioscorum. Contra Valentem & Vrsatium. In Euangelium Matthæi. De Synodis ad Episcopos Galliarum. In aliquot Psalmos. Contra Auxentiũ. De hęresibus quoq;. Ad S. Iesiũ Spirensem, & S. Victorem Vuormatiensẽ Episcopos, de quodã Euphrate Arriano Episcopo

Agrippinēſi Epiſtolas dedit. Ad Maximum quoq; Moguntinum Præſulem ſcriptum. In vrbem ſuam cùm rediret, non ſine magna ſanctitatis opinione CHRISTI Anno ccclxxj. deceſsit.

Ante Annos 1218 *qui fuit* CHRISTI 347.

S. MAXIMVS, Philoſophus Cynicus, Alexandriæ natus, Patriarcha primùm Conſtantinopolitanus, Moguntinæ deinde ſedis in Gallia Epiſcopus, Nicenæ fidei profeſſor acerrimus, munus Epiſcopale in vrbe Conſtantino cognomine ſuſcipiens & thronum conſcendēs, falſò à quibuſdā accuſatus eſt quòd Apollinaris væcordibus intēperijs agitaretur, omnes factū tale execrantes, confeſtim Maximū Epiſcopali dignitate ſpoliatū atq; excōmunicatum ędibus ſacris eiecerunt. Maximus autē ſede relicta, in plagam Occidentalem diſcedens, nemini quòd coactus throno ceſſerat ſcandali ſiue offendiculi occaſionem præbuit. Neq; enim eloquentia qua plurimum pollebat ad ſuperbiam elatus eſt, neq; inani gloria victus adminiſtrationem Eccleſiæ tantæ expetiuit, ſed ilicò Epiſcopus depoſitum reddidit: neq; labores quos pertulerat, aut pericula quæ aduerſus hæreſes per inteſtinum bellum pugnans adierat prætendit. Moguntiacum porrò diuino nutu in Galliarum ad Rhenum vrbem deductus, dum in fidelium cordibus ſemina veræ fidei iacta Arriana infeciſſet labes, à Catholicis vno omnium conſenſu vrbis Pontifex confirmatus, de fide contra Arrianos prolixis voluminibus Commentaria ſcripſit.

Ante Annos 1217. *qui fuit* CHRISTI 348.

S. IESSIVS, Nemetum Præſul, qui ſub Conſtantio Imp. baculo paſtorali donatus eſt, vir multa ſanctitate conſpicuus, Regibus ac Principibus notus & familiaris, qui ſemper ex eo quo Pontificatum adeptus eſt non ſolùm purè, integrè, caſteque vitam traduxit, ſed quod amplioris cenſetur virtutis, tantæ gratiæ, tantæ ſanctitatis emicuit, vt omnibus veræ perfectionis in ſua conuerſatione præberet exemplum. CHRISTVM vnicum & verum generis humani redemptorem, Nemetibus atque populorum finitimorum conciliabulis annunciauit. Magno animo atque infracto pro Nicæna fide

diſputans,

diſputans, ab Arrianis expulſus, aliquandiu deliteſcere coactus eſt. Et quanquam ad ſedem vnde pulſus erat reuerſus varijs agitatus eſt contumelijs & inſidijs petitus varijs, infracto tamen pectore cauſam CHRISTI pergit ſuſtinere, quoad plures DEVS in Apoſtolico miniſterio excitaret, qui partem oneris in humeros ſuos reciperent. Hunc contra Arrium ſtrenuè rem geſsiſſe, erroremq́; eius & fraudem in publicum produxiſſe ex libris quos conſcripſerat ſatis apparet. Euphratam enim Agrippinenſem Epiſcopum & Synodo condemnauit, & voluminibus prolixis ad fidem veram amplectendam adhortatus eſt.

Ante Annos 1 2 1 6. qui fuit CHRISTI 349.

S. VICTOR, Vangionum Antiſtes, ad quem D. Hilarius Pictauienſis Præſul de Euphrate Agrippinenſi ſcripſit, tum vitæ morumq́; integritate, tum ſanctitatis fama clarus, Nemetum atque Vangionum populos CHRISTI verbo fideliter edocens, acerbiſsimè in Arrij hæreſim ſcriptis inuectus eſt, cui tale relinquitur Elogium.

Victor Vangionum victricia ſigna triumphi
Erexit Præſul non ſine laude, pij.
Semper in æthereа quapropter gaudeat aula,
In qua nec fletus nec dolor vllus adeſt.

Ante Annos 1 2 1 4. qui fuit CHRISTI 351.

S. ATHANASIVS, magnus ille atq; diuinus, cuius Symbolũ in Eccleſijs paſsim legitur, fortiſsimus hæreſium expugnator, Alexandrinæ vrbis Epiſcopus, vir ſanctitate & ſcientia conſpicuus, & ad ſacra peragenda aptiſsimus, feruentis ingenij Præſul, in labore & ſollicitudine Apoſtolicæ functionis occupatus, magno ſe ardore & conatu Arrianis oppoſuit. Per ludum nondum ephæbus à pueris Epiſcopus lectus, epiſcopalia munera ſubijt, ſpecimen in ætate iuuenili ſapientis, ſpectati & ſenilis vir præbens. Apud Imperatorem Conſtantium, Arrianæ hæreſeos defenſorem acerrimum, magiæ accuſatus, atque in Tyri Concilio falſis criminationibus fruſtra impetitus, innocens ſola Iudicum qui & accuſatores erant malitia condemnatus Oriente

 fugatur.

fugatur. Qui quidem fugiens, sub Odilardo potentissimi vetustissimiq; Benedictinæ professionis S. Maximini Treueris Cœnobij tertio Abbate, per integrum ferè octennium in inferiore crypta, ad puteum (quem hæc adhuc ætas Athanasianum vocat) delituit, vbi Symbolum Quicunque vult saluus esse contra Arrianismi asseclas dictauit & scripsit. Græco sermone infinita penè opuscula conficiens. De fide Catholica librum vnum, contra obiecta Arrianorum libellum. Disputationem atq; controuersiam super fide Catholica contra Arrium coram Probo Iudice gentili à Constantino Imp. delegato Laodiceæ habitam. Contra Valentē atq; Vrsatium volumen. Aliud de Virginitate contra gentes, ad Macarium Alexandrinæ Presbyterum Ecclesiæ Cōmentarios. Apologeticum aduersus eos qui calumniabantur quòd in persecutione fugisset. Libellum qui continet mirificam de passione imaginis Domini nostri IESV CHRISTI narrationem, qualiter crucifixa est in Syria, in vrbe quæ Berythus dicitur, temporibus Constantini senioris, & Hirenæ vxoris eius quinto Id. Nouembr. Lexicon quoq; Græcū Athanasij Venetijs in Bibliotheca S. Ioannis & Pauli extare dicunt. Post pericula plura, nec coronas pauciores, cùm xlvj. annis rexisset Ecclesiam vj. Non. Maij Anno Saluatoris ccclxxix. beato fine quieuit.

Ante Annos 1213. qui fuit CHRISTI 352.

S. MACARIVS, monachus Ægyptius, præceptor Euagrij, diuinus prorsus vir, atque in monastica disciplina admirandus, diuinarum prędictionum nō expers, dęmonū industrius expulsor, & prodigiorū sanationūq; promptus & expeditus autor. Adolescens admodū sapientię studijs excelluit, & ob id παιδαριογέρων quasi puerū senilem dicas cognomen obtinuit. Presbyterij dignitatem quadragenarius suscepit, exercitia pietatis omnia ad summum excolens. Mortuum excitauit, vt quendam alieni dogmatis sectatorem ad credendum mortuos resurgere persuasione ea adduceret. Vltra xc. annos vixit. Libri ab eo plurimi & maximè necessarij compositi sunt, inter quos quidam ad Monachos insigni volumine est scriptus. Ædidit & varias ad varios Epistolas.

Ante Annos 1 2 1 2. qui fuit CHRISTI 353.

TRIPHYLLIVS Cypri, Ledrensis siue λευτεῶν@ Episcopus, literarum artibus probè eruditus,& legibus discendis diu Beryti versatus, Præsulum suæ ætatis facilè omnium eloquentissimus ac celeberrimus, in Cantica Canticorum copiosè & accuratè Commentarios composuit.

Ante Annos 1 2 1 1. qui fuit CHRISTI 354.

ACATIVS, quem quia luscus erat μονοφθαλμὸν vocarunt, Eusebij Pamphili in Episcopali functione Cæsareæ Palestinæ successor, cùm à Magistro illo suo sacras leges didicisset, ardoremq; & æmulationem illius referret, facundia venusta & faceta celebris admodum, cùm libros multos non pœnitendos in Ecclesiasten reliquit, tum præceptoris sui vitam pulchrè descripsit.

Ante Annos 1 2 0 9. qui fuit CHRISTI 356.

AVDENTIVS Episcopus Hispanus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, qui paganis & hæreticis constanti semper animo restitit, pro fidei nostræ defensione contra hæreticos insigne volumen,& eruditione & dicendi facultate subtilissimum composuit.

S. EVSEBIVS Emesenus Episcopus, Edessæ Osroenorum claris parentibus ortus, Sacras primùm literas, pòst etiam Græcas disciplinas ab eius loci Magistris didicit. Deinde cum Eusebio Pamphili familiarius agens, atque etiam cum Patrophilo Scythopolita accuratius in sacris literis est eruditus. Constantio Imperatori pergratus fuit, adeò vt eum secum aduersus Persas bellum gesturus duceret, multa namq; diuinum numē prodigia per ipsum edidisse Laodicensis refert Gregorius, qui vitam eius conscripsit. Eruditione & eloquentia spectatus, multa contra Iudæos, Gentes & Nouatianos doctè admodū & eleganter scripsit. Extant & eius ad Galatas libri x. In Euangelia Homeliæ aliquot, nā Rhetor habitus est suo tēpore summus, Theologus

verò

verò opinione omnium celeberrimus. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI ccclxj. Antiochiæ sepultus.

Ante Annos 1207. *qui fuit* CHRISTI 358.

MARIVS Victorinus Afer, vir Consularis, D. Hieronymi præceptor, qui Romæ Fl. Valerio Valentiniano Augusto accuratissimè Rhetoricam docuit, cùm Rhetor omniũ suo tempore celeberrimus sit habitus, nam & ob elegantiam & ingenij magnitudinem ac legendi præstantiam, statuam in foro Traiani meruit: fidei nostræ se tradens, contra Arrium libros more Dialectico scripsit. Item alios contra omnes hæreses. Volumen de sancta Trinitate. Aliud præterea de verbo homousion. Circumferuntur quoq; eius in Paulum commentaria. Et de Trinitate Hymnorum volumina doctissima.

Ante Annos 1202. *qui fuit* CHRISTI 363.

S. GREGORIVS, Sasimorum Cappadocum vrbis, deinde Nazanzi patriæ suæ Episcopus, ex nobili prognatus familia, Athenis eruditus, cum Iuliano Apostata Scholas frequentauit, Præceptor Hieronymi. Adolescens adhuc Athenis Himerij & Prohęresij, qui tum inter Sophistas præcipui erant, deinde etiam Antiochiæ in Syria Libanij auditor & discipulus, postquàm in Philosophicis literis satis versatus esset, ex Origenis & aliorum qui illum præcesserant libris, Sacrarum literarum sententiam addidicit. Quas cùm complexus iam esset, Arrianis strenuè restitit. Episcopali iam in patria dum fungeretur munere, oppida pleraque circumiens, eos qui in religione imbecilli erant confortauit. Potissimum verò Constantinopolim frequentius visens, sententiæ suæ suffragatores in doctrina confirmauit, & postea in eam vrbem legitimè euocatus, (nihil enim Gregorij vita probabilius & sanctius, nihil eloquentia clarius & illustrius, nihil denique eius fide purius & rectius, neque scientia plenius & perfectius inueniri poterat) administrationem Ecclesiæ, ibi multorum Episcoporum concursu & suffragio suscepit, quam tamen breui propter Ægyptiorum Episcoporum inuidiã resignat, & sede relicta, in patriam Nazanzum reuertens, vitam quietam priuatus transigit. Inuectiuas contra Iulianum Apostatam
&

& Græcæ religionis sectatores scripsit. Aduersus Enuomium scriptis inuectus est. Laudauit nuptias & virginitatem. Constantinopolitanos desuper suo elegantissimo docendi genere, in quo Polemonem virum eloquentissimum secutus est, rationibus ab hæresi leuauit. Nazanzi quoque in patria in laudem Athanasij, Cypriani & Maximi Philosophi orationes composuit, aliaq; plurima doctrinis & institutionibus plena opuscula Ecclesiæ DEI reliquit. Decessit sub Theodosio Principe.

Ante Annos 1200. *qui fuit* CHRISTI 365.

S. EPHRAIM vel Efræm, Edissenæ Diaconus Ecclesiæ, eremi cultor insignis, Nisibin patriam habuit, & in Philosophia monachorum exercitatus, breui tantum in lingua Syrorum profecit, vt cùm pietatis exercitio ad summum contemplationis peruenerit, tum splendore, facilitate & suauitate verborũ, nec non densitate & grauitate sententiarum, etiam præclarissimos quosque Grcçorum qui eloquentia antiquitus excelluissent superauerit. Magnus ille & eruditione & virtute Basilius, q Cappadocum metropolim Episcopatu suo exornauit, summopere est virum admiratus, eundemq; eruditionis nomine beatum censuit. Dicitur diuinus Efraym trecentas versuum myriadas cõscripsisse. Postq̃ monasticæ Philosophiæ incumbere cœpit, nunquam commotus esse visus est. Atq; aliquando cùm dies multos pro consuetudine sua ieiunio transegisset, & minister ei cibum afferret, accidit vt ollam frangeret, Efraym verò pudore iuxtà & timore correptũ illum videns, Bono, inquit, esto animo, quandoquidem enim obsonium ad nos venire renuit, nos age ad id accedamus, & ad ollæ fragmenta consedens comedit. Famis tempore pauperibus eleemosyna, quã à locupletibus acceperat distribuenda inseruijt. Syro sermone de Spiritusancto. De pœnitentia. De die iudicij. De celebratione mysteriorum. De contritione cordis. Et de animæ beatitudine Commentarios reliquit. Anno CHRISTI ccclxxvj. vitæ cursum conficiens.



Ante Annos 1199. *qui fuit* CHRISTI 366.

S. DAMASVS, Antonij filius, Egitanensis, Lusitanus, Hispanus, S. R. E. Diaconus Cardinalis, sedit Romæ

Pontifex Ann. xviij. M. ij. D. xj. Pacata Ecclesia, nam in schismate & factione Fœlicis Antipapæ electus, ocio literario delectatus, vitas Pontificum omnium qui ante se fuere conscripsit, easq; ad Hieronymum misit. Composuit & de fide contra Hæreticos volumina. Epistolas varias ad diuersos. Huius velut Notarius fuit D. Hieronymus in adolescentia sua. Pontifex doctissimus & eloquentissimus, qui elegans in componendis versibus ingenium habuit, multaq; & breuia metro ædidit. Versibus elegãtibus Sanctorum corpora eo loci sepulta exornauit ad memoriam posteritatis. Vt Psalmi alternis vicibus in Ecclesia canerentur in fineque eorum verba hæc, Gloria patri & filio &c. ponerentur, instituit. Primus etiam Hieronymi scriptis autoritatem dedit vt in Ecclesia legerentur. Confessionem generalem Sacerdotum ad Altare ante Missarum celebrationem fieri mandauit. Obijt Romæ iij. Id. Decembr. propè Octogenarius Anno ccclxxxv. via Ardeatina cum matre & sorore in Basilica sua, quæ nunc dicitur S. Sebastiani, iuxta Catecumbas sepultus.

Ante Annos 1 1 9 8. *qui fuit* CHRISTI 367.

S. BASILIVS ille, qui ob eloquium singulare & seuerius vitæ institutum Magni cognomen meruit, Cæsareæ Cappadocũ, quæ prius Mazaca vocabatur Episcopus, columna veritatis, ex nobili prognatus familia, Athenis eruditus, cum Iuliano Apostata scholas frequentauit. Ex Philosophia & eremitica vita ad culmen sacerdotij assumptus, nõ solùm Iuliano Apostatę Cęsari & Valenti hæretico auctoritate pontificali restitit, sed & scripturarũ suarũ monimenta vtilia admodũ & profutura Ecclesiæ reliquit. Theologorum eloquentissimus, Athenis Nimerij & Prohæresij cum Gregorio Nazianzeno, deinde etiam Antiochiæ in Syria Libanij auditor & discipulus fuit. Arrianis strenuè restitit. Ab Imperatore Cæsarea Antiochiam euocatus comparuit, causamq; dixit, vbi Cæsar sermonem cum viro contulit, sapientiam nec non rerum omnium ordinem pulcherrimum admiratus. Sed breui aduersariorum calumnijs permotus, in exiliũ eum mittere constituit. Et iam nox aderat, sed de repente filius Valentis in morbum lethalem incidit. Dominica Augusta opem Basilij filio seruandó implorat, Basilius adest, puer meliusculè habet,

bet, puerũ moriturum in vita mansurũ esse pollicetur, si baptismũ sacrum à Catholicis susciperet, Valens id se facturũ recipit, aliter tamen facit. Imperatoris filius moritur. Hinc à familiaribus expugnatus, virum sanctũ ad se accitum exulare iussit. Et iam exilij libellus scriptus erat cui se Imperator subscribere nõ poterat, proinde animo pculsus atq; pauore plenus charta arrepta ambabus eam dilacerauit manibus. Modestus quoq; Præfectus morbo oppressus, pœnitentia & deprecatione culpæ interueniente conualescit. Aderat tum Demosthenes quidam Imperatoris obsonator, qui orbis vniuersi Doctorem carpens barbarè loquebatur: At Basilius subridens, ἐθεασάμεθα inquit καὶ Δημοσθένην ἀγράμματον. Hoc est: En Demosthenem quoque illiteratum vidimus. Et cùm ille magis etiam excandescens minas profunderet, Tuum est, Basilius ait, de delicatioribus iusculorum condimentis curam gerere, Diuina enim dogmata qui aures obturatas habeas exaudire non potes. Magnus ille monachorum multorũ institutor & pater, vir omni sapientia virtuteq; conspicuus, contra Eunomium egregios ædidit libros. Scripsit & volumen de Spiritu sancto. Monachorum instituta. De fide. In plures Psalmos. Contra Sabellianos & Arrium. De libero arbitrio. Epistolam præterea ad non credentes Orthodoxæ fidei.

Ante Annos 1196. qui fuit CHRISTI 369.

TITVS Bostrensis in Arabia Episcopus, vir eruditione & eloquentia clarus, cùm non minus internis animi dotibus quàm externis diuitiarum opibus eniteret, Manetis hæresim libris compositis strenuè depugnauit.

Ante Annos 1194. qui fuit CHRISTI 371.

DYDIMVS Alexandrinus, Doctor & Ecclesiasticus scriptor, D Hieronymi præceptor, Scholę sacrarum disciplinarum Alexandriæ præfectus, nõ modò laudem in ea facultate promeritus est, verùm etiam & omne genus alterius sapientiæ summo excoluerat studio, à teneris annis oculis captus, & ob id etiam primarũ literarum ignarus. Poëticã & Oratoriã perfectissimè didicerat, omnibus sui miraculũ pbens. De Astronomia quoq; & Geometria, numerorumq; pportionibus & cõuenientijs nihil

eum latebat. Quum cæcus esset, literarum notitiam manuum contrectatione assecutus esse dicitur, nam earum formas in tabulas altius exsculptas, sæpius tangendo cognouit. Pro Nicænis decretis pugnans Arrianis restitit, eosque orationis suæ suadela quam vi nulla adhibere videbatur presſit. Reliquit in totum Psalmorum librum varios commentarios. In Ozeam & Zachariam libros quinq;, In Euangelium Matthæi atq; Ioannis non paruos Commentarios. Insuper contra Arrianos. De Spiritu sancto, plurimaq; alia scripta composuit. Circumfertur præterea eius in librū S. Iob volumen. Et rursus septem in Epistolas Canonicas.

Ante Annos 1 1 9 3. qui fuit CHRISTI 372.

S. GREGORIVS Præsul, Nyssenæ lux & ornamentum Ecclesiæ, frater Basilij Cæsariensis, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate conspicuus. Quamuis coniugem habuerit, fratri tamen alijs in rebus minimè cessit. Theologus ex doctrina vocatus. Rhetoricæ eloquentiæ studijs legitimè imbutus, aduersus Eunomium & Apollinarium confutationes scripsit. De imagine & conditione hominis volumen. Constantinopoli præterea in D. Meletium orationem funebrem composuit. Homilias in Cantica & Ecclesiasten ædidit. Scripsit de laudibus Stephani Prothomartyris. Vitam Gregorij miraculis clari, aliaq; insuper plurima opuscula, doctrinis & institutionibus plena, Ecclesię DEI reliquit.

Ante Annos 1 1 9 2. qui fuit CHRISTI 373.

S. PETRONIVS, Bononiensis in Italia Episcopus, vir sanctitate vitæ & monachorum studijs ab adolescentia exercitatus, scripsit vitas Patrum Ægypti. Moritur Anno CHRISTI ccclxxxv.

Ante Annos 1 1 8 9. qui fuit CHRISTI 376.

S. PRISCILLIANVS, Abilæ Episcopus, vir doctissimus atq; humanissimus, tum eruditionis tum sanctitatis fama Præsul insignis, qui factione Hilarij & Ithacij Treueris, à Maximo tyranno cæsus est, multa opuscula, inprimis autem de fide nostra contra Arrium volumen ædidit.

Ante

Ante Annos 1188. *qui fuit* CHRISTI 377.

GVLPHILAS, Gothorum Episcopus, repertis Gothicis literis, vetus Testamentum doctissimè in propriam linguam transtulit.

Ante Annos 1186. *qui fuit* CHRISTI 379.

S. PACHVMIVS Abbas, & fundator Cœnobiorum Ægypti, cùm primùm in antro quodam constanter Sacrę Philosophię incumberet, Angelus cœlitus ei assistens mandauit, vt nouum monachorum cœtum cogeret. Oportere namq; eum qui ritè veriorem irreprehensibili vita repræsentaret Philosophiam, ducem multorum, quibus prodesse posset fieri, eosque certis instituere legibus. His ille dictis tabulam ei dedit, & seipsum vt stola indutus fuerat exhibuit. Humanus maximè & DEI amans fuit, eò amplitudinis progressus, vt res quoq; futuras non ignoraret, quippe quas præcipuè ex continuo Angelorum colloquio cognoscebat. In Thebaide autem Philosophiæ suæ officinam habuit, in quadam insula, quæ Tabenna nominata est. Ingenti erga diuinam Philosophiam amore flagrans, scripsit ad Cornelium Abbatem Epistolam. Aliam item ad Syrum Abbatem. Ad Præpositos Cœnobiorum vnam. Alteram quoq; ad fratres foris operantes. Circumfertur & regula monachorum eius insigni volumine.

Ante Annos 1185. *qui fuit* CHRISTI 380.

S. EVAGRIVS Monachus, Episcopus Antiochenus, Macarij quondam auditor & discipulus, ex Iberibus, qui circa Euxinum Pontum colunt genus duxit, vir sapiens & clarus, inueniendo subtilis & ingeniosus, & in eloquendo quod inuenisset grauis & acer. Morum singulari moderatione fuit, à fastu & superbia maximè alienus. Et sicuti iustarum laudum pręconijs minimè est ad arrogantiam sublatus, ita etiam conuitijs iniustis haudquaquam ad indignationem commotus. Sacras literas sub Gregorio theologo optimè addidicit, nam eius quoque Archidiaconus fuit, cùm ille Constantinopolitanæ præesset Ecclesiæ. Prodigia eadem quæ præceptores eius ædidit. Libri ab eo

H 3 plurimi

plurimi & maximè necessarij compositi sunt, inter quos quidam Monachus siue de practice & operatrice virtute inscriptus est. Quidam γνωστικός, hoc est cognitor siue de eo qui cognitionem est consecutus. Scripsit etiam librum alium qui confutationem seu inuectiuam continet aduersus tentatores dæmones. Item problemata prognostica lx. Et præterea στιχηρὰ, hoc est, versuum duos libros reliquit, alterum ad eos qui in Cœnobijs sunt Monachos, alterum autem ad eas quæ virginitatem colunt sanctimoniales. Vitam quoq; B. Antonij de Greco Athanasij in sermonem nostrum transtulit.

Ante Annos 1184. *qui fuit* CHRISTI 381.

S. AMBROSIVS, Episcopus Mediolanensis, patria Romanus, virtutum arx, fidei Orator sanctissimus, vir grauis, prudens & doctus, priscus Ecclesiæ Doctor, non solùm factis, sed & dictis & scriptis plurimum Ecclesiam DEI fœcundauit, multa veritatis tela contra hostes emisit, & veluti quasdam sagittas in Ecclesiæ aduersarios Epistolas immisit, suosque suis scriptis confirmauit. Mortuo Auxentio Arriano Mediolanensium Episcopo seditio exorta est, cùm hanc reprimere Ambrosius conaretur, qui tum Consularis eiusdem prouinciæ fasces regebat, Ecclesiamque ingressus multa de concordia partium disseruisset, ab omnibus succlamatum est non alteri quàm Ambrosio Episcopatum committi debere, quod etiam factum est. Cuius doctrina & sanctitas quanta fuerit, eius vita ac opera doctissimè & elegantissimè scripta ostendunt. Huic adhuc puerulo in os dormienti apes innocuæ mel & fauos intulerunt. De Ambrosio fertur Dux Stilico sæpe dixisse, perituram Italiam vbi Ambrosius moriatur: nec vanum fuit, extincto enim Ambrosio statim Gothi, Vandali & alij multi Italiam vbique vastarunt. Valentinianus iunior Imperator, Arriana infectus labe, Mediolanum cùm se reciperet, & Ecclesias ibi turbaret, nouas aduersus verum dogma res molitus, Ambrosium in exilium agere volens, militari manu Ecclesiam cinxit. Cæterum vrbis multitudo illi circumfusa restitit, & mortem sibi perferendam potius statuit, quàm vt sic Antistitem suum tractari pateretur. Qua re

Imperator

Imperator indignatus, propalàm è templo Ambrosium exire iussit. At ille libens id inquit non fecero, neque enim lupis ouium caulam prodam, neque blasphemis diuinum templum concedam, quod si necare me vis, in ipsa Ecclesia in me ensem aut cuspidem stringe, perlibenter enim cædem eam tulero. Ea cura & laude præfuit Ecclesiæ Mediolanensi, qua Liguriam ex Consulari potestate antehac gubernarat. Nemetum Augustæ Spiræ, Moguntiaci, quo & Legatus ad Maximinū propter Valentinianum Gratiani fratrem transmissus, quem Maximinus statim à Gratiani morte volebat ad se mitti, prætendens Regij pueri se fore & tutorem & patrem. Treueris quoque exquisitissimas bibliothecas perlustrauit, pro fide Catholica multa sublimiter de Sacramentis scribens. Ædidit & volumina de cura pastorali. De fide ad Gratianum. De pœnitentia. De virginibus. Contra Symachum. Contra Auxentium. De instructione Sacerdotum. De eligendo Pontifice. Ad virginem deuotam. Ad virginem lapsam. De fide contra Arrianos. De vocatione omnium gentium. Precationes præparantes ad Missam. De dignitate Sacerdotali. Aliaq; plurima literarum monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, Anno CHRISTI ccccij. felici fine potitus, in Domino sanctè, multis miraculis clarus obdormiuit, Mediolani sepultus.

OSIVS, Cordubæ ciuitatis in Hispania Episcopus, primus Nicenæ Synodi promulgator, in disputationum argumentorumq; probationibus sanè quàm admirandus, cùm ad sororem suam adhuc Catholicus de virginitate volumen insigne conscripsisset, iam senex tormentis coactus, sub Theodosio à vera fide deficiens, tribus Arrianorum fidei formulis subscripsit.

Ante Annos 1183. qui fuit CHRISTI 382.

S. PHILASTRIVS, Episcopus Brixiensis, vir tam in diuinis, quàm in secularibus literis eruditissimus, B. Augustini familiaris & amicus, cùm Arrij eiusq; sectatorū blasphemiæ per totum nunc orbem diuulgarentur, his fortiter se opponens, insigne contra hæreses omnes volumen ædidit.

Ante

Ante Annos 1182. qui fuit CHRISTI 383.

S. HIERONYMVS Presbyter & Doctor eximius, filius Eusebij viri nobilis in oppido Stridonis, quod à Gothis euersum, Dalmatiæ quondam Pannoniæque in finibus fuit. Puer Romam adijt, literis ibi Latinis, Græcis & Hebraicis imbutus, in Grammatica Donatum, in Rhetorica Victorinum præceptores habuit. Cùm esset annorum viginti, per Liberium Pontificem S. R. E. Presbyter Cardinalis ordinatur. Psalterium per ferias & nocturnas, & horas Canonicas diuisit. Gloria patri &c. in fine Psalmorum cantari instituit. Epistolas & Euangelia, cæteraq; per anni circulum ordinauit. Gregorio Nazianzeno in sacris præceptore est vsus. Totam Galliam permeauit, Nemetum Augustæ Spiræ, Vuormatiæ, Moguntiaci instructissimas bibliothecas requirens. In Treuirorum Augusta S. Hilarij volumen, quod ipsemet in libris ad Iouinianum testatur descripsit, aliquandiu ibidem hæsit, & audiuit cum Rufino, Bonoso & Florentio magistros & dogmatistas. Inter cætera studiorum suorum opuscula, vsq; ad Theodosij xiiij. Imperij annum, à B. Petro sumens exordium, vsque in semetipsum de viris illustribus scribit innumeris. Præterea in libros Apostolorum & Prophetarum Commentarios reliquit. Et cùm literis Hebraicis ita doctus esset vt nemini secundus videretur, omnes veteris Testamenti libros ex Hebræorum traducens in linguam Latinam, singulis Commentaria adiecit. Danielem quoq; Prophetam Chaldaico stylo loquẽtem, & Iob iustum Arabico in Romanã linguã vtrunq; scriptorẽ perfecta interpretatione mutauit. Matthęi quoq; Euangeliũ ex Hebręo fecit esse Latinum. Mentis insuper ac corporis virginitatem prædicans atq; custodiens, solus omnium Romanorum in xvj. Prophetas commentatus est libros. Familiariter diu vixit cum Gregorio Nysseno & Basilio. Senex tandem cum sui seculi mores fastidiret, ad Bethlehem ciuitatem Palestinæ se contulit, vbi animum diuinis contemplationibus cum aliquot suis discipulis impendit. Quadã die aduesperascente, dũ cum fratribus ad sacram lectionem legendam sederet, Leo quidam claudicans monasterium quod ad portam Bethlehem occidentalem construxerat intrauit, fugientibusque cunctis, eum solus S. Doctor excepit, &

leonis

leonis plãtam à sentibus vulneratam inuenit, adhibita ergo cura leo conualuit, & inter eos quasi domesticum animal habitabat, fœnumq; sicut bos comedit. Appropinquante vitæ termino, ætatis suæ Anno xcj. CHRISTI verò ccccxx. prid. calend. Octobr. se super nudam humum collocari præcepit, fratres sacris admonitionibus informãdo, sacram Eucharistiam cum lachrymis suscepit, & prophetæ Symeonis vaticinio decantato, spiritum emisit. Corpus eius in cilicino sacco, quo viuus vtebatur, ante ostium speluncę in qua CHRISTVS fuit natus & in præsepio reclinatus sepultum est. In cuius exequijs cæcus visum recepit, surdus ac mutus audiendi & loquendi facultatem. Hæreticus quidam, qui corpus illud incendio dignũ asseruit, subitò in ligni speciem mutatus, mox fulmine de cœlo descendente combustus est.

Ante Annos 1181. qui fuit CHRISTI 384.

GREGORIVS Bæticus, Iliberi Episcopus, vir & doctrina & pietatis studio insignis, ad cõmendationem fidei nostrę, cùm hæreses vbiq; insurgerent, iam senex de fide volumen composuit.

Ante Annos 1180. qui fuit CHRISTI 385.

S. SYRICIVS, Tiburtij filius, Romanus, S. R. E. Cardinalis sedit Romæ Pontifex, Ann. xiij. M. j. D. xxv. Sanctissimæ hic vitæ & incomparabilis doctrinæ Antistes, cùm multa pro Ecclesiæ Catholicæ sustentatione constituisset, inter cætera quoq; ad Hemerium Episcopum Terraconensem Decretorũ volumen insigne scripsit. Contra Iouinianum & Auxentium libros tùm vtiles tùm necessarios. Obijt Romæ viij. Calend Mart. Anno CHRISTI cccxcviij. via Salaria in cœmiterio Priscillę sepult.

Ante Annos 1179. qui fuit CHRISTI 386.

TICONIVS Afer, vir suæ ætatis eloquentissimus, Rhetor insignis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, cùm hæreses vbiq; insurgerent, & temerario ausu Theodosio imperante in Catholicos irruere præsumerent, de bello intestino tria volumina fidei & authoritatis plena cõscripsit. In Ioannis quoq; Apocalypsin Commentaria reliquit.

Ante Annos 1178. qui fuit CHRISTI 387.

S. OPTATVS Afer, Episcopus Miluitanus, vir diuinus, Ecclesiæ Doctor insignis, vita & sapientiæ studio pollens, pro defensione fidei nostræ aduersum Donatianæ partis calumniam & stylo eleganti & fidei plenos libros ædidit.

THEOPHILVS, Alexandrinæ Præsul Ecclesiæ, Timothei successor, cùm diuinis literis delectaretur, sacras scripturas publicè docens, in Hebræorum lingua desudabat, promptus paratusq; de singulis respondere, & facilè quæ in diuinis oraculis obscura inuenirentur soluere & explicare. Inter cætera scripturarū monimenta ad Epiphanium de hæresibus ingens volumen ædidit. Præterea de Paschate librum. Alium item contra Origenem. Aduersum Antropomorphitas hæreticos volumen. Vltimo Theodosij Anno qui fuit CHRISTI cccxciiij. lethargico morbo correptus Alexandriæ diem obijt.

Ante Annos 1177. qui fuit CHRISTI 388.

SEVERIANVS, Gabalanorum in Syria Episcopus, sententiarum frequentia & diuinitus inspiratorum oraculorum testimonio tantus est habitus, vt ob dicendi vim atq; facultatem alter Chrysostomus nominaretur. Extant eius in Epistolam ad Galatas Commentarij. De Baptismo & Theophaniæ solennitate libelli. De morte innocentum & aliæ plures homiliæ, sub Arcadio Constantinopoli conscriptæ.

Ante Annos 1176. qui fuit CHRISTI 389.

S. IOANNES, Monachus & Presbyter Damascenus, Theodosij Imperatoris amicus & familiaris, vir doctissimus nec vlli sui temporis Theologorum secundus, Medicus insignis, propter excellentiam doctrinæ & vitæ synceritatem apud Constantinopolim prælatus monachorum cōstitutus, libris quatuor de fide orthodoxa conscripsit. Alium item de ijs qui in fide dormierunt, & quomodo sacrificijs ac eleemosynis pro se factis adiuuentur. Sermonē præterea de immaculato corpore Domini quo participamus, Ædidit quoq; librum Sententiarū in quo Gregorium Nazianzenum, Gregorium Nissenum, Dydimū Alexandrinum

drinum imitatus est. Præterea de hæresibus capita centum Historiam Barlaam & Iosaphat. In diuinam scripturam parallelos. Delectos & cătui destinatos canones, tum iambis tum prosa. Libros quoq; medicæ facultatis, quibus morborum causam & medelas describit.

S. HERACLIDES Monachus, & vitæ instituto & doctrina clarus, Sanctorum Patrum Anachoretarum ac monachorum diligentissimus inuestigator, inter cætera opus insigne de vita & conuersatione Sanctorum Patrum in eremo scripsit. cuius titulus est Paradysus.

Ante Annos 1175. qui fuit CHRISTI 390.

VRSVLA Cynosura, doctissima matrona, genere Britanna, Dionothi Cordubensium Principis filia, Græcè atque Latinè omnium bonarum artium peritissima, permulta non sine magna commendatione scripsit. Extant eius de arcanis visionibus volumina. Documenta fidei. Epistolæ quoq; tam ad Doctores Græcos quàm Latinos.

Ante Annos 1174. qui fuit CHRISTI 391.

AVRELIVS Prudentius Clemens, vir Consularis, genere Hispanus, ex vrbe Cæsaraugusta, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, ac Christianæ religionis obseruantissimus, res Ecclesiasticas vario metrorum genere ingeniosè & eleganter composuit. Feruntur varij eius libri in Hexameron. Inuectus quoque est in Symachum idololatram pro Catholica decertans religione. Scripsit præterea in Sabellianos, in Iudæos, in Homuncionitas, in Phantasmaticos, & in Marcionitas. Extat quoq; eius insigne de diuinitate volumē. Aliud de origine peccatorum. De sancta Trinitate volumen. Rursus Historiarum opus insigne. Peristephanon, id est, de coronis siue de martyrio coronatis liber. Et alij plures qui multum Ecclesiæ afferunt vtilitatis.

Ante Annos 1173. qui fuit CHRISTI 392.

FAVTSINVS Presbyter, eximius veræ

pietatis propugnator, vir ſapiens & clarus ingenio, acerrimè in Arrianos & Macedonianos ſui temporis hæreticos eſt inuectus, maximè errorem eorum ſcripturarũ teſtimonijs arguens & conuincens libris ſeptem. Luciferianæ tamen hæreſi in libro quem pro defenſione ſuorum Theodoſio imperante ſcripſerat conſenſiſſe videtur.

Ante Annos 1172. qui fuit CHRISTI 393.

S. PACIANVS, in Pyrinei iugis Barcilonæ Præſul, inſigni ſpectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, Nouatianorum aſsimulatam et dęmoniacam opinionem ſcripto refutauit. Aliaq; plurima literarum monimenta, quæ eximij eius ſtudij ſatis magno ſunt documento reliquit.

S. PAVLINVS, Treuirorum in Gallia Epiſcopus, natione Aquitanus, vir ſanctitate vitæ & doctrina clarus, ſub quo Treuerenſe cui B. Martinus Turonij Galliæ Epiſcopus, Ambroſius & Hieronymus Presbyter interfuerunt, Concilium conuocatur, ſcripſit pro fidei noſtræ certitudine contra hæreticos inſigne volumen. Sepultus Treueris in præpotenti ac magnifico S. Mathiæ Cœnobio in ſubterranea templi crypta.

Ante Annos 1171. qui fuit CHRISTI 394.

S. IDACIVS, Lemicæ Hiſpaniarum vrbis Epiſcopus, multæ ſanctitatis & doctrinæ vir, ſcripturæ fœtus haud pœnitendos Eccleſiæ DEI relinquens, inſigne aduerſus Priſcilianum volumen ædidit. Chronicam præterea & lectu dignam & temporum ſerie iocundam contexuit.

Ante Annos 1169. qui fuit CHRISTI 396.

S. MARTINVS, ex Sabaria Pannoniæ oppido ortus, Turonenſis Antiſtes, vir cùm generis tum militiæ ſplendore clarus, qui in ea ad Rhenum pugna Iuliani militauit, & caſtra hoſtium pro pace tractanda diuinitus reſeruatus,

uatus, in agro Spirensi non procul à Franckenthal incolumis transijt. Cæsarianam diuinæ militiæ postponens. In Illyrico primùm philosophatus, atque inde varijs persecutionibus & insidijs expetitus secedere est coactus, (multos namq; ex Episcopis qui Arrij contagionem conceperant manifestò deprehensos coarguit.) Mediolani secum ipse vixit. Vnde Auxentij eius vrbis Episcopi non rectè de Nicænis decretis sentientis insidias veritus discessit, & se in Insulam mari Tusco contra montes Ligusticos contiguam abdidit, radicibus herbarum victitans. Inde demum abductus, administrationem Ecclesiæ Turonensis suscepit. In tantum verò diuinis resplenduit donis, vt & mortuos ad vitam reuocaret, prodigiaq; & miracula plurima ederet. In Nemetum agro quendam obsessum maligno spiritu liberauit. Et cùm vir esset nemini doctrina secundus, de Trinitate insigne, ad persuadendum eos qui alienas à sana doctrina attulerant opiniones, volumen confecit. Febre correptus in cilicio moritur, Turoni sepultus.

Ante Annos 1168. *qui fuit* CHRISTI 397.

S. DIODORVS, Tarsi & Ciliciæ Episcopus, generosus veritatis athleta, imminentes gregi CHRISTI fluctus dum Presbyter Antiochiæ esset, veluti scopulus quidã quàmprimum in spumam redegit, illegitima dogmata diluens & abolens. Diuinarum literarum Græcarumq; disciplinarum, necnõ artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregie peritus, in Apostolum Commentarios produxit.

Ante Annos 1167. *qui fuit* CHRISTI 398.

S. EPIPHANIVS, Constantiensis in Cypro Episcopus, ex Eleuthropoli Palestinæ, vir non solùm viuens clarissimus fuit, sed eum DEVS etiam cohonestans, mirificorum operum patratorem esse ostendit superstitem simul & defunctũ. Et fama obtinet, quod viuo non euenit, id mortuo accidisse: vt scilicet dæmonibus agitati, multi ad sepulchrum eius accedentęs plaga ea liberarentur. Hęreses omnes elegantissimis voluminibus impugnauit. Scripsit & pro veritate Catholicę ac Apostolicę Ecclesiæ de erroribus Origenis Apologiam. Ad Theophilum Alexandrinum præterea librum, Constantinopoli in Cyprum naui-

gans, inter nauigandum mortuus eſt, quem comites eius melle oblitum, ne quid fortè ingratum corpori accideret in Cyprum detulerunt.

SOEBADIVS, Agenni Galliarum Epiſcopus, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia inſignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobiliſsimus, contra Arrianos volumen prudenter & doctè compoſuit.

Ante Annos 1166. qui fuit CHRISTI 399.

S. MARINNVS, Moguntinæ ad Rhenum Sedis Epiſcopus, veræ pietatis propugnator inuictus, cùm alijs rebus vir bonus & ſanctus, tum quoduis adire diſcrimen propter DEVM promptus atque paratus, æditis libris adulterinas de CHRISTI fide Arrianorum opiniones prodidit, Anno CHRISTI Saluatoris ccccij. ex hac luce ſubducitur.

S. HILDEFONSVS, Toletanæ ſedis Epiſcopus, multæ ſanctitatis & doctrinæ vir, Abbas primùm Agalienſis Cœnobij, optimi demum deceſſoris Eugenij bonus ſucceſſor. Præcipua laus ei in profana ſimul & ſacra Philoſophia eſt tributa, nam metro excellens fuit, & proſa inſignis, ingenio ſubtilis, ſermone diſertus, atque ſuper omnes ſuæ ætatis Antiſtites facundus ac eloquens, vita & conuerſatione ſanctiſsimus. Extant libri eius de ſancta Trinitate. Alij porrò de virginitate B. MARIÆ. Et quem de Miſſa inſcribi voluit. Rurſus de Sacramentis volumen. Et de baptiſmi cognitione Commentarij. Sermones varij. Epigrammata verò plura.

Ante Annos 1165. qui fuit CHRISTI 400.

S. IOANNES, Archiepiſcopus Conſtantinopolitanus, liberorum Theodoſij Cæſaris in baptiſmo ſuſceptor & compater Theologorum eloquentiſsimus Euſebij Emiſſæni Præſulis Diodoriq; apud Antiochiã adhuc Presbyter quondam auditor & diſcipulus, qui propter eloquentiæ ſuauitatem Chryſoſtomi nomen accepit, mellitiſsimus ille cõcionator, Chriſtique præco indefatigabilis, qui Theodorum Mopſueſti Cilicum Antiſtitem,

ſtitem, & Maximum Seleuciæ Iſaurorum Præſulem condiſcipulos ſuos ad CHRISTI fidem relictis præceptoribus Libanio, ſub quo puer Oratoriam didicerat, & Andragatio Philoſopho traduxit. Conſtantinopolitanam iam Eccleſiam gubernans, multos ex Græcæ ſuperſtitionis ſectatoribus, multos etiam ex hæreſibus ſua doctrina pellexit. Scythas ab Arrianiſmo ad Orthodoxiam adduxit. Hunnos ad Chriſtianiſmum pertraxit. Ab Oſroænis Marcionis morbum repulit. Eccleſias Antiochenas ad vnionem reduxit, & Romanum Pontificem Flauiano conciliauit. Generis nobilitate ac vitæ integritate præſtantiſsimus, patrem habuit ducem belli Secundum, matrem autem natalibus alijsq; ornamentis omnibus ſpectatam Anthuſam. Plurima Eccleſiæ DEI ſcripta reliquit. Orationes namque contra Iudæos compoſuit. Dialogos de epiſcopali munere, & libros ad Stagerium. Item alios de incomprehenſibili. Et alios rurſum περὶ τῶν συνεισάκτων, hoc eſt, de puellis nõ matrimonij neq; libidinis cauſa adoptatis ſcripſit. Expoſitiones diuinorũ Euãgeliorũ. ἀνδριάντας, id eſt, Statuas. Conſolationem. Commentarios in Pſalterium. De Virginitate. De miſericordia, & plurimos alios libros ædidit. Homilias verò myſticas in diuinum Apoſtolum & in ſacra Acta, aliaque præterea plurima, feſtos dies & conuentus Eccleſiaſticos varios celebrans condidit. Tandem quod multorum vitia acriter taxaret, à multis odio habitus, re & cauſa indicta damnatus & proſcriptus, ad oppidulum Armeniæ Cucuſum, ad os Ponti in ſolitudine ingenti ſitũ relegatur. Et cùm ab Adulphio Epiſcopo benignè exciperetur atque tractaretur, ab aduerſarijs Arabiſſum abductus eſt. Inde verò Pytiuntem in oppidum, ad finem Pontici maris ſitum. Eò cùm duceretur, & iam ad DEVM migraturus eſſet, noctu ei oranti, qui vitæ eius Duces fuerant, & Petrus & Ioannes aſsiſtentes, cœleſti & ineffabili eum eſca pauerunt, ex quo tempore, nihil poſtea cibi ſumpſit. Obitus eius in eam diem incidit, qua viuificæ Crucis exaltationem celebramus Septembr. Menſis xiiij. Sed plebe Conſtantinopolitana petente, corpus Sancti viri Conſtantinopolim delatum eſt.

S. THEODORVS, Antiochenæ Presbyter Eccleſiæ,

Ecclesiæ, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, aduersus Appollinaristas & Eunominianos opus magnificum, cui de incarnatione Domini titulum fecit, xv. libris prudenter & doctè complexus est.

Ante Annos 1 1 6 4. qui fuit CHRISTI 401.

RVFINVS Monachus, & Aquileiensis Ecclesiæ Presbyter, Historiographus atq; Theologus sui temporis nobilissimus, literarum autor & cultor insignis, Greco & Latino peritus eloquio, maximam partem Græcorum Bibliothecæ, Basilij scilicet Cæsariensis Cappadociæ Episcopi, Gregorij Nazianzeni eloquentissimi hominis, Fl. Iosephi Antiquitatum libros, Eusebij Cæsariensis Ecclesiasticam Historiam, Xysti Rom. Pontificis, Euagrij quoque sententias, & Pamphyli Martyris aduersum Mathematicos volumina in Latinum conuertit eloquium. Præterea de fide sua ad Laurentium Præsulem, opus & lectu dignũ & grauibus Patrum sententijs exornatum confecit. In Ozeam, Iohel & Amos Prophetas Commentarios. Rursus de Sacramentis & benedictionibus Patriarcharum libros reliquit. Sed quia æmulationis studio incitatus in Hieronymum inuectiuas scripsit, inter apocrypha eius scripta recensentur.

Ante Annos 1 1 6 3. qui fuit CHRISTI 402.

S. INNOCENTIVS, natione Albanus, patre Innocentio, S. R. E. Diaconus Cardinalis, sedit Romæ vrbis Pontifex Ann. xv. M. ij. D. xxij. Vir omni doctrinarum genere exercitatissimus, cùm tranquillitate & benignitate Principum Theodosij & Arcadij vteretur, de Iudæis & Paganis, deq; monachis regulas quasdam tulit. Cataphrygas hæreticos vrbe expulit. Decretum Occidentalium & Orientalium Ecclesiarum aduersum Pelagianos datum insigni volumine composuit. Contra Bonosiacos librum ædidit. Et varias ad varios Epistolas. Obijt v. Calend. August. Anno ccccxvj. & in Cæmiterio ad Vrsum pileatum Romæ sepultus est.

Ante Annos 1 1 6 2. qui fuit CHRISTI 403.

S. AM-

S. AMBROSIVS Presbyter, natione Alexandrinus, Didymi cæci quondam auditor atque discipulus, vir omni doctrinarum genere celeberrimus, vitæ sanctitate, miraculis & CHRISTI confessione spectatus, in Apollinarium volumen præclarum scripsit. Circumferuntur eius quoque in Iob commentarij.

S. AMANDVS, Vangionum Antistes, suæ ætatis Theologorum facilè princeps, vir constans & incomparabilis doctrinæ, prophetico dono Apostolicaq; gratia illustris atque conspicuus, aduersus Arrianos doctis voluminibus grauiter & argutè disseruit, cui posteritas hoc Epitaphium reliquit:

Præsul amauit oues proprias & pauit Amandus,
Idcircò Superis semper amandus erit.
Ille DEVM docuit ardenter Amandus amandum,
Et nobis igitur semper amandus erit.

Ante Annos 1161. *qui fuit* CHRISTI 404.

S. AVRELIVS Augustinus, natione Afer, patria Tagatensis, B. Ambrosij in fide discipulus, ex matre S. Monica, patre verò Senatore natus, homo certè omniũ qui tum fuere doctissimus, sanctissimus CHRISTI Sacerdos, Doctorque præcipuus, Hippone in Africa Episcopus, fidem nostram & scriptis & disputationibus maximè tuebatur. Præsul per omnia excellentissimus, CHRISTI & Catholicæ fidei propugnator ac defensor inuictus, luculentissimos de religione scripsit libros, Cõfessionum inprimis xiij. Alium de vera religione. Præterea de moribus Ecclesiæ Catholicæ librum. De Genesi contra Manichæos volumen. Aliud de fide & Symbolo. Rursus de opere monachorum Commentarios. Decertationes aduersus hæreses præcipuè Iudæorũ, Manichæorũ, Priscillianistarũ, Origenistarũ, Arrianorũ, Donatistarũ, Pelagianorũ & Iouiniani. Ædidit & Epistolas de vi corigendis hæreticis, cõtra paganos, de blasphemijs Manichæorũ, de monachis apostatis, de ritibus Ecclesiæ, & alia infinita volumina. Gothi sub Alarico Rege cùm Christianis exprobrarent Romã paganorũ temporibus omniũ rerũ fœlicitate creuisse, nũc verò insolitis periculis expositam esse, mouerunt B. Augustinum

Præsulem, vt libros de Ciuitate DEI xxij. componeret. Eluxerat enim in sanctißimo viro pietas, charitas, mansuetudo, humanitas, ciuilitas, studium gregis, amor concordiæ, & zelus domus DEI: hinc eius doctrina & vitæ sanctimonia toto mundo est decantatißima. Deuotißimus DEI cultor, magnus Doctor Augustinus, Prospero authore, totis illis xl. Annis quibus Episcopum egit in Aphrica, gratiam & beneficia CHRISTI contra Pharisaicę iustitiæ superstitionem & arbitrij libertatem defendit acerrimè. Libris Iuliani Manichęi inter impetus obsidentium Vandalorum, in ipso dierum suorum fine respondens, & gloriosè in defensione Christianę gratiæ perseuerans. Decesßit sanctè ex hac vita v. Calend. Septembr. Anno ccccxxxiiij. vitæ dum annum ageret lxxvj. & nostræ Germanię Vandali, Genserico Duce Orthodoxos Aphricanos grauißimè affligerent. Sacratißimum Antistitis corpus, ob hostiles incursiones ab Hippone in Sardiniam translatum, post annos cc. cùm Vandali prædabundi Africam vastarent, diligentia Luitprandi Longopardorum Regis ex ipsa insula Papiam relatum, in B. Petri Apostoli Basilicam honorificè conditum est.

Ante Annos 1160. qui fuit CHRISTI 405.

S. LINDEGASTVS, Moguntinæ vrbis ad Rhenum Episcopus, non obscura familia natus, & sacrarum literarum studijs eruditus, eximius veræ pietatis propugnator, qui diuina diligenter & fœliciter perceperat oracula, acerrimè contra Arrium depugnauit, præ cæteris maximè eius imposturas & fraudem insigni volumine producens.

Ante Annos 1159 qui fuit CHRISTI 406.

S. AMPHILOCHIVS, Iconij quæ Lycaonię vrbs est Episcopus, Ecclesiæ Doctor insignis, vita & sapientiæ studio pollens, eleganti stylo librum de Spiritu sancto comportauit. Vitam atque miracula Magni Basilij reliquit. Præterea orationes splendidas & expeditas, hymnos verò tum copiosos tum diuinantes confecit.

Ante

Ante Annos 1158. *qui fuit* CHRISTI 407.

S. ANTIOCHVS Præsul, magna vir fama sanctitatis pariter & doctrinæ, qui æquè Græcam ac Latinam nouerat linguam, eximius veræ pietatis propugnator, cùm diuitijs, genere, gloria & sapientiæ studijs præclaram consecutus esset famam, de illuminatione cæci nati librum reliquit. Contra auaritiam porrò duo volumina. Sermones verò ad populum & doctos & elegantes composuit.

S. HESYCHIVS Presbyter & Monachus, B. Gregorij Nazianzeni auditor quondam atque discipulus, vir omni literatura doctissimus adeoque subtilissimus, suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, ad Eutychianum Diaconum insigne volumen, doctè & prudenter in Leuiticum conscripsit.

Ante Annos 1157. *qui fuit* CHRISTI 408.

S. AVSONIVS, Burdegalensis in Gallia Episcopus, vir disputando vehemens & acutus, innocentis vitæ & sanctus pastor, qui Treuerensi Concilio B. Martino Turonensium Antistite, Ambrosio atque Hieronymo præsentibus, interfuit, in labore ac sollicitudine Apostolicæ functionis occupatus, Treueris quidem opus cui Mosellæ titulum dedit, patriæ porrò laudes confecit. Arcadio verùm imperante falsis criminationibus Arrianorum frustra impetitus, obiectis aduersariorum & eleganter & politè respondit.

Ante Annos 1156. *qui fuit* CHRISTI 409.

S. MARCIANVS, Barcilonæ vrbis Episcopus, vir doctissimus atque humanissimus, tum eruditionis tum sanctitatis fama Præsul insignis, eloquentiæ studijs legitimè imbutus, pro fidei nostræ defensione contra Nouatianos insigne volumen, & fidei plenum & lectu dignissimum scripsit.

S. NICÆAS, Romacianæ Ciuitatis Episcopus, vir & moribus & doctrina insignis, diuinarumq; prædictionum non expers, Præsulum suæ ætatis facilè omnium eloquentissimus ac celeberrimus, volumen composuit, cui titulum: Qualiter se debeant agere competentes, qui ad baptismi gratiam cupiunt peruenire, fecit. Alium item de gentilitatis erroribus librũ. Præterea de fide vnicæ maiestatis cõmentarium. Rursus de Symbolo libellum. Et alium de agni Paschalis victima scripsit. Circumfertur eius quoque ad virginem lapsam Epistola, & eleganter & doctè composita.

Ante Annos 1155. *qui fuit* CHRISTI 410.

MACROBIVS Presbyter Africæ, & postea in vrbe Roma Donatistarum occultus Episcopus, Philosophus clarissimus, & Rhetor insignis, antequam à Christiana fide deflecteret, doctissimum de custodia castitatis volumen scripsit.

Ante Annos 1154. *qui fuit* CHRISTI 411.

S. AVDENTIVS, Episcopus Hispanus, non solùm viuens propter vitæ sanctitatem clarissimus fuit, sed & gloria atque sapientiæ studijs præclaram consecutus est famam, eloquentiæ vi longè alios antecellens, qui pro religione à maioribus accepta contra hæreticos, tanquam sacræ propugnaculum religionis fortiter depugnauit, ac de fide præclarum aduersus Manichæos, Sabellianos, & Arrianos, præcipuè quoque Photinianos conscripsit, volumen.

Ante Annos 1153. *qui fuit* CHRISTI 412.

S. SEDVLIVS Presbyter, natione Scotus, Hildeberti Scotorum Archipræsulis quondam auditor atq; discipulus, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectissimus, Franciam, Italiam, Achaiam & Asiam peragrans, cùm nihil non didicisset quòd Theologo absolutissimo necessarium videbatur, atque non minus internis animi dotibus quàm externis diuitiarum opibus eniteret, versibus elegantibus CHRISTI IESV miracula libris quinque absoluit. Incerto præterea

authore

authore quædam illius carmina Ecclesia canit, vt illud Salue sancta parens enixa puerpera regem &c. Extant eius quoq; in Pauli Epistolas Commentarij.

Ante Annos 1152 *qui fuit* CHRISTI 413.

SEVERVS Sulpitius Posthumianus, Aquitaniæ Presbyter, necessarius atq; coniunctus Martini Turonensium Episcopi, & Paulini Nolani, Rhetor insignis, Orator perfectissimus, ob sanctam inuiolatamq; in Saluatorem CHRISTVM fidem, singularemq; virtutem & doctrinam in Presbyterorum ordinem euocatus, ad fidei suæ confirmationem & mundi contemptum Epistolas plures exhortatorias, tam sorori quàm Paulino Præsuli Nolano scripsit. Chronicon ab initio mundi ad sua tempora deductum, lectu vtilissimum ac iucundissimum reliquit. Vitam porrò Martini Turonensium Antistitis tribus voluminibus complexus est.

Ante Annos 1151. *qui fuit* CHRISTI 414.

PAVLVS OROSIVS, Presbyter Hispani generis, patria Tarraconensis, B. Augustini quondam auditor & discipulus, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus. Epitomen Historiarum ab initio mundi, vsq; ad Annum CHRISTI ccccxx. libris septem complexus est, quos B. Augustino dicauit. Et cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, egregiamque pro CHRISTI honore æmulationem spiraret, Apologeticum contra Pelagianos ædidit. De ratione animæ volumen scripsit. In Cantica Canticorum quoque commentatus est. Hic est ille Orosius, qui ab Augustino pro discenda animæ ratione Hierosolymas ad D. Hieronymum missus, rediens, reliquias B. Stephani Prothomartyris tunc nuper inuentas primus intulit Occidenti.

Ante Annos 1150. *qui fuit* CHRISTI 415.

S. LVCIANVS, Hierosolymitanæ Presbyter Ecclesiæ, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate conspicuus, DEO innuente reliquias B. Stephani Prothomartyris, & Gamalielis Pauli præceptoris inuenit, deq; ea re sermone Græco ad

omnes Ecclesias scripsit, quam postea Abundius Presbyter Hispanus Latinam fecit ad Orosium Presbyterum.

Ante Annos 1149. *qui fuit* CHRISTI 416.

S. ISIDORVS Senior, Episcopus Cordubensis, Doctor nō ignobilis inter eos qui de Ecclesiastico dogmate scripserunt, in quatuor libros Regum doctissimos Commentarios reliquit.

S. ZOSIMVS, Habrahami filius, Cæsariensis, Cappadox, Græcus, S. R. E. Presbyter Cardinalis, sedit Pontifex Romæ Ann. ij M. iiij. D vij. Homo certè omnium qui tum fuere doctissimus, bibere in publico clericis vetuit. Ad Carthaginense Concilium Faustinum Episcopum, duosque vrbis Romæ Presbyteros misit, vt ostenderet nil vsquam publicè agi debere sine consensu Ecclesiæ Romanæ. Et cùm confessionis gloria plurimum clareret, de Pascha ad Hilarium volumen dedit Aliud item de Sacerdotio ad Esytium. Epistolas verò plures ad diuersos. Obijt viij. calēd. Ianuar. Anno CHRISTI ccccxix. sepultus via Tiburtina, in Basilica S. Laurentij, extra muros vrbis, iuxta cryptam, prope corpus eius in agro Verriano.

Ante Annos 1148. *qui fuit* CHRISTI 417.

S. MAXIMVS, Thaurinensis Episcopus, Apostolicæ vitæ vir, arcana atque mystica diuinarum scripturarum interpretatione sublimis, fidei propugnator acerrimus, plena eruditionis & eloquentiæ insignia volumina reliquit: è quibus in Apostolorum laudem libri duo eius feruntur, & totidem quos de Ioannis Baptistæ vita conscripserat. In laudem quoq; Eusebij Vercellensis Episcopi, Cypriani, Laurentij atque Stephani Martyrum volumina confecit. Scripsit de Euangeliorum capitulis librum, & tres alios de Natali Saluatoris. Alium item lectu dignum & doctè compositum, cui titulus est, De[illegible]nio seruorum DEI generali. Præterea scriptum aliud, in quo de Hospitalitate differit. Item Homilias de resurrectione & Epiphania Domini. De Pentecoste. De non timendis hostibus carnalibus. De gratias post cibum agendo, & de pœnitentia Niniuitarum. Rursum

ſum de gratia baptiſmi volumen. Alium quoque de eleemoſynis librum. Inſuper eum qui de paſsione Domini ab eo eſt inſcriptus,& quem in Actus Apoſtolorum ad Zoſimum Romanorum Pontificem dedit. Reliquit porrò de auaritia. De defectu lunæ.De verbis Eſaiæ.De ieiunio quadrageſimæ.De Iudæ traditione libros,& eum quem de ſepulchro Dominico ſcripſit.

Ante Annos 1147. *qui fuit* CHRISTI 418.

S. PRIMASIVS, Epiſcopus Africæ, B. Auguſtini auditor quondam atque diſcipulus,vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, qui gentilibus atque hæreticis conſtanti ſemper animo reſtitit, pro fidei noſtræ defenſione contra hæreſes ad Fortunatum Epiſcopum tria volumina, & eruditione & dicendi facultate ſubtiliſsima conſcripſit. Ædidit præterea & in Ioannis Apocalypſin ad Caſtorium libros quinque. In Paulum verò Commentarios prolixos.

S. THEODORVS Presbyter & Monachus, ſucceſſor Abbatis Pachumij, vir ſanctitate vitæ monachorum ſtudijs ab adoleſcentia exercitatus, ad alia Monaſteria exhortationis ſcripturarum ſanctarum Epiſtolas tres, ſermone digeſtas ſcripſit.

S. EVTROPIVS Monachus & Presbyter, B. Auguſtini quondam auditor atque diſcipulus, fidei Chriſtianæ defenſor inſignis, omni genere doctrinarum & ſapientiæ clarus,ad duas ſorores ancillas CHRISTI, quæ ob deuotionem & amorem religionis exhæredatæ fuerant à parentibus,epiſtolas conſolatorias eleganti & aperto ſermone duas, non ſolùm ratione ſed etiam ſcripturarum teſtimonijs munitas ſcripſit. Epitomen quoque hiſtoriæ Romanæ ab vrbe condita decem libris, vſque ad Iouiniani mortem ſatis eleganti ſtylo & oratione deduxit.

Ante Annos 1146. *qui fuit* CHRISTI 419.

S. BONIFACIVS, natione Romanus patre

patre Iucundo Presbytero, S. R. E. Presbyter Cardinalis, sedit Pontifex Romæ Ann. iiij. M. ix. D. xxviij. Electus in seditione contra Eulalium, vir doctissimus, nec vlli sui temporis Theologorum secundus, Epistolarum decretalium volumen doctum pariter & vtile conscripsit. Obijt viij. calend. Nouenbr. Anno ccccxxiij. sepultus via Salaria, in Basilica S. Fœlicitatis Martyris, iuxta corpus eius.

S. EVODIVS Episcopus in Africa, B. Augustini auditor quondam atq; discipulus, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, conuersatione deuotus adeoque sanctissimus, de factis in Africa miraculis per reliquias ab Orosio Presbytero allatas volumen scripsit. Epistolas quoq; plures exhortatorias ad diuersos.

ORESIESIS Monachus, S. Pachumij auditor atq; discipulus, diuinus certè vir, in monastica disciplina exercitatus, & eremi cultor insignis, de monachorum instructione ingens volumen reliquit.

Ante Annos 1144. *qui fuit* CHRISTI 421.

ATTICVS, Constantinopolitanus post B. Ioannem Chrysostomum Episcopus, Platonicæ sectæ Philosophus, Sebastiæ Armeniorum ortus. Ab adolescentia Philosophiæ operam nauauit, sub magistris quibusdam monachis Macedonij hæresim sectantibus, vbi tamen inter viros census est, Macedonij opinione reiecta, ad Ecclesiam vniuersalem se contulit, non tam doctrina quàm natura prudens. Ad largitionem atq; misericordiam tam procliuis fuit, vt nō modò eis qui in diœcesi eius erant egenis prouidendum duceret, sed etiam vicinis Constantinopoli Ecclesijs pecuniam multam ad pauperum consolationem mitteret. Porrò ex vna eius Epistola quam ad Calliopium Nicænum Presbyterum dedit missis simul trecentis aureis qualis ea re vir fuerit patebit. Ea sic habet:

Calliopio Presbytero Atticus in Domino Salutem.

Decies mille in vrbe vestra egenos piorum commiseratione indigere

indigere cognoui. Decies mille dum dico, multitudinem ipsam, non certum pauperum numerum ostendo. Quandoquidem verò certū pecuniæ numerum ei acceptum fero qui perliberali manu ritè eam dispensantibus donat, & nonnulli indigent, explorandorum eorum gratia, qui habent quidem sed illis non dant, acceptis à me, ô charum mihi caput, trecentis aureis istis, vt voles eos expende. Voles autem eis maximè, qui mendicare erubescunt: non illis, qui in vita ventrem ad nundinationem proponunt. Quum igitur pecuniam largieris, religionis hac in parte rationem non habebis: hoc vnum spectans, vt indigentes alas: neq; eos præferas qui moribus nostris viuunt.

Ad Reginas Arcadij Imp. filias de fide & virginitate libros confecit, quibus peruersum dogma Nestorianum impugnatur. Obijt xxj. Pontificatus sui Anno, x. Mensis Octobris die.

S. FASTIDIVS, Britanniarum Episcopus, sanctitate & doctrina Præsul insignis, vt Ecclesia incrementa sua caperet, ad Fatalem quendam de vita Christiana libros. Alios item de viduitate seruanda, & sana DEO digna doctrina composuit.

Ante Annos 1143. *qui fuit* CHRISTI 422.

S. VIGILIVS Diaconus, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus ac disertus eloquio, conuersatione deuotus adeoque sanctissimus, ex traditione Patrum de Monachorum conuersatione volumen scripsit.

PHILIPPVS Presbyter, Hieronymi quondam auditor atque discipulus, qui sacras atque profanas literas summè didicerat, & doctissimos & lectu iucundissimos in librum Iob Commentarios reliquit.

LEPORIVS Presbyter & Monachus, cùm ab Ecclesiastico primùm canone Pelagianum defendens errorem alienas proferret opiniones, à Gallicanis doctoribus, & in Africa per S. Augustinum firmis atque grauibus argumentis conui-

ctus, cessit errori, & quam prius prædicabat hæresim acriter scriptis impugnauit, cùm impietatem eius refellens tum authores dissectionis accuratè recensens.

Ante Annos 1142. *qui fuit* CHRISTI 423.

S. COELESTINVS, Prisci filius, Romanus, sedit Pontifex Romæ Ann. viij. M. v. D. iij. Apostolicæ vitæ vir, vt qui doctrinam atque bene viuendi normam ex lectione veterum, & exemplo Sanctorum Pontificum sumeret: cui tanta ingenij dexteritas, tanta eloquentia, vt facilè quod vellet suaderet & dissuaderet, nil nisi sanum & quod doctrinam saperet ac modestiam proponens. Diuinarum scripturarum interpretatione altus & sublimis, cùm Nestorius Constantinopolitanus Episcopus nouum errorem inducere conaretur, habita apud Ephesum Synodo cc. Episcoporum, impias ac portentosas eius opiniones retexit & confutauit, insigne contra Nestorium volumen componens. Extant eius diuersæ quoque ad diuersos Epistolæ. Obijt Romæ viij. Id. April. Anno ccccxxxij. sepultus via Salaria in cœmiterio Priscillæ.

PROBA, & facto & nomine literarum notitia fœmina memoratu dignissima, Honorij atque Theodosij Principum æuo doctrina & Christiana religione insignis plurimum ac notissima fuit. Hæc quippe Italica fuit mulier, ex oppido Orti oriunda, & Adelphi Romani Procoss. coniunx. Cùm fortè perspicaciori mente Virgilij carmina legeret, ex illis omnem Testamenti veteris historiam & noui seriem placido atque expedito versu posse describi aduertit. Operam igitur pro conceptu in CHRISTI laudem præstans Dcc. ferè versibus complexum opus Virgiliocentonas inscribi voluit. Inter Apocrypha scriptum eius recensetur, eò quòd Virgilius ad CHRISTI honorem non sit referendus.

VICTORINVS Massiliensis, Rhetor, vir tum profanarum tum sacrarum literarum peritissimus, præterea verò hæreticis refellendis exercitatissimus, ad filium Etherium in Genesim libros quatuor conscripsit.

Ante

Ante Annos 1141. *qui fuit* CHRISTI 424.

S. EVSEBIVS, Cremonēſis monachus, B. Hieronymi auditor quondam atque diſcipulus, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, inter reliqua ſcripturarum monimenta ad Damaſum Portuenſem Epiſcopum, & Theodoſium Senatorem Romanæ vrbis, ſatis elegans & prolixum volumen de præceptoris S. Hieronymi tranſitu ſcripſit.

S. IOANNES Caſſianus, natione Scytha, B. Ioannis Chryſoſtomi Conſtantinopolitani Epiſcopi auditor quondam atque diſcipulus, Conſtantinopoli à Ioanne magno præceptore Epiſcopo Diaconus ordinatus, apud Maſſyliam Presbyter duo monaſteria condidit. Philoſophus, Rhetor atque Theologus ſuæ ætatis clariſsimus, diuinus certè vir, atque monaſtica diſciplina exercitatus, officia pietatis omnia ad ſummum excolens, de habitu monachi volumen reliquit. De canonico orationum atque Pſalmorum modo libros tres. Inſtitutionum librum vnum. De origine & qualitate ac remedijs octo principalium vitiorum libros octo, ſingulos ſcilicet de ſingulis vitijs libros expediens. Digeſsit etiam collationes cum Patribus Ægypti habitas. Poſtremò quoque à Leone Archidiacono poſt Romæ vrbis Pontifice rogatus, aduerſus Neſtorium de incarnatione Domini libros ſeptem compoſuit. Moritur in Maſſylia miraculis clarus. Et quia per B. Proſperum de arbitrij libertate in certis reprehenditur, opuſcula eius inter apocrypha recenſentur.

Ante Annos 1140. *qui fuit* CHRISTI 425.

S. CYRILLVS Græcus, montis Carmeli quondam decus & cultor inſignis, Epiſcopus Alexandrinus, Theophili prædeceſſoris ex fratre nepos, profanarum ſimul & ſacrarum literarum peritia clarus, virtutis genere omni laudem & gloriam conſecutus excellebat, dignus profectò tanta ſede, & nulli Patrum ſecundus, ſi vel ſanctimoniam, vel eruditionem, vel pro Eccleſia DEI laborem eius

ſpectes, qui & Arrianum atque alios,inprimis Neſtorium & Pelagium propè contriuit, authoritateque ac ſcripturis expugnauit, Epheſino Concilio præſidens. Hæreſim nullam Alexandriæ publicè coli paſſus eſt.Iudæorum quoque gentem noctu Eccleſiam ardere Chriſtianam vociferantem, & inſidijs cædem cum Chriſtianis ad eam vocem accurrentibus molientem, Alexandriæ exegit. Cuius ad hæc vſque tempora ſcripta plurima circumferuntur, quorum longè optimum eſt quod Theſauros inſcripſit, ex omnibus ſacrarum literarum ſcriptis myſterium ſanctæ Trinitatis oſtendens. Aliud præterea, cui titulus eſt *τὰ γλαφυρὰ*, hoc eſt, ſcita ſeu elegantia, in quo ea quæ in veteribus ſcripturis figuratè dicta ſunt ad CHRISTVM & Eccleſiam noſtram refert. Liber item alius, qui de ſpirituali cultu titulum habet. Alius etiam ad Palladium in Dialogo de Spiritu ſancto compoſitus. Alius inſuper quem contra Iulianum apoſtatam Imp. pro ſacro Euangelio conſcripſit. De miraculis quoque D. Hieronymi volumen, & Commentarios aliquot in Prophetas ædidit. In Leuiticum præterea ſcripſit, & cum Theodoſio Auguſto de recta in IESVM CHRISTVM fide ſcriptis voluminibus ſermones contulit.

EVDOXIA, Theodoſij iunioris Imp. coniunx, caſtiſsima & doctiſsima fœmina, ex Athenarum vrbe Leontij Philoſophi filia, & quidem ingenioſiſsima, omni genere non ſolùm Græcarum, ſed etiam Latinarum diſciplinarum. à patre erudita, tantum in Philoſophia quantum alius nemo profecit. In Aſtronomia etiam, Geometria & numerorum proportionibus plus quàm alius ætate ſua quiſquam eſt aſſecuta: Hanc dum Imperator ducturus eſſet vxorem. Atticus Conſtantinopolitanus Epiſcopus ſacro baptiſmatis fonte abluens Chriſtianam fecit, & cum Athenais prius vocaretur Eudoxiæ nomen impoſuit, quæ & Eudoxiam filiam ex Theodoſio genuit, quam Valentinianus Imperator vxorem accepit, & nuptias ſolennes Conſtantinopoli celebrauit. Quibus perfectis, Eudoxia Theodoſij vxor Hieroſolymam profecta eſt, vota DEO immortali perſoluens

ob

ob plurima percepta beneficia, sic enim vouerat, si filiam videret nuptam. Rediens mortuum comperit maritum. Mox igitur ad Solymorum vrbem reuertens, reliquum vitæ tempus in terra sancta transegit, defuncta ætatis Anno lxvij. Ad imitationem Probæ vxoris Adelphi, ad fidem Christianam Homeri carmina reflexit, maximam noui testamenti partem complectens, quod volumen Homerocentrona appellari voluit.

Ante Annos 1 1 3 9. *qui fuit* CHRISTI 426.

HERMIVS Sozomenus Salaminius, natione Græcus, elegantis copiosæq; elocutionis vir, qui cum Aquilino in actionibus forensibus apud Constantinopolim versatus, Historiam Ecclesiasticam à tertio consulatu Crispi & Constantini Cæsaris, qui fuit annus CHRISTI cccxvj. vsque ad finem Honorij Imp. & annum à nato CHRISTO cccxxvj. libris nouem complexus est.

VINCENTIVS monachus & Presbyter Lyrinensis, natione Gallus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Rhetor insignis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, vita & sapientiæ studio pollens, cùm hæreses vbique insurgerent, & temerario ausu in Catholicos irruere præsumerent, pro Catholicæ fidei antiquitate & vniuersitate, aduersus profanas omnium hæresum nouationes libros, & vtilissimos & lectu iucundissimos reliquit.

Ante Annos 1 1 3 8. *qui fuit* CHRISTI 427.

S. POSSIDONIVS Afer, Episcopus Calamensis, B. Augustini auditor quondam atq; discipulus, cùm ad summam peritiam artium dicendi omnium peruenisset, præceptoris S. Augustini vitam insigni volumine contexuit.

Ante Annos 1 1 3 7. *qui fuit* CHRISTI 428

THEODORITVS, Episcopus vrbis quæ à fundatore suo Persarum Rege Cyro Cyria est vocata, Præsul cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Græcis iuxta & Christianis disciplinis præ-

clarus. Quòd Christianæ professionis studiosissimus esset, egregiamq; pro CHRISTI honore æmulationem spiraret, à fine Eusebij & initio Sectę Arrianæ exorsus, Ecclesiasticã Historiã vsq; ad annum CHRISTI ccccxxvj. libris quinq; absoluit. Est & aliud eius volumen in Pentateuchum. Scripsit quoq; in Cantica Canticorum, & Psalterium libros. Ædidit & alium in Hieremiã Prophetam, & Threnos. Ad Cyreneos item alium, in omnes D. Pauli Epistolas. Commentarios item in duodecim Prophetas minores reliquit. De Euangelicæ veritatis ex Græcorum atque gentiũ Philosophia cognitione, siue de Græcarum affectionum curatione libros xij. composuit. Cùm prætereа verę pietatis propugnator aduersus hæreses inuictus esset, promptus & paratus æditis libris adulterinas de CHRISTI fide hæreticorũ opiniones prodere, de incarnatione Domini contra Eutychen volumina confecit.

Ante Annos 1 1 3 6. *qui fuit* CHRISTI 429.

THEODORVS, Ancyranus Galatiæ Episcopus, fidei Christianæ defensor insignis, cui præcipua certè laus in profana simul & sacra Philosophia omnibus omnium præclarorum virorum calculis tribuitur, Ephesi contra Nestorium insigne volumen, & rationibus firmatum & fidei plenum ædidit.

Ante Annos 1 1 3 4. *qui fuit* CHRISTI 431.

S. PAVLVS Presbyter, natione Pannonius, qui cùm diuitiarũ contemptu, Philosophięq; & Græcarum disciplinarum scientia, tum sacrarum literarum studio & peritia, publicisq; scripturæ enarrationibus & disputationibus admirationem omnium promeritus est, de virginitate seruanda & contemptu mundi ac vitæ institutione, vel morum correptione mediocri sermone, sed diuino conditos sale libros duos, ad nobilem & CHRISTO deditam virginem Constantiam scripsit.

Ante Annos 1 1 3 3. *qui fuit* CHRISTI 432.

S. SIXTVS III. natione Romanus, patre Sixto, sedit Pontifex Romæ Ann. vij. M. xj. iniens Pontificatum intentata calumnia reus accusatur à Basso Presbytero, cùm verò

coram

coram lv. Episcoporum Synodo causam dixisset, omnium suffragijs absoluitur, Basso Valentiniani iussu in exilium misso. Decretum Synodi aduersum Nestorium habitum volumine describens, ad Orientis & Occidentis Ecclesias dedit, confirmans duabus in CHRISTO manentibus perfectè naturis, vnam filij DEI credendam esse personam. Obijt v. Calend. April. Anno ccccxl. sepultus via Tiburtina ad S. Laurentium, extra muros in crypta, iuxta corpus eius.

Ante Annos 1132. qui fuit CHRISTI 433.

S. PALLADIVS Britannorum seu Scotorum insulæ Hiberniensis à Cœlestino Pontifice Præsul ordinatus, natione Græcus, tum vitæ morumque integritate, tum sanctitatis fama clarus, cùm Rhetor omnium suo tempore celeberrimus habitus esset, B. Ioannis Chrysostomi vitam doctissimo volumine eleganter & politè conscripsit.

Ante Annos 1129. qui fuit CHRISTI 436.

MVSÆVS, Presbyter Ecclesiæ Massiliensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, hortatu S. Venerij Episcopi è scripturis sanctis excerpsit lectiones & responsoria, singulis diebus festiuis anni totius accommodata. Psalmosq; ordinauit singulis temporibus in Ecclesia decantandos. Ad Eustasium Episcopũ de Sacramentis libros vij. venustè & doctè compositos dedit. Homilias verò plures ad populum.

Ante Annos 1128. qui fuit CHRISTI 437.

SABBATIVS, Gallicanæ prouinciæ Episcopus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, rogatus à quadam casta & CHRISTO dicata virgine Secunda, de fide aduersum Marcionem & Valentinianum eius authorem, contra Eunomium quoque & eius magistrum Ætium volumina prudenter & doctè composuit.

Ante

Ante Annos 1 1 2 7. qui fuit CHRISTI 438.

S. HILARIVS, Arelatensis Episcopus in Gallijs, ad quem eremi deserta petentē Eucherius Lugdunensis Antistes librum ædidit, de laude eremi, vir sanctitate & doctrina insignis, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, animi simplicis & integri, modestiæ & iustitiæ singularis, cōstantiæ & prudentiæ plus quàm humanæ semper habitus, ad largitionem atque misericordiam procliuis, B. Honorati vitam Præsulis eleganti volumine, Homilias penè infinitas, Ad Germaniæ quoque primæ & secundæ Pontifices Epistolas contra hæreses & elegantes & doctas conscripsit.

Ante Annos 1 1 2 6. qui fuit CHRISTI 439.

S. ISAAC, ex Monacho Antiochenæ Presbyter Ecclesiæ, vir doctissimus, nec vlli suæ ætatis Theologorum secundus, propter excellentiam doctrinæ & vitæ synceritatem Iustus cognominatus, Syro sermone, ad imitationem S. Ephræm plura deuota opuscula, exhortatorium videlicet vitę spiritalis docto volumine reliquit. Aliud item de pugna vitiorum. De accessu ad DEVM libros composuit. Alium item de difficultate virtutum. Dialogum præterea de profectu spiritali. Ædidit quoque de ordine vitæ monasticæ librum. Et alium de humilitate. Item aliū quem de tribus ordinibus proficientium inscribi voluit. Rursum is qui de solitudine monachorum scriptus est. Et alius de diuersis tentationibus. Porrò de informatione nouitiorum volumen, Et aliud de pœnitentia. Cùm religionis Christianæ propugnator contra hæreses esset inuictus, aduersus Nestorianos Euthychianos quoque vtilissimos de fide commentarios reliquit.

Ante Annos 1 1 2 5. qui fuit CHRISTI 440.

S. EVCHERIVS, Lugdunensis in Gallia Episcopus, viri Consularis filius, cùm iam decimum annum in spelunca Saluatori CHRISTO inseruiens transegisset, angelica visione monitus, Pontificatum licet inuitus suscepit. Præsul vitæ sanctitate, miraculis & CHRISTI confessione spectatus, veræ pietatis propugnator eximius, genere, doctrina & dicendi copia præcla-

præclaram consecutus famam, ad Hilarium Arelatensem Episcopum, solitudinis deserta petentem, de laude eremi ingens volumen confecit. Commentarios in Genesin & libros Regum. De contemptu præterea mundi volumina composuit.

IVNILIVS cuiusdam vrbis in Africa Episcopus, vir diuinarum literarum Græcarumq; discipl narum, nec nõ artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregiè peritus, ad Primasium Antistitem vtile pariter & doctũ de partibus diuinę legis volumen dedit.

S. LEO magnus, Quintiani filius, Romanus, S. R. E. Archidiaconus Cardinalis, sedit Pontifex Romæ Ann. xx. M. xj. D. ij. Virtutum arx, fidei Orator sanctissimus, perquam disertus Latina simul & Græca lingua fuit, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, ita, vt Barbarorum Reges ad amicitiam suam adduceret. Attilam ab Italia solis precibus remouit. Manum sibi amputasse legitur, quòd festo Paschatis mulier quædam in Missæ sacrificio oblationem faciens eam exoscularetur, quam virgo B. MARIA mox restituit. Cùm sacras scripturas diligenter & fœliciter percepisset, acerrimè contra Eutychen Presbyterum depugnauit, errorem q; eius & fraudem in publicum tribus voluminibus prod ixit. Extant quoque eius scripta alia diuinis referta doctrinis, De Symbolo Nycæno volumen. Aliud item ad Leonem Augustum. Ad inquisitiones Ianuarij Præsulis Commentarij De Passione Dominica libellus. Præterea is quem ad Tuberium Antistitem dedit. Et qui ad Rusticum Narbonensem Præsulem est scriptus. Rursus quem ad Anastasium confecit. Homilias plures ad populum. Obijt iij. Id. April. Anno cccclxj & primus omnium Pontificum Romanorum sepultus est in Basilica S. Petri Apostoli in Vaticano. Exin Nemetum Augustam Spiram delatus, in Cathedrali B. MARIÆ templo summa omnium veneratione colitur & requiescit.

Ante Annos 1 1 2 4. *qui fuit* CHRISTI 441.

VRSINVS monachus, veræ pietatis propugna-

M tor

tor inuictus, omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, qui æquè Græcam ac Latinam nouerat linguam, de non rebaptizandis hæreticis insigne volumen reliquit.

Ante Annos 1121. *qui fuit CHRISTI* 444.

SOCRATES, patria Constantinopolitanus, natione Græcus, vir in omni doctrinarũ genere apprimè eruditus, cùm eloquentiæ vi polleret, doctrina & dicendi copia facilè primas obtineret, ab initio imperij Constantini magni vsq; ad xvij. consulatum Theodosij iunioris Ecclesiasticam Historiam complexus est libris septem.

S. PASCASINVS, Siciliensis Episcopus, vir in Græcis iuxtà & Christianis disciplinis præclarus, castitatis decus & ornamentum, athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, vice B. Leonis Põtificis in Chalcedonensi Concilio cum cc. sanctis Patribus Eutychen & Dioscorum hæreticos damnauit. Acta Concilij in publicum docto volumine produxit, deq; fontis miraculo Epistolam prolixam conscripsit.

VICTOR, Cartennæ Mauritaniæ ciuitatis Episcopus, vir disertissimus, nõ minus vita quàm eloquentia insignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, contra Arrianos volumen prudenter & doctè composuit. Inuectus quoq; est in Donatistas, assimulatam ac dæmoniacam eorũdem opinionem, authores quoq; dissectionis accuratè recensens. Circumfertur & eius de pœnitentia liber. Homiliæ verò ad populum plures.

Ante Annos 1120. *qui fuit CHRISTI* 445.

S. PROSPER, natione Aquitanus, Episcopus Reginensis, post Fauentium S. Leonis Rom. Pontificis Notarius, vir admiratione omnium dignissimus, totius Galliæ religione & doctrina facilè princeps, dicendi artifex & orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, tum prætereа sacrarum literarum scientia nemini secundus, ex Sententijs patrum atque B. Augustini Præsulis versibus hexametris & pentametris mixtum oratione soluta volumen, cui titulum Epigrammatum dedit

dit absoluit. Scripsit de vita contemplatiua libros. Alium de libero arbitrio. Rursus contra Cassianum de libero arbitrio. De captiuitate vrbis Romæ volumen. Præterea scriptũ aliud de prædictionibus & promissionibus DEI. Epistolam ad Augustinum de reliquijs Pelagianæ hæreseos. De viris illustribus Commentarios. Chronologiam porrò mundi temporum ab Anno CHRISTI ccclxxxij. vsque ad Annum ccccxlviij. contexuit.

Ante Annos 1119. qui fuit CHRISTI 446.

PETRVS, Edissenæ Presbyter Ecclesiæ, vir tam in diuinis quàm in sæcularibus literis eruditissimus, Poëta grauis atque perfectus, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignę perpolitus, doctissimos in Psalterium Commentarios reliquit. In Psalmos metro lusit. Homilias præterea ad populum habitas penè infinitas conscripsit.

Ante Annos 1118 qui fuit CHRISTI 447.

IVLIANVS, Ecclesiæ Toletanæ in Hispania Episcopus, natione Maurus, ad quem S. Prosper tres libros de contemplatione scripsisse dicitur, vir cùm eloquentia clarus, tum sacrarum literarum quàm maximè peritus, fidei Christianæ constantissimus propagator & defensor, Prognosticon futuri sæculi tribus voluminibus confecit. De natura animæ libros octo. Aliũ item de sancta Virginitate. Rursus de resurrectione Quæstionum librum composuit. Alium item de vitijs & virtutibus. Et quem de contemptu mundi ad subditos scripsit.

S. PETRVS, Episcopus Rauennas, qui Chrysologi cognomen ab aurea quadam ingenij atque eloquentiæ vbertate tulit, vir eruditissimus atque sanctissimus, ad Eutychen Presbyterum Epistolam & lectu dignam & iucundissimam, Sermones quoque & Homilias ad populum plures scripsit.

Ante Annos 1117. qui fuit CHRISTI 448.

S. GENNADIVS, Constantinopolitanus Episcopus, vir lingua nitidus & ingenio acer, Apostolica gratia

illuſtris atque conſpicuus; cùm pictor quidam Seruatorem habitu & forma Iouis pingere auſus, facinoris eius mercedem tulit. Nam manus eius exaruit, quam cùm ille crimen id publicè confiteretur, Gennadius reſtituit. Gennadius iſte ad Eleutherium Martyrem de clerico illius quodam, quem vt diſſolutè viuentem criminabatur Epiſtolam dedit, verbis hiſce compoſitam: Sancte Martyr DEI Eleutheri, miles tuus incompoſitam degit vitam: quapropter aut tibi ille corrigendus, aut tu ab Eccleſia reijciendus es. Et clericus poſt hæc ſcripta ſtatim mortuus eſt. Idem Gennadius nullum Sacerdotem conſecrauit, qui non prius Pſalterium edidiciſſet. Cùm diuinarum ſcripturarum interpretatione nemini ſecundus eſſet, in Danielem Prophetam commentaria ſcripſit. Homilias multas reliquit, & Pauli Epiſtolas omnes expoſuit.

Ante Annos 1116. qui fuit CHRISTI 449.

VICTORIANVS Buconius, Caſtellianæ vrbis Mauritaniæ Epiſcopus, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, volumen contra Iudæos diuina probè inſtructus doctrina ædidit. Aliud item aduerſus Arrianos, & eleganter & doctè compoſitũ. Inuectus eſt & in hæreſes omnes elegantiſsimis voluminibus, vt ſic Eccleſiam metu perſecutionis diſperſam, ad fidei veritatem congregaret. De Sacramentis præterea Commentarios reliquit.

Ante Annos 1115. qui fuit CHRISTI 450.

VINCENTIVS Presbyter, natione Gallus, vir eloquentia nobilis, Apoſtolicaque doctrina inſignis, qui ſacras atque profanas literas ſummè didicerat, linguam habens vſu loquendi & maiorum lectione politam, doctiſsimos in Pſalterium Commentarios ædidit.

Ante Annos 1114. qui fuit CHRISTI 451.

S. PONTIVS Paulinus, Nolanæ vrbis Epiſcopus, B. Auguſtini auditor quondam atque diſcipulus, Philoſophus,

ſophus, Rhetor atque Theologus ſuæ ætatis nobiliſsimus, & cùm alijs in rebus vir magnus, tum certaminibus ac periculis pro pietate ſubeundis maximè ſpectatus, B. Ambroſij Mediolanenſis Epiſcopi vitam inſigni volumine conſcripſit. Similiter & vitam S. Fœlicis Nolani Præſulis. De morte porrò baptizati infantis ad Auguſtinum ſcripſit. De Sacramentis ſimiliter ad eundem volumina compoſuit. Præterea de contemptu mundi & benedictionibus Patriarcharum libros. De pœnitentia. De laude Martyrum volumina. Panegiricum Theodoſij. Hymnorumq; diuerſo carmine Commentarios.

Ante Annos 1113. *qui fuit CHRISTI* 452.

S. ACATIVS, poſt magnum Gennadium Conſtantinopolitanæ Præſul Eccleſiæ, qui ob munificentiam in pauperes orphanotrophi & pupillorum curatoris cognomen meruit, eruditione & eloquentia inſignis Antiſtes, à D. Hieronymo ad veram CHRISTI fidem conuerſus, inſigne de fide orthodoxa volumen conſcripſit.

Ante Annos 1112. *qui fuit CHRISTI* 453.

EVSEBIVS, Epiſcopus Mediolanenſis, *fidei* Chriſtianæ defenſor inſignis, omnes ſui temporis Antiſtites literarum ſacrarum ſcientia, eruditione & doctrina ſuperans, atque pro fide Catholica contra hæreticos fortiter pugnans, ad S. Leonem Pontificem in cauſis fidei prolixam epiſtolam ſcripſit.

Ante Annos 1111. *qui fuit CHRISTI* 454.

S. AVRÆVS, Moguntinus ad Rhenum in Gallijs Epiſcopus, ſummæ eloquentiæ & induſtriæ vir, non ſolùm pio et ſancto labore eis qui curæ eius fuerant commiſsi, ſed finitimis etiam populorum conciliabulis Spirenſibus atque Vuormatienſibus plurimum profuit, Arianæ hæreſeos impias ac portentoſas opiniones doctis voluminibus retexens atque refellens. Sub Attila tyranno martyrij palmam pro CHRISTO ſubijt.

S. FLAVIANVS, qui in L. Quoniam. C. de

episc.& cler. Fabianus dicitur, Episcopus Constantinopolitanus, natione Græcus, sacrorum donariorum Ecclesiæ magnæ custos, dignitate prius Presbyter, vita autem cœlesti præclarus, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, Græco sermone acta cum Eutyche Presbytero scripsit. Contra eiusdem errores volumen. Ad S. Leonem similiter Papam de eodem libros ædidit. Epistolas verò plures ad diuersos. Turbulentis demum impulsionibus & calcium ictibus, Dioscori & Chrysaphij factione, ex Ephesina Synodo eiectus, tertio pòst die fœliciter vitam finijt, quo ille ipse Dioscorus calcibus in ventrem etiam veritatis ipsius propugnatoris defuncti insultat. Eudoxia Theodosij coniunx, certis hominibus missis, sacrum Flauiani corpus in vrbem Constantinopolitanam transtulit, atque id per mediam ciuitatem, cum obseruantia & celebriori pompa illatum, intra adyta sanctorum discipulorum CHRISTI basilicæ, splendidè atque honorificè reposuit.

Ante Annos 1106. *qui fuit* CHRISTI 459.

S. PROTERIVS, Episcopus Alexandrinus, qui ob vitæ continentiam & sacrarum literarum peritiam à Synodo Chalcedonensi lectus, Pontificatum inuitus administrare coactus fuit. Theologus & computista insignis, ad S. Leonem Romanum Pontificem de celebratione Paschæ tres doctißimas Epistolas scripsit. Aliam item ad Hilarium de eadem re. Quem successores Dioscori hæretici seditione facta, authore Timothæo furore pleni aggreßi, Episcopum tantum, cùm ad sacrosanctum baptisterium confugisset, crudelem in modum ferro in viscera eius adacto contrucidarunt, & deinde ex fune suspensum, passim per viam publicam rapuerunt, cadaueri eius vt homines furibundi insultantes, atque cum contumelia illudentes, quòd Proterius necatus esset, clamitantes. Et postquam id per vrbem omnem distraxere, postremò igni traditum combusserunt, cinere qui superfuit in aërem disiecto, visceribusque eius crudis degustatis.

Ante Annos 1105. *qui fuit* CHRISTI 460.

CEREALIS Afer, Episcopus Cestrensis, vir sapiens

ſapiens & clarus,ingenio ſubtilis,eloquio grauis & acer,qui Sacras ſcripturas diligenter & fœliciter perceperat,acerrimè aduerſus Arrianos depugnauit, erroremq; eorundem & fraudem ſcriptis in publicum produxit.

Ante Annos 1104 qui fuit CHRISTI 461.

S. HILARIVS, natione Sardus,patre Criſpino,S. R. E. Diaconus Cardinalis,ſedit Pontifex Romæ Ann. vj.M.iij.D.x.vir ſingularis religionis & māſuetudinis,cui ob ſanctitatem & doctrinam Reges etiam & Principes honoris gratia aſſurgere conſueuerant. Ne Pontifices ſibi deinceps ſucceſſorem deligerent inſtituit. Fecit & decretalem ac per vniuerſum orbem ſparſit. Epiſtolas quoque de fide Catholica,tres Synodos confirmantes,Nicænam,Epheſinam & Chalcedonenſem,quibus item Eutychen, Neſtorium & Dioſcorum cum ſectatoribus damnat, conſcripſit. Aliam item ad Epiſcopos Terraconenſis prouinciæ. Et rurſus aliam ad Aſconium TerraconenſemEpiſcopum.Duasq́ue bibliothecas apud Eccleſiam Lateranenſem ędificauit.Obijt v.calend.Auguſt.Anno cccclxvij. ſepultus in baſilica S.Laurentij extra muros,in crypta,iuxta corpus Papæ Sixti iij.

Ante Annos 1098. qui fuit CHRISTI 467.

S. SIMPLICIVS, patria Tiburtinus , patre Caſtino,ſedit Pontifex Romæ Ann. xv.M.vj.D.xxiij.Is à teneris annis cura parentum, moribus & literis imbutus, vbi adoleuiſſet, Sacræ Theologiæ in vrbe Roma ſedulam operam nauauit, mira vtebatur facilitate, & honeſta petentes à ſe voti compotes dimittebat.Breuis in dicendo fuit,cautior in agendo,adeò vt prius rem factam cernerent homines, quàm àb eo excogitatā putarent.Pro defenſione fidei noſtræ ad Ioannem RauennatisEpiſcopum prolixam Epiſtolam. Aliam ad Florentium & Equitium Epiſcopos.Rurſus ad Seuerum Antiſtitem alteramEpiſtolas compoſuit. Obijt vj. Non. Mart. Anno cccclxxxij. ſepultus Romæ ad S Petrum Apoſtolum.

Ante Annos 1096. qui fuit CHRISTI 469.

S.CLAVDIVS Mamertus, VienenſisGalliarū Archiepiſcopus,ad quem Saluianus Presbyter librū cōpoſuit,vir diſertiſ-

disertissimus,non minus vita quàm eloquentia spectatus peritissimus Christianorum Philosophus, arcana diuinarum scripturarum interpretatione sublimis, qui propter luporum & vrsorum immanitatem, aliasq; plagas, triduanas ante Ascensionem Domini Lætanias primus instituens, Domini misericordiam, plagarumq; cessationem promeruit, de statu animæ libros tres opus rarum,doctum, elegans, copiosum, & à multis diu desideratum, quo sic dignitatem animæ describit humanæ statumq;, quo nullus ante ipsum,nullus post clarius vnquam de hac re scripserit ac manifestius confecit.

Ante Annos 1094. *qui fuit* CHRISTI 471.

S. REMIGIVS, Archiepiscopus Remensis in Gallia,& gentis Francorum Apostolus, vir cùm vitæ sanctitate, tum eruditione & Pontificatu venerandus,cœlitus antequam nasceretur prænunciatus, à cella in qua se adolescentulus DEO militans incluserat vi abstractus, Romanorum Antistes ordinatur. A quo Franci sacro lauacro initiati sunt,ex bellicis rebus religionis spe exorta. In tantum Remigius diuinis resplenduit donis,vt & puellam mortuam ad vitam reuocaret. Quoduis adire discrimen propter DEVM promptus atque paratus, æditis libris adulterinas de CHRISTI fide Arrianorum opiniones prodidit, alia porrò plurima literarum monimenta quæ eximij eius studij satis magno sunt documento relinquēs. Obijt Pontificatus sui Anno lxxiiij. Idib. Ianuar. Anno CHRISTI Dxliiij. Ætatis verò xcvj.

Ante Annos 1092. *qui fuit* CHRISTI 473.

SAMVEL, Edissenæ Presbyter Ecclesiæ, vir in Græcis iuxtà & Christianis disciplinis exercitatus, aduersus hęreticorum phalanges fortiter rem gessit, & contra Eutychianorum prędonum more structas insidias, sub Valerij Leonis imperio constanter decertauit, luculentum aduersus eosdem volumen conscribens. Aduersus Nestorianos præterea, Timotheanos quoque libros & eleganter & doctè compositos scripsit.

Ante

Ante Annos 1089. qui fuit CHRISTI 476.

S. SALVIANVS, Masſilienſis Presbyter Eccleſiæ, diuina & humana literatura inſtructus, vir ſuæ ætatis eloquentiſsimus, Rhetor inſignis, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, tres libros de virginitatis bono ad Marcellum Preſbyterum dedit.: De vero iudicio & prouidentia DEI & ipſius gubernatione hominum & rerum mundi huius ad S. Solonium Epiſcopum Vienenſem libros viij. His accedunt Anticimenon libri tres, in quibus continentur quæſtiones veteris ac noui Teſtamenti, de locis in ſpeciem pugnantibus per interrogationem & reſponſionem. Et qui de auaritia inſcripti ſunt Commentarij. Circumferuntur porrò eius in Geneſin & Eccleſiaſten expoſitiones, quas in Vienenſi bibliotheca reſeruari aiunt.

Ante Annos 1088. qui fuit CHRISTI 477.

SERVVS DEI Epiſcopus, eximius veræ pietatis propugnator, vir ſapiens & clarus ingenio, acerrimè in ſui temporis hæreticos eſt inuectus, maximè eos ſcripturarum teſtimonijs arguens & conuincens, qui dixerant CHRISTVM in hac vita degentem non vidiſſe patrem, ſed poſt reſurrectionem ex mortuis & aſcenſionem ad cœlos.

Ante Annos 1086. qui fuit CHRISTI 479.

S. SALONIVS, Archiepiſcopus Vienenſis in Gallia, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & ſacrarum literarum peritiã toto orbe clarus, doctiſſimos in Salomonem Commentarios reliquit.

Ante Annos 1085. qui fuit CHRISTI 480.

S. EVGENIVS Epiſcopus Carthaginenſis in Africa, Trinitatis indiuiduæ confeſſor publicus, ex illis vnus qui multas ab Arrianis ſub Hunerico Rege Vandalorum injurias ſuſtinuerat, virtute & doctrina vir inſignis, inter reliqua

N ſcriptu-

ſcripturarum monimenta ſuarum fidei Catholicæ expoſitionem ingenti volumine confecit. Apologeticum pro fide conſcripſit. Altercationem præterea cum Arrianis habitam prolixis Commentarijs abſoluit. Fl. Valerio Anaſtaſio imperante Auguſto, ab Hunerico Vandalorum Rege comprehenſus, lingua abſciſa cum alijs Epiſcopis multis in exilium relegatus eſt, vbi & Epiſtolam ad Eccleſiam ſuam ac quidem doctiſsimam ſcripſit.

Ante Annos 1084. *qui fuit* CHRISTI 481.

IOANNES, Antiochenæ Presbyter Eccleſiæ, Publiæ cuiuſdam filius, vir doctiſsimus, qui aliquoties legitimis ſuffragijs ad ſedem Antiochenam recipiendam lectus, ſemper dignitatem eam repudiauit, acerrimè in eos qui in vna tantùm ſubſtantia CHRISTVM adorandum cenſebant æditis libris inuectus eſt.

Ante Annos 1083. *qui fuit* CHRISTI 482.

S. FOELIX III. patria Romanus, Fœlicis Presbyteri Cardinalis de titulo Faſciolæ filius, ſedit Pontifex Romæ Ann. viij. M. xj. D. vij. vir nobili genere natus, ingenueque à teneris annis educatus & doctus, virtute & fide ſemper in precio eſt habitus, Pontifex ſanctiſsimus & omni laude dignus, ſi vitam continentiſsimam, ſi mores, ſi doctrinam inſpicis. Petrum Eutychianum ob hæreſim in exilium pulſum, ex authoritate ſedis Apoſtolicæ Synodo bene ſentientium approbata, cum Acacio damnat. Decretum Synodale prolixo adeoq; doctiſsimo volumine. Epiſtolas porrò plures ad diuerſos conſcribit. Moritur v. calend. Mart. Anno cccclxcij. ſepultus in baſilica S. Pauli, via Oſtienſi.

Ante Annos 1080. *qui fuit* CHRISTI 485.

S. THEODORVS, Presbyter Græcus, fidei Chriſtianæ defenſor inuictus, omnes ſui temporis Pontifices literarum ſacrarum ſcientia, eruditione & doctrina ſuperans, æditis libris contra hæreticos de conuenientia veteris ac noui Teſtamenti ſcripſit.

Ant-

Ante Annos 1075. qui fuit CHRISTI 490.

S. VIGILIVS, Martyr & Episcopus Tridentinus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, eximius veræ pietatis propugnator, qui diuina diligenter & fœliciter perceperat oracula, libros & pios & elegantes contra Eutychen atque alios hæreticos, parum piè de naturarum CHRISTI proprietate & personę vnitate sentientes, cōscripsit.

Ante Annos 1073. qui fuit CHRISTI 492.

S. GELASIVS, natione Afer, patre Valerio Episcopo Hipponensi, sedit Pontifex Romæ Ann. iiij. M viij. D. xix. Sanctissimæ vitæ & incomparabilis doctrinæ Antistes, Philosophus, Orator atque Poëta, nec vlli Theologorum secundus. Manichæos in vrbe deprehensos damnat, eorumque libros apud basilicam D. MARIÆ publicè comburit. Clerum amauit & auxit Pauperes semper mira beneuolentia & charitate complexus est. Ciuitatem Romanam è multis periculis liberauit, maximè verò ab inopia rerum & fame. Hymnos etiam composuit ad imitationem B. Ambrosij. Edidit & libros quinque contra Eutichen atque Nestorium. Duos item contra Arrium. Orationes habuit elegantes & graues. Epistolas præterea ad amicos & domesticos fidei scripsit non minus graues quàm doctas, quæ opera in publicis bibliothecis tum legebantur. Anastasium Imp. Constantinopolitanum Zenonis successorem, quòd hæreticis & Acatio faueret excommunicauit. Vnde constat Imperatorem errantem in fide & monitum, si non paruerit, à Pontifice Romano excommunicari posse. Eadem authoritate vsus est etiam contra Vandalos eorumque Regem, qui Arriana infecti hæresi Catholicos cruciatibus & supplicijs persequebantur. Obijt xj. Calend. Decembr. Anno ccccxcvj. sepultus in basilica S. Petri Apostoli.

Ante Annos 1072. qui fuit CHRISTI 493.

S. GENNADIVS, Massiliensis Presbyter Ecclesiæ, vir disputando vehemens & acutus, Græco simul & Latino instructus eloquio, moribus & vitæ sanctitate conspicuus, diligens Augustini imitator, & librum de dogmatibus

ompoſuit, & quid cuique neceſſarium eſſet declarauit. Scripſit item de viris illuſtribus Hieronymum imitatus. Et cùm hæreſes vbique inſurgerent, ad commendationem fidei noſtræ, aduerſus Eccleſiæ hoſtes libros octo, nouem contra Eutychen, aduerſus Neſtorium porrò ſex, atq; tres contra Pelagium libros, tùm doctè compoſitos, tùm fidei plenos ædidit.

Ante Annos 1071. *qui fuit* CHRISTI 1494.

S. FVLGENTIVS, natione Afer, patria Carthaginenſis, qui non tam ob generis nobilitatem quàm eruditionem & vitæ ſanctitatem Ruſpenſis factus eſt Epiſcopus, Theologorum eloquentiſsimus, tam Græco quàm Latino inſtructus eloquio, cùm in Arrianorum gratiam Vandali per totam Aphricam Catholicos cædibus & exilijs affligerent, illorumque templa clauderent, Fulgentius in Sardiniam quoque cum reliqua Epiſcoporum turba, à Tranſimundo exulatum miſſus, nihil prætermiſit quod ad veram CHRISTI fidem pertineret, docendo, prædicando, monendo. Edidit de libero arbitrio & gratia DEI libros vij. Alios rurſum de veritate prædeſtinationis. Altercationem cum Tranſimundo Rege. De prædeſtinatione præterea ad Monimum libros tres. De continentia coniugali volumen. Aliud de virginitate ad Probam. De oratione ad eandem. Scripſit & de pœnitentia ad Venantium librum. De fide ad Donatum volumen. De Sacramento incarnationis Commentarium. De obſtruſis quoque ſermonibus librum. Alium item de immenſitate filij DEI. Rurſus de ſancta Trinitate volumen. Et cui de peccatorum remiſsione titulum dedit. Extant eius porrò contra Pelagianam atque Arrianam hæreſes, & de myſterio mediatoris volumina: aliaque plurima ſcripturarum monimenta, quæ multum Eccleſiæ afferunt vtilitatis. Ab exilio reuocatus, cùm Ruſpenſem xxvj. annis rexiſſet Eccleſiam, abiecta cura Eccleſiaſtica, in Circinna inſula diem fœliciter clauſit.

Ante Annos 1070. *qui fuit* CHRISTI 1495.

FAVSTVS, ex Abbate Lirinenſis mona-

ſterij, Epiſcopus Rhegienſis in Gallia, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, quòd primò Pelagiano errore infectus fuiſſet, à B. Fulgentio Ruſpenſi Epiſcopo conuictus, veritatisq́; luce illuſtratus, contra priſtinos errores de gratia DEI volumen & copioſè & ornatè ſcripſit. Eius illud opus potiſsimum laudatur, quod contra Arrianos ædidit, in quo oſtendit τριάδα, hoc eſt, trinitatem eſſentialem eſſe. Scripſit & contra eos qui dicunt in creatis aliquid incorporeum eſſe, qua in re oſtendit tum patrum ſententijs, tum diuinæ ſcripturæ teſtimonijs, ſolum DEVM incorporeum dici poſſe, ne etiam creata incorporea dicerentur. De Spiritu ſancto præterea librum compoſuit. Alium item ad Gratum Diaconum contra Neſtorium. Et quem de ratione fidei ad Fœlicem Præfectum dedit.

Ante Annos 1069. qui fuit CHRISTI 496.

ANASTASIVS II. Petri filius, Romanus, de regione Eſquiliana, ſedit Pontifex Romæ Ann. j. M. xj. D. xxiiij. vir doctiſsimus, diuinarum literarum Græcarumq́; diſciplinarum egregiè peritus, ad Anaſtaſium Auguſtum prolixam de pace Eccleſiæ Epiſtolam dedit, ſed cùm Acacio faueret, Imperato ipſum excommunicauit, quamuis & Pontifex poſtea à Patriarcha Conſtantinopolitano ſeductus errorem eius imitaretur. Subito morbo correptus interijt xiij. Calend. Decembr. Anno ccccxcviij. ſepultus Romæ ad S. Petrum.

Ante Annos 1067. qui fuit CHRISTI 498.

S. COELIVS Symmachus, natione Sardus, patre Fortunato, ſedit Pontifex Romæ Ann. xv. M. vij. D. xxviij. Non ſine magna diſcordia Rauennæ in Synodo creatus. Præſul ſanctitate, doctrina, pietate, religione, humanitate, modeſtia, charitate in proximum & pauperes CHRISTI ex omni parte laudandus. Manichæos ab vrbe expulit, eorumq́; libros ante fores Conſtantinianæ baſilicæ concremauit. Pauperibus ad baſilicas Petri & Pauli habitacula extruxit, curauitq́; ne quid eis deeſſet quod ad victum pertineret. Amator enim pauperum fuit, & Epiſcopis ac cæteris clericis, in Africa & Sardinia propter Catho-

licam fidem exulantibus pecunias & vestes subministrabat. Redemit & captiuos in diuersis prouincijs multa pecunia. Decreta Synodi Romanæ doctissimis voluminibus complexus est; & de excessibus clericorũ libros cùm vtiles tum necessarios confecit. Nil postremò omisit, quod ad omnipotentis DEI gloriam pertinebat. Obijt xiiij. Calend. August. Anno Dxiiij. sepultus Romæ ad S. Petrum.

Ante Annos 1066. qui fuit CHRISTI 499.

ANITIUS Boëthius Manlius Seuerinus Torquatus, vir doctissimus atque innocentissimus, Patricius & Consul Romanus Philosophus, Mathematicus atque Poëta suæ ætatis clarissimus multis tam ciuium quàm externorum inopię succurrendo saluti fuit, Græco & Latino copiosissimè imbutus eloquio, Rationis intuitu animaduertens Theodoricum Gothorum Regem tyrannicè viuere, dum eius tyrannidi obuiare molitur, ab eo in exilium relegatus est, vbi de contemptu mundi Philosophicum vtile valde scripsit opus. Extant præter hæc alia scripturarũ suarũ monimenta præclara, inter quæ contra Sabelliũ & Arrium de fidei sanctæ Trinitatis regulis, ac contra Nestorianã Eutichianãq; hęresim Ecclesiæ DEI tam vtile q̃ subtile reliquit opus. Theodoricus Rex rabie suę iniquitatis stimulatus, & à delatoribus persuasus, ex optimo Rege seuerus tyrannus effectus, aduersarios suos existimans omnes quos Catholicæ fidei assertores inuenit, optimum Ciuem Romanum Boëthium ad delationem duorum factiosissimorum ciuium Opilonis & Gaudentij suspectum habens, quasi Iustini partibus studeret, cuius optimã popularemq; administrationem longè suspectiorem habebat, integerrimum ciuem varijs criminibus insimulatum, in tetrum atque horrendum carcerem conijcit, deinde fame atque inedia & pedore cruciatum penè extinguit, nobilissimumq; Romani senatus Principem (quasi librum illum elegantissimũ quem de Trinitate aduersus Arrianos conscripserat, in eius contumeliam composuisset) interfici iubet, Anno CHRISTI Dxxiiij. Vnde non multo pòst ipse Theodoricus apoplexia magnis cruciatibus extinctus est. Sepulchrum Boëthij ostenditur Ticini, & sub nomine Seuerini catalogo sanctorum insertus dicitur.

Ante

Ante Annos 1065. qui fuit CHRISTI 500.

S. ALCIMVS Auitus Archiepiscopus Viennensis, Gallus, vir doctrina, moribus & vitę sanctitate clarus, princeps suę ætatis Philosophorũ, dicendi artifex & Doctor eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, de mundi origine volumen doctè cõpositum ædidit, Aliud prætereа de sententia DEI. Rursus de diluuio mundi Commentarios reliquit. De transitu quoque maris rubri librum. Alium de peccato originali. Et quem de virginitate ad Fuscinam sororem dedit. Homilias multas. Epistolas verò plures ad diuersos scripsit.

Ante Annos 1064. qui fuit CHSISTI 501.

S. PASCASIVS, Romanæ Diaconus Ecclesiæ, vir doctissimus atq; humanissimus, tum eruditionis tum sanctitatis fama clarus, vt cuius dalmaticæ attactu dæmoniacum sanatum scribat Gregorius, fidei Christianæ defensor insignis, facilè omnes sui temporis literarum sacrarum professores scientia, eruditione & doctrina superans, aduersus errores Græcorum, Macedonij, Arrianorum, Sabellianorum & Nouatianorum de Spiritu sancto libros tres, omnium eloquentissimos confecit. Huius animam in purgatorio à S. Germano Capuano Episcopo non aliam ob causam visam esse torqueri Gregorius refert, quàm quòd in electione Symachi Papæ Laurentium magis elegerit.

GODALBERTVS Presbyter, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Theologus profundus, Orator eloquens, atque Poëta insignis, versu heroico allegorias scripturarum ab initio mundi vsque ad partum virginis libris quatuor complexus est.

Ante Annos 1063. qui fuit CHRISTI 502.

EVODIVS Episcopus Ticinensis, vir omni literatura doctissimus adeoque subtilissimus, tam Græcæ quàm Latinæ eloquentiæ studijs imbutus, ab Hormisda Romanorum Pontifice Constantinopolim in causis fidei ad Anastasium Cæsarem Augustum hæreticum Orator missus, multis affectus iniurijs, vna cum socijs vrbis repulsam patitur, quos contra iu-

gentium

gentium Imperator reiectos à se, naui quassa & rimosa ea conditione nauigare iussit, vt rectà in Italiam redirent, nec vllũ Grçciæ littus attingerent. Hæc etiam eisdem mandata ad Pontificem dedisse referunt, vt sciret Imperatoris proprium esse imperare, & non imperata Pontificis aut cuiusuis alterius accipere. Fuere autem legati Euodius Ticinensis Episcopus, Fortunatus Catinensis, Venantius vrbis Romæ Presbyter, & Vitalis Diaconus. Theologorum celeberrimus Euodius de fide Catholica librum diuina excultum doctrina Symacho Pontifici dicauit.

Ante Annos 1062. qui fuit CHRISTI 503.

S. CROTOLDVS, Vangionum vrbis Antistes, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, cõuersatione deuotus adeoq; sanctißimus, qui Cornelia vrbe ab Attila deuastata, basilicam S. Petri eô loci ad Nicrum fluuium, in valle Vvimpinensi construxit, luculentißimos aduersus hæreses omnes, tum grauiter tum argutè, nostram defendens religionem libros confecit, cui hoc Epitaphium posteritas reliquit:

Pone iacet sanctus Crotoldus in vrbe sepultus,
Cuius fama patet, laus quoq; vera DEO.
Spargere qui studuit diuini semina verbi,
In cœli regno semina læta metet.

GILDAS Albanius, ex regio Britannorum stemmate prognatus, Princeps ingeniosus, grauis & ornatus moribus, omnes bonas artes summo in precio habuit, in templo frequens, numinis reuerentißimus, liberalibus studijs sacrisque disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus, de Euangeliorum concordia volumen scripsit. De victoria Aurelij atque Ambrosij Præsulum libros. Acta Sanctorum Germani & Lupi aliaq; scripta plura quæ multum Ecclesiæ DEI afferunt momenti reliquit. Obijt non longè à Sabrinæ fluuio Anno CHRISTI Dxij.

Ante Annos 1060. qui fuit CHSISTI 505.

AGNELLVS Episcopus, nobilis veræ pietatis propugnator, vir non minus vita quàm eloquentia insignis, literarum

teratum cultor eximius, Epistolam quandam ad Arminium de ratione fidei dedit, in qua præcipuè Arrianam hæresim refutat, DEI patris & filij consubstantiali & coæua natura.

Ante Annos 1056. qui fuit CHRISTI 509.

EVGYPPIVS Presbyter, & Monachus in Africa, ad quem S. Fulgentij Ruspensis nonnullæ feruntur Epistolæ, vir grauis & prudens, nobilissimus rerum diuinarum interpres, & in lectione librorum B. Augustini singulariter deuotus, & monachorum regulas composuit, & S. Seuerini Abbatis eleganti stylo vitam ædidit. Ad Probam quoq; mulierem volumen thesaurorum grande, ex D. Augustini operibus, capitula habens trecenta compositum scripsit.

Ante Annos 1052. qui fuit CHRISTI 513.

SYMACHVS, Patricius Senator & Consul Romanus, socer Boëthij, Philosophus atque Rhetor insignis, & Christianæ fidei cultor magnificus, à suæ gentis maioribus nobilitatem adeptus, in religionis nostræ defensionē Epistolas plures ad diuersos composuit: quem cùm Theodoricus Gothorum Rex ad delationem duorum factiosissimorum ciuium Romanorum Opilonis & Gaudentij suspectum habebat, quasi Iustini partibus studeret, carcere primò afficit, mox cum Boëthio Papiam relegat & interfici iubet, Anno CHRISTI Dxxiiij. Quam quidem sæuitiam ira diuina non ita multo pòst grauiore pœna compescuit, Apoplexia enim Theodoricus moritur, eiusq; anima (vt quidam Eremita vir sanctissimus retulit) in ignem lipareum immersa est. Procopius lib. j. belli Gothici vbi de morte Theodorici agit inter cætera commemorat: paucis diebus post Boëthij & Symachi cædem, cùm cœnanti Theodorico caput piscis esset oblatum, refugisse Theodoricum, quasi Symmachi faciem oblatam vidisset, quæ inferiore labro mordicus apprehenso, toruis sibi oculis minaretur, territumq; eo ostento in mortiferum incidisse languorem, statimq; deficientibus membris in cubiculum secessisse, vbi lecto decumbens, & parumper quiescens, magnam togarũ vim vt sibi ingererent, iussisse. Deinde Elpidio medico omnibus quemadmodum accidissent diligentius explicatis, in Symachum

chum Boëthiumq; patratum à se scelus acerbo luctu deflebat: quo deniq; deplorato, ex accepta calamitate dolore ingenti affectus, haud longè pòst moritur cùm primum id iniustitiæ & vltimum in suos subditos exemplum exercuisset.

Ante Annos 1051. qui fuit CHRISTI 514.

S. HORMISDA, patria Frusinonius, natione Campanus, patre Iusto, sedit Pontifex Romæ Ann. ix. D. xvij. Vir doctrina, virtute, comitate, gratia, liberalitate & magnificētia tanto Pontificatu dignus, licet quòd se indignum arbitraretur, rogauerit omnes supplex etiam, vt Ecclesiæ DEI maturius consulerent. Prouincialem Synodum in vrbe habuit, omniumq; cōsensu Eutychianos iam antea improbatos damnauit. Ioannem quoque Constantinopolitanum Episcopum literis & nuncijs adhortatus est, vt ab eadem hæresi desisteret, crederetque duas in CHRISTO naturas esse, diuinam & humanam. Decretum Synodale promulgauit. Ad Iustinum Augustum Epistolam dedit. Aliam item ad clericos secundæ Syriæ. Obijt viij. Id. August. Anno Dxxiij. sepultus Romæ ad S. Petrum.

Ante Annos 1047. qui fuit CHRISTI 518.

S. BRIGIDA Laginensis, natione Scota, nobilissimæ virginitatis sanctissimæq; pietatis præclarissimū exemplar, Daboth Principis ea in regione viri ex Crocha vxore filia, quā à pueritia bonarum virtutum studijs apprimè parentes erudierant. Dum iam viro maturam matrimonio copulare decreuissent, renuens, se perpetuam delegisse pudicitiam atq; castimoniā respondit, & cùm pro more virginum profitentiū miraculis clara lignum Altaris tangeret, aridum mox in testimonium virginitatis suæ reuixit. Aquam optimam aliquando in ceruisiam atque lapidem in salem conuertit. Cæcū à natiuitate illuminauit, aliaq; plurima patrauit miracula, quæ hîc commemorare supersedeo: cumq; omni doctrinarum genere celeberrima esset, reuelationum suarum libros xij. obscurissimos composuit.

Ante Annos 1041. qui fuit CHRISTI 524.

IOANNES, Antiochenæ Presbyter Ecclesiæ, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus,

bilissimus, multa contra eos qui in vna tantū substantia CHRISTVM adorandum censebant scripsit.

Ante Annos 1040. qui fuit CHRISTI 525.

CYPRIGNIVS, Episcopus Hispanus, cùm ad summam peritiam artium dicendi omnium peruenisset, doctissimos in Apocalypsin Commentarios reliquit.

Ante Annos 1038. qui fuit CHRISTI 527.

FL. ANICIVS Iustinianus Imperator, Iustini primi ex sorore nepos, genere Thrax, ignotis parentibus & obscuris in Illyrico, in vrbe Bederina natus, regnauit Ann. xxxviij. M. vij. D. xiij. Quem tanti constat ingenij, tantæq; doctrinæ fuisse, vt mirum nō sit, si leges Romanas sparsas & incompositas in ordinem ad vtilitatem hominum redegerit, eaq; absciderit quæ superuacanea & inutilia videbantur. Hac tamen in re consilio & opera Ioannis patricij Tribuniani, Theophili, Dorothæi vsus est, qui tum doctrina & authoritate insignes habebantur. Immensum namq; illud librorum pelagus (ad duo enim ferè millia librorum fuisse constat) coaceruatis simul ab vrbe condita vsque ad hæc tempora tot iudicijs, in quinquaginta libros titulatim digessit, quos nunc Digesta, nunc Pandecta appellant, quòd omnem ciuilem doctrinam contineant. Idem quoque legum Epitomen fecit librorum quatuor. Has autem leges, institutiones vocat. Dicimus etiam Iustiniani codicem & volumen esse. Libros præterea de incarnatione Domini contra Eutychen, & doctè & eleganter scripsit. Aduersum Episcopos quoque Africanos volumen. Maximus certè Princeps, nisi postremò & ipse delirij Eutychiani defensor extitisset. Affectus morbo, non sanus mente, cùm edictum authore Eutropio lib. xvj. vbique à pietate alienum promulgasset, Idib. Nouemb. decessit, Anno Saluatoris CHRISTI Dlxvj. sepultus Constantinopoli.

Ante Annos 1035. qui fuit CHRISTI 530.

APRIGIVS, Ecclesiæ Pacensis Hispaniarum Episcopus, qui cùm diuitiarū contemptu, Philosophiæq; & Græcarum disciplinarū scientia, tum sacrarū literarū studio & peritia

publicisq; scripturæ enarrationibus & disputationibus admirationem omnium promeritus est, in Apocalypsin Ioannis, Cantica Canticorum quoq; prolixos Commentarios scripsit.

IORDANVS, ex monacho Episcopus Gothorum, natione Gothus, scrutator temporum, & rerum gestarum scriptor insignis, doctrina, moribus & vitæ continentia nemini secundus, Historiarum volumina duo doctissimè confecit.

Ante Annos 1034. qui fuit CHRISTI 531.

FACVNDVS, Hermianensis Episcopus, vir omni literatura doctissimus adeoq; subtilissimus, suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, athleta pro CHRISTI fide inuictus, insigne contra Eutychianos volumen, & doctè & prolixè conscriptum ædidit. Aduersus Mutianum præterea Scholasticum defensionem Theodori Mopsuestiæ Episcopi scripsit.

S. BENEDICTVS Abbas, & fundator Cassinensis in Campania, patria Nursinus, generosis parentibus natus, vir doctrina & sanctitate vitæ præclarus, ab adolescentia Romæ liberalibus studijs theologicæq; doctrinæ vacauit, in tantum, vt breui & publicam monachorum scholam habuerit, & ęditis libris rationem monasticæ vitæ Italis dederit. Scribit B. Gregorius, Totilam Gothorum Regem, cum S. Benedicto Abbate congressum in Bauro, vbi ille vetustam Apollinis templum in vsum monasterij verterat. Volens enim Rex experimenta sumere sanctitatis, si Benedictus incomperta nosset, & famam prophetici spiritus adimpleret, & vno ex comitibus (quem Regia veste sua ornauerat) præmisso, ipse inter commilitones ad subornati Regis obsequium sequebatur. Prodierat in templi vestibulum Benedictus, magnanimũ Regem humillimè excepturus, cùm turba illi obuia sese in duas partes scindens medium reliquit illum, qui superbissimo incessu gradiens Totilam simulabat. Sed vir DEO plenus, quem nunquam viderat cognouit, & ad reliquum comitatum abire iusso, Totilam oculis manuq; indicatum euocauit, hortatusq; fuit, vt DEVM timeat, sanctimoniam veneretur, iustitiam sectetur. Prædicit quòd Romam denuò caperet, & Siciliam in suam potestatem redigeret, & demum nono anno regni

sui

sui superatus occumberet. His itaque B. Benedicti suasionibus effectum esse credebatur, vt Totilas deinceps se omnibus benignissimum demonstraret.

Ante Annos 1028. *qui fuit* CHRISTI 537.

DIONYSIVS, Abbas Romanus, cognomento exiguus, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Græco atque Latino instructus eloquio, vitam S. Pachomij Abbatis, librum quoque Gregorij Emiseni de conditione hominis, & scripta Proterij Alexandrini Episcopi ex Græco in Latinum transtulit sermonem.

Ante Annos 1027. *qui fuit* CHRISTI 538.

IVSTINIANVS, Valentinæ Præsul Ecclesiæ, vir multæ doctrinæ compositæq; eloquentiæ, multa prædicauit & scripsit ad doctrinam Christianam pertinentia, præsertim verò de quinq; quæstionibus ad quendam Rusticum volumen.

IVSTVS, Orgelitanæ Antistes Ecclesiæ, vir vita & doctrina insignis, frater Iustiniani Valentinianorum Episcopi, Philosophiæ & Sacrarum literarum studio atq; peritia, publicisque scripturæ enarrationibus & disputationibus admirandus, in Cantica Canticorum prolixa Commentaria reliquit.

Ante Annos 1026. *qui fuit* CHRISTI 539.

S. ANDREAS, Episcopus Cretæ, omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus Antistes, qui æquè Græcam ac Latinam nouerat linguam, vir deuotus adeoq; sanctißimus, sermonem Lazari quatriduani conscripsit. Diuinam quoq; Domini resurrectionem prolixo volumine, verbis amplißimis populo commendauit.

Ante Annos 1025. *qui fuit* CHRISTI 540.

VICTOR, Episcopus Cumenensis, Ecclesiæ Africanæ, eruditione iuxtà & vitæ instituto Præsul eximius, Philosophus insignis, Historicus celeberrimus, multarumq; literarũ & rerum peritißimus, Chronologiam omnium mundi temporum ab initio vsque ad primum Iustini iunioris imperij annum

de rebus gestis & bellis Ecclesiasticis pertexuit.

Ante Annos 1023. qui fuit CHRISTI 542.

S. MARTINVS Episcopus, Dumiensis Cœnobij rector quondam & Abbas, vir certè ingenio clarus, nec minus literis valens, liberalis in omnes, comis & perhumanus, veniens à partibus Orientis in Galliam, Sueuorum gentem doctrina atq; miraculis ab Arriana impietate ad Orthodoxam fidem cõuertit. Mitoni Galatiæ Regi doctos de quatuor virtutibus quas Cardinales vocant Commentarios dicauit.

Ante Annos 1018. qui fuit CHRISTI 547.

ARATOR, Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Subdiaconus, Poëta suæ ætatis nobilissimus, nec vlli Theologorum secundus, cùm eloquentiæ vi polleret, diuinæque gratiæ neruis validus esset, librum de actibus Apostolorum versibus hexametris, cum præfatione ad Florianum Abbatem conscribens, Vigilio Pontifici Maximo obtulit, & publicè magno cum fauore recitauit.

Ante Annos 1005. qui fuit CHRISTI 560.

BRENDANVS Abbas, ex Occidentali Hiberniæ regione natus, vir doctissimus, atq; in monastica disciplina exercitatus, nec vlli suæ ætatis Theologorum secundus, de legibus & obseruationibus monachorum volumen scripsit.

Ante Annos 1000. qui fuit CHRISTI 565.

S. LEANDER, ex monacho Hispalensis Pontifex, patria Carthaginensis, prouinciæ Hispaniæ, patre natus Seueriano, cui B. Gregorius volumina commentariorum in Iob dicauit, vir fide Catholicus, & in lege DEI exercitatissimus, atque in sacris scripturis doctissimus, acerrimè disputans adeò confutauit sectã Arrianam, vt Recaredus Gothorum Rex, cum proceribus & omni gente sua Gothica renunciaret paterno & gentili errori, seq; cæteris per Catholicam Ecclesiã fidelibus religione & fide conformaret. Cùm Hermegildo fratre Recaredi, viuente Rege Leonegildo parente, acerrimo Arrianæ perfidiæ defensore, omniumq; Catholicorum hoste & persecutore, Leander Episcopus de

pus de vera religione conferens, ostendit ex sacræ scripturæ testimonijs intolerabilem Arrianæ perfidiæ impietatem, tantumque profecit, vt volentem CHRISTO lucraretur. Itaque Hermengildo ad Catholicam Ecclesiam & fidem conuerso, pater eum ferro vinciri iubet, & in carcerem trudi. Sed nullæ carceris tenebræ poterant veræ fidei lumen in eo accensum extinguere, quin potius gauderet se pro CHRISTI nomine contumeliam pati. Perseuerauitque in ea CHRISTI confessione vsq; ad vitæ exitum per illustre martyrium. Ipso enim sanctissimo Dominicæ resurrectionis die, orto iam Sole, impius Rex, pium & optimũ filium in carcere clausum securi percussit, CHRISTOq; preciosum Martyrem consecrauit. Leandrum verò Episcopum in exilium relegauit, qua re factum, vt contra instituta Arrianorum doctos libros. Alios item aduersus hæreticos. Rursus de virginitate ad Florentinam. De contemptu quoque mortis ad fratrem. Et cui de sacrificiorum laude titulum fecit volumen conscriberet.

Ante Annos 999. qui fuit CHRISTI 566.

S. ANASTASIVS, Episcopus Antiochenus, vir diuinarum rerum maximè peritus, in morum autem & quotidianæ vitæ integritate tam accuratæ obseruantiæ, vt & leuiculis quoque negocijs moderationem adhiberet, & non modò in rebus grauibus & ad diuinum numen pertinentibus, sed etiam in minimis à constanti certoque proposito haudquaquam transuersim excideret. Mentis verò habitum quàm optimè temperauit. In hunc perinde atque in propugnaculum quoddam Iustinianus impegit, omni illum arte aggressus, rectè hac secum, vt illi videbatur, ratione deliberata, eum si concussisset, non difficili opere se orbem omnem in potestatem suam redacturum, vera & germana dogmata euersurum, & CHRISTI gregem in captiuitatem abducturum. Anastasius verò fidei petra firmiter est nixus, & adeò aduersus Imperatoris impetum diuina prorsus sublatus mente substitit, vt propalàm disertis verbis, demonstrationes quoque arte maxima compositas adhibendo, illi dixerit, corruptibile fuisse ante passionem Domini corpus, naturalibusq;

libusque & irreprehensibilibus obnoxium professionibus. Idq; ita & sacros Apostolos tradidisse,& diuos patres sensisse atq; prædicasse. Quæ sanè omnia etiam ad monachorum primæ & secundæ Syriæ ordinem,qui illum de eis consuluerant manifestè & liberè cōscripsit,omnes vt ita sentirent, confirmans. & quasi quidam aliptes ad certamen pro pietate obeundum excitans. Dictumque illud quod vas electionis protulit, omnibus subijciens atq; proponens: Si quis vobis, præterquam accepistis, euangelizauerit,anathema sit. Illi porrò omnes in eadem sententiæ æmulatione perstiterunt. Quam ob causam, vt sibi ita resistentem in exilium ageret, Iustinianus consilium cœpit. Id verò vt Anastasius audiuit, compositam statim orationem, in qua argumentis cum aduersarijs congrederetur. Antiochenis, vt ea se defenderent,si opus esset,obtulit. Ea autem verborum elegātia & Enthymematum densitate est confecta, nec nō dictorum ex sacris literis depromptorum vbertate, ad rem ipsam ita accommodata, vt maximam author libri eius consecutus sit admirationem. Sed scriptum id,quod D E V S meliori quadam ratione Ecclesiæ suę consultum voluerit,editum non est. Iustinianus namq;. cùm,Anastasij sacerdotumq; eius,qui eodem cum illo ardore flagrabāt, exilij libellum dictaret, inuisibili ictus plaga, ex hac vita excessit. Fl.Tiberio Mauritio postea imperij habenas administrante ab exilio reuocatus, cùm tumultus grauis Antiochiæ inter Iudæos & Christianos per res nouas insurgeret, Iudæi ciuitatis Antistitem Anastasium è throno suo deturbatum, funeq; pedibus alligato, per vrbem tractum,fœda morte affecerunt,Pudendas namq; naturæ partes inter trahendum ense excisas,in os eius iniecere. Postea verò illum perinde atq; holocaustum quoddam, igni tradidere: virum sapientia & virtute pręclarum,primariumq; dogmatum Ecclesiæ doctorem quippe qui lucubrationes multas eidem reliquerit. Huius liber est cui nomen ὁδηγός, hoc est, viæ dux, & Ecclesiæ dogmatum fines, aliaq; prętereа plurima. Item in sextum Psalmum liber,in ingressu ieiuniorum editus. Rursus oratio ad Antiochenos, in introitu suo scripta. Et pacificatoria alia, quam trigesimo tertio anno in thronum suum postliminio reuersus composuit, Mauricio imperium obtinente: quem etiam in eo scripto, quod ab exilio reuocatus sit,laudibus effert. Huic

Anastasio,

Anastasio, propterea quòd in Syneo monte philosophatus sit, & sensum ibi carnis domuerit, Synaitæ cognomen inditum est.

Ante Annos 993. qui fuit CHRISTI 572.

GILDAS Badonicus, cognomento sapiens, Bannochorensis monachus apud Britannos, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, de Britanniæ excidio volumen scripsit. Homilias verò ad populum plures. Obijt iam nonagenarius Anno CHRISTI Dlxxx.

Ante Annos 990. qui fuit CHRISTI 575.

S. VENANTIVS Honorius Clementianus Fortunatus, Episcopus Pictauiensis in Gallia, Taruisio oriundus, natione Italus, qui cùm virtute B. Martini Turonensium Antistitis oculorum dolore liberaretur, pro beneficijs gratias relaturus Turonis ad monumentum eius veniens, primò Presbyter, hinc Pictauiensis Præsul est ordinatus, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, totius Galliç religione & doctrina facilè princeps, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus. Gallos ad mitiorem cultum redegit scriptis & exemplo. Ad Sigebertum enim eorum Regem libellum de gubernando regno cōscripsit, ac B. Martini vitam eleganter composuit. Ad D. Gregorium Magnum Pontificem Romanorum vndecim libros Carminum scripsit, libri secundi Oda tertia est Hymnus cuius initium est.

Crux fidelis inter omnes
Arbor vna nobilis.

At eiusdem libri Oda sexta ad Fœlicem de Paschate illud Elegiacum.

Salue festa dies, toto venerabilis æuo,
Qua DEVS infernum vicit, & astra tenet.

Vitas quoq; S. Hilarij Pictauiensium, & S. Maurilij Præsulum eleganter confecit. Ad S. Radegundem, Regis Turingorū filiam, atq; Principis Francorum captiuam postea Pictauiensis Cœnobij Abbatissam versu hexametro opus de excidio regni Thuringorū doctissimum absoluit. Plura alia opuscula Fl. Iustino iuniore imperante quæ eximij eius studij satis magno sunt documento cōscribens.

M. AVRELIVS Cassiodorus Rauennas, Theodorici Regis Gothorum & Italiæ Cancellarius: vir equidem, vt tum tempora ferebant, admodum eruditus, & ingenio singulari. Vnde ob eius doctrinam præceptor Theodorico primū datus, à quo per omnes dignitatis gradus sublevatus est. Senator factus, vir clarissimus & illustris, meruit tū sacri Palatij esse Quæstor, tum Consul ordinarius, tum Magister officiorum, ac Patricius Romanus, quæ suprema erat dignitas. Cùm itaque per omnes dignitates nullo fastu transijsset, clarissimorumque virorum, Consulum & Senatorum fortunas conspexisset: altius cogitationes suas in DEVM optimum maximum collocans, abiectis dignitatibus secularibus, se DEO deuouit: factusq; monachus, & Abbas Cœnobij Rauennatis, diuinis se scripturis totum & contemplationi dedidit, vitamq; fœlicem ad annos nonaginta amplius traduxit. In quibus multa scripsit, vt literas sacras illustraret: inprimis in Psalmos, commentarios non contemnendos: De ratione animæ: De charitate DEI & proximi, ac vera amicitia: in Cantica Canticorum: Complexiones in Apocalypsim: in Epistolas Canonicas: in Actus Apostolorum: Memoriale scripturarum: Librum introductorium in diuinarum scripturarum seriē, quo iuniores adhortatur ad sacras literas capessendas: & librum alterum, in notitiam compendiosam secularium literarum introductorium. Duodecim libros de origine actibusque Gothorum, vt ipse fatetur in proœmio libri Epistolarum, quos excerpsit Iornandes, qui eum per excellentiam Senatorem appellat: item historiam quam Sozomenus, Socrates & Theoderitus græcè scripserunt, & Epiphanius latinitate donauit, in bonam redegit seriem: & publicauit eam quæ vulgò tripartita nuncupatur. Fecit & plerosq; alios libros transferri, quemadmodum in Introductorio libro fatetur: inter quos etiam numerantur viginti libri Antiquitatum Iosephi, qui opera & studio Cassiodori, in Latinum versi sunt, præter hanc translationem Ruffini, quam hodie in manibus habemus. Epistolarum quoque libros duodecim, quos variarū inscribit: in quibus ea quæ sub Theodorico & Atalarico Regibus, & Amalasunta Regina, Republica gesta sunt, continentur. Vltimi autem duo libri, quos ipse Cassiodorus in

Præfectura

Præfectura sua tanquam Præpositus ac Senator, ad Senatum, Episcopos, Cancellarios, Iudices, Comites scribit, suorum temporum res gestas æquè complectuntur: quibus apparet, quanta in eo fuerit integritas, iustitia, prudentia, & quanta diligentia Rempublicam curarit. Chronicon quoque, in quo seriem Consulum recenset, & si quid insigne interim acciderit, annotat, & multa alia, de quibus cæteri, sed sine authore, loquuntur, scripsit.

Ante Annos 989. qui fuit CHRISTI 576.

SEVERVS, Malacitanæ vrbis Episcopus, Carthaginensium Præsulis Latiniani familiaris, suæ ætatis facilè omnium eloquentissimus ac celeberrimus, contra Vincentium Cæsaraugustanum Antistitem, qui de fide Catholica in Arrianam fuerat deuolutus hæresim insigne volumen scripsit. Librum quoque de virginitate ad sororem quem Aureolum appellauit.

Ante Annos 988. qui fuit CHRISTI 577.

S. IOANNES Episcopus Constantinopolitanus, hunc alij Alexandrinum vocant, natione Cappadox, qui quòd voluptates expugnarit, animíque perturbationes coercuerit, & imperium in ventrem exercuerit, νηστευτής, hoc est, ieiunator, à Byzantijs cognominatus est: vir ex idiotarum quidem ille & opificij non inhonesti ordine progressus, sed qui propter præstantem virtutem ad episcopatus fastigium sublatus sit. De quo cùm multa alia memoratu digna prædicantur, tum illud maximè celebratur, quòd propter suam erga pauperes affectionem & misericordiam, pluribus ab Imperatore talentis mutuò sumptis, syngrapham illi dederit, qua substantiam suam mutuæ pecuniæ tanquam hypothecam apposuit atque impignorauit. At postquam is è vita migrauit, Mauritius Antistitis facultates inquirens, paupertatem eum magnopere consectatum fuisse comperit: eumque de virtute tanta admiratus, syngrapham statim discerpsit: & lectulum tantùm ligneum, qui in bonis eius repertus est, & amiculum laneum tenue admodū, nec

non penulam quandam deformem (fuerat namque Ioannes malè vestitus, frugalitate vitæ conspicuus) in aulam Imperialem inferri iussit, eaque rebus omnibus prætulit. Et ieiuniorum solenni tempore deinceps, lectis ex auro & lapillis preciosis concinnatis, sericisque vestibus, & alijs Imperialibus delicijs valedicto, ligneo Præsulis eius toro noctibus totis vsus est, gratiam quandam diuinam ex eo se consecuturum existimans. Sanctissimus noster ille Ioannes, omni doctrinarum genere consumatissimus, Orientalem Ecclesiam quoad fieri potuit in fide continuit legendo, disputando, scribendo, monendo, docendo. Græco sermone ad S. Leandrum Hispalensem Episcopum de Sacramento baptismatis volumina scripsit, xiij. Episcopatus sui anno ex hac vita decedens. Cuius sacri cineres in arce Budensi fuere.

Ante Annos 986. qui fuit CHRISTI 579.

S. COLVMBANVS, Abbas Luxouiensis, gente Gothus, ex Scotia in Burgundiam primò veniens Luxouiense monasterium egregium id quidem extruxit: inde in Italiam abiens, apud Bobium in Apennino aliud monasterium amplum sanè inter Hetruscos, Ligures & Insubres ædificauit. Apud Francos à Rege Theodorico in exilium missus est, quòd diceret nothos Regis filios quos ex scortis suscepisset in regnum succedere non debere, vir sanctissimus, atque in diuina literatura probè instructus, Commentarios in Psalterium eleganti stylo compositos reliquit. Moritur xj. calend. Decembr. Anno Dxcviij.

Ante Annos 983. qui fuit CHRISTI 582.

S. RVPERTVS, Vangionum primò, Salisburgensis postea Præsul, ex nobili prosapia Franciæ Regum ac Scotiæ Ducum ortus, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ totiusque bonitatis nobilissimus Doctor, vir simplex, pius & prudens, sermone constans, certus iudicio, consilio prouidus, strenuus actu, conspicuus charitate, & in vniuersa morum honestate præclarus, ita vt innumerabiles ad eius sanctissimam conuenirent doctrinam, & ab eo æternæ salutis documenta suscipe-

susciperent. A Berchario Vangionum Principe Arriano, publicè virgis cæsus, ex Vvormatiensi Ecclesia & Episcopatu eiectus, in Bauaria circumquaque docens, Theodonem inclitum Bauariæ Ducem Ratisbonę in Christianismo instituit, & cum suis optimatibus sacro regenerationis lauacro abluit. Ibi cum liberam prædicandi CHRISTI potestatem nactus esset, perrexit ad Noricos, & per omnia castella & oppida CHRISTVM intrepidè concionatus est. Venit verò & Salisburgum (quæ vrbs paulò antè solotenus penè ab Attila & Hunnis euersa erat) hanc vepribus & virgultis iam coopertam, situ & ruinis deformatam, Theodonis venia & pace sibi concessam ac donatam, primus de nouo instaurare cœpit, construens amplissimum S. Petri monasterium, in quo ipse primùm sedem suam Episcopalem habens, collectos discipulos fideliter docebat. De fide Orthodoxa ad Theodonem Boiorum Principem volumen scripsit. Epistolas quoq; plures ad diuersos. Obijt Anno CHRISTI Dcxxiij. ipsa Dominicæ Resurrectionis die, cùm sedisset annis penè xliiij. in basilica S. Petri sepultus.

Ante Annos 982. qui fuit CHRISTI 583.

LICINIANVS, Carthaginis Spartariæ Episcopus, vir doctissimus, qui sacras atque profanas literas summè didicerat, de Sacramento baptismatis doctissimũ volumen scripsit. Epistolarum quoq; Eutropio Abbati librum dicauit. Et post multa studiorum exercitia apud Constantinopolim ab æmulis suis veneni poculo extinctus est.

Ante Annos 975. qui fuit CHRISTI 590.

S. GREGORIVS Magnus, Ecclesię Doctor, patria Romanus, patre Gordiano viro Senatorio, Fœlicis Papæ ij. pronepos, Monachus, & S. R. E. Archidiaconus Cardinalis, sedit Pontifex Romæ Ann. xiij. M. vj. D. x. Vno omnium consensu inuitus Pōtifex creatus, cùm Principis consensus requireretur, nuncios cum literis mittit, qui Mauritium obsecrarent, ne pateretur electionem cleri & populi Romani ea in re valere. Interceptæ sunt literæ à Præfecto vrbis, ac discerptæ, scriptæq; aliæ, quibus rogabatur, vt quem populus ac clerus in Pontificem legisset, eundem

dem Imperator confirmaret, quo nihil ei nunciari iucundius ac gratius potuit, cùm secum familiariter, dum Constantinopoli erat, Gregorius vixisset, filiumque eius è fonte baptismatis leuasset. Remittit itaque Mauritius nuncios, ac quidem properè, qui Gregorium confirmarent, cogerentque hominem sanctissimum Pontificatus gubernacula in tanta perturbatione rerum suscipere. Is itaque non sibijpsi, sed vtilitati hominum, ac honori diuino consulens, quem certè ob religionem & pietatem rebus omnibus semper antetulerat, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, atq; omni ambitione & potentia, gubernacula reipublicæ Christianæ suscipiens, ita vixit, vt vsque ad tempora nostra neminem ex successoribus parem habuerit, nedũ superiorem vel sanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & scriptis. Nam & librum de Sacramentis composuit, & Antiphonariũ tam diurnum quàm nocturnum, & commentarios in Ezechielem, in quatuor Euangelia: in Iob quoque allegoricè ad mores & historiam respiciens, eleganter scripsit. Edidit & libros quatuor in Dialogo: & librum quem pastoralem appellauit, ad Iohannem Episcopum Rauennatem de ratione gubernandæ Ecclesiæ Instituit præterea, ne quid ornatus & concentus inter sacrificandum deesset, vt Antiphonæ canerentur, hæc vulgo Introitus vocant. Eius quoq; inuentum est, vt nouies kyrieeleison caneretur, & alleluia, interpositis saptuagesimæ diebus vsq; ad Pascha. Cùm pestis validissima Romæ grassaretur, Supplicationes quas Litanias Græci vocãt primus instituit: quæ cùm canerentur, octoginta homines inter canendum spiritum exhalarũt. Dicitur tunc pestis adeò ingrauata, vt sternutando aut oscitando solùm homines decederent. Vnde ortum habet quòd dicatur, DEVS adiuuet te, vel signum Crucis fiat. In habita processione iam dicta auditæ sunt voces Angelorũ canentium, Regina cœli lætare Alleluia &c. statimq; Gregorius adiecit, Ora pro nobis DEVM Allelnia. Viditq; suprà castrum S. Angeli, quod tum dicebatur Crescentij, vel moles Hadriani, angelum, qui gladium euaginatum cruore detergens in vaginam reposuit, ex quo sanctus vir intellexit, finem adesse pestis, prout experientia postea edocuit. Ne verò vlla in re Ecclesiæ deesset, Synodum habuit apud S. Petrum quatuor & viginti Episcoporum, qua certè multa sustulit quæ nocitura, multa etiã addidit quę profutura

futura fidei nostræ videbantur. Misit & viros optimos in Britanniam, Augustinum, Melitum & Ioannem, cumq; his monachus quosdam probatissimę vitæ: quorum monitis & prædicationibus fidei nostræ dogma Angli tum primùm integrè receperunt. Rediere etiam Gothi Gregorij opera ad vnionem Catholicę fidei. Sunt præterea qui scribant Gregorium Dialogum suum de moribus ad Theudelindam Longobardorum Reginam misisse, cuius lectione præferocem & indomitum viri sui Antharis animum, ad religionem & mitiorem cultum redigeret. Erat enim matrona insignis, & fidei Christianæ studiosissima. Obijt iiij. Id. Mart. Anno Dciiij. sepultus Romæ ad S. Petrum ante secretarium.

Ante Annos 971. qui fuit CHRISTI 594.

S. GREGORIVS, ex monacho Episcopus Turonensis, S. Auiti Principis Auernorum quondam auditor atque discipulus, B. Gregorij Pontificis familiaris & amicus, vir doctissimus atq; humanissimus, tum eruditionis tum sanctitatis fama Præsul insignis, eloquentiæ studijs legitimè imbutus, de laude sanctorũ Martyrum doctissimos reliquit Cõmentarios. Alios præterea de vita quorundam Confessorum. Et quos de S. Iuliani Martyris atq; Martini Turonensium Episcopi miraculis cõtexuit libros.

Ante Annos 969. qui fuit CHRISTI 596.

PATERIVS, Romanæ Notarius Ecclesiæ, vir doctissimus adeoq; humanissimus, colligens omnia diuinæ scripturæ testimonia, per quæ B. Gregorius Pontifex obscura suæ expositionis dilucidauit, tres libros, duos de testimonijs veteris testamenti, vnum porrò de testimonijs noui testamenti composuit, ipsumq; Testimoniorum Codicem inscribi voluit.

Ante Annos 963. qui fuit CHRISTI 602.

S. MARCVS Monachus, D. Benedicti auditor quondam atque discipulus, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Doctor eloquens, grauis & ingeniosus Poëta. S. patris Benedicti vitam horoico carmine complexus est.

Ante

Ante Annos 962. qui fuit CHRISTI 603.

MAXIMVS Cæsaraugustanæ vrbis Episcopus, scriptor eloquens & grauis, Historicus celeberrimus, insigne de gestis Gothorum in Hispanijs volumen contexuit.

Ante Annos 960. qui fuit CHRISTI 605.

S. FAVSTVS, Mauri monasterij ad montana Vosagi monachus, D. Benedicti auditor quondam atque discipulus, natione Italus, septem annorum puer Diuo patri Benedicto oblatus à parentibus, post perfectam regularis propositi institutionem cum B. Mauro in Gallias missus, ad construendum cœnobium prope Tabernas Alsaticas, eò loci quo antiquitus cella S. Leobardi heremitæ fuerat, amplissimum Benedictini instituti monasterium, in honorem Principum Apostolorum Petri ac Pauli sanctiq; Episcopi Martini construxerunt, vbi in magna sanctitate multis annis conuersatus, ad Bonifacium Pontificem de vita S. Mauri Abbatis volumen cõscripsit. Quo mortuo ad montem Cassinum reuersus est.

Ante Annos 957. qui fuit CHRISTI 608.

EVTROPIVS, Valentinæ Præsul Ecclesiæ, quondam Abbas monasterij Sirbitani Benedictinæ professionis, diuinus certè vir, in monastica disciplina exercitatus, & eremi cultor insignis, qui Hispanos doctrina & exemplo in fide continuit, ad Licinianum Antistitem, cur baptizatis infantibus Chrismatis vnctio tribuatur volumen scripsit. Aliud item de coërtione monachorum. Epistolas verò plures ad diuersos.

Ante Annos 956. qui fuit CHRISTI 609.

S. IOANNES Gerundensis, ex monacho Episcopus, qui religionem CHRISTI prædicatione & scriptis vbique tuebatur, genere Gothus, in Lusitania natus, vbi sapere aliquid per ætatẽ cœpisset, Constantinopolim proficiscens, ita Græcè & Latinè doctus inde discessit, vt in Lusitaniam rediens, Arrianam hæresim quæ tum inualuerat facilè conuinceret: hanc ob rem Barchinonam ab hæreticis relegatur. Verùm postea mortuo

Lemin-

Leminguldo Rege, qui hæreticis fauebat, in patriam rediens, & multa scripsit ad doctrinam nostram pertinentia, & monasterium condidit, rationemq; viuendi monachis conscripsit.

S. LEONTIVS, Neapolitanæ vrbis, insulæ Cypri Episcopus, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate nemini secundus, princeps suæ ætatis Philosophorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, de actibus & conuersatione admirandi illius Patriarchæ Constantinopolitani Ioannis, qui ob incredibilē pietatem & liberalitatem in pauperes Eleemosynatius cognominatus est, insigne volumen scripsit.

Ante Annos 953. *qui fuit* CHRISTI 612.

S. ATHANASIVS, Nemetum vrbis Spiræ Antistes, à sacris Dagoberto Francorum Regi, optimus pastor dominici gregis, qui multos finitimos populos gentili errore detentos sana sua doctrina illuminauit atque conuertit, B. Ioannem socium peregrinationis, S. Galli & Columbani discipulum, Constantiensem Episcopum ordinauit, Theodorico Augustudunensi, atque Alberico Lugdunensi coëpiscopis adiuuantibus. Multa volumina tum ad confirmationem nostri dogmatis, tùm ad confutationem Arrianæ perfidiæ confecit. Cumq; præfuisset Nemetibus Annis xl. fœlici fine potitus occubuit.

Ante Annos 950. *qui fuit* CHRISTI 615.

S. ISIDORVS iunior, Episcopus Hispalensis, Leandri successor, B. Gregorij Pontificis auditor quondam atque discipulus, natione Germanus, quanquàm Hispani hunc suum esse affirment, Pontifex sanctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque in sacris scripturis doctissimus, Orator facundus & disertus, Poëta nemini secundus, Theologorum suæ ætatis Princeps, qui Concilio Toletano præsedit, & non solùm sua pontificia authoritate, sed insigni quoque ac pia eruditione qua præditus erat eiusdem Synodi constitutiones confirmauit, atque vt ab omnibus piè & efficaciter obseruarentur effecit. Quæ fidem Christianam mirificè iuuant scripta plurima

Q reliquit.

reliquit. De ſummo enim bono, de viris illuſtribus, de vocabulis Grammatices, & etymologijs libros compoſuit. Maximam Bibliæ partem expoſuit. Euangelia ac Pauli Epiſtolas Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. De ortu & obitu ſanctorum libros edidit. Alios item de Trinitate & officio Miſſæ. Hiſtoriam præterea ab Adam vſque ad tempora Heraclij. Vitas quorundam ſanctorum. Hiſtoriam Longobardorum, & breuem quandam Coſmographiam ſtylo ſatis eleganti proſecutus eſt.

Ante Annos 938. qui fuit CHRISTI 627.

IONAS Monachus, natione Scotus, B. Columbani auditor quondam atque diſcipulus, vir doctiſsimus & humaniſsimus, non minus vita quàm conuerſatione præclarus, S. Patrum Columbani, Euſtaſij atque Attalæ res fortiter geſtas, elegantiſsimis voluminibus confecit.

Ante Annos 932. qui fuit CHRISTI 633.

S. IOANNES Epiſcopus, natione Germanus, patria Churienſis, D. Galli auditor quondam atque diſcipulus, qui ob vitæ ſanctimoniã & integritatem Pius eſt cognominatus, Conſtantienſis ad lacum acronium Pontifex, Theodoro Auguſtudunenſi atq; Alberico Lugdunenſi coëpiſcopus adiuuantibus, per manus S. Athanaſij Spirenſium Antiſtitis conſecratur, cùm eloquentiæ vi polleret, omnium doctrinarum conſumatiſsimus, pro fide Catholica aduerſus hæreticos, & religione inſtructum, & doctè compoſitum volumen ædidit.

Ante Annos 922. qui fuit CHRISTI 643.

S. ARBOGASTVS, Argentoratum Antiſtes, natione Scotus, Dagoberto quondam Francorum Regi à Secretis atque Conſilijs, eremi cultor inſignis, diuinus ſanè vir, atque in monaſtica diſciplina admirandus, diuinarum prædictionum non expers, dæmonum induſtrius expulſor, & prodigiorum ſanationumque promptus & expeditus autor. Sigebertum Dagoberti Francorum Regis filium in venatione, in inſula Rheni Nouiotenſi, miraculo Sanctorum Valerij & Materni, Petri

Apoſtoli diſcipulorum, clara, ab apro occiſum, precibus ad CHRISTVM fuſis vitæ reſtituerat, à quo euentu inſulæ nomen manſit, vt ab Regis interfectore Ebershaymunſter diceretur: vbi poſtea Atticus, eiusque filius Adalbertus, Abbatiam aſſentiente Theodorico tertio Auſtraſiæ Rege conſtituere. Præſulum ſuæ ætatis facilè omnium eloquentiſsimus, in Epiſtolas Pauli doctiſsimos Commentarios ſcripſit.

Ante Annos 905. *qui fuit* CHRISTI 660.

CEDMONVS Simplex Monachus, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, inter cætera ſcripturarum monimenta, De creatione Mundi. De humani generis origine, ac totius Geneſeos Epilogum confecit. Egreſſum rurſus Iſraëlis de Ægypto atque reditum in terram promiſsionis eleganti volumine contexuit. Porrò & de VERBI CHRISTI incarnatione, reſurrectione, paſsione atque aſcenſione ſcripſit. De Aduentu Spiritus ſancti volumen ædidit. Opus præterea cùm vtile tum neceſſarium de futuro iudicio, terrore gehennæ & paradiſi delicijs poſteritatis memoriæ conſecrauit. Cantica ſpiritualia inſtar Pſalmorum perfecit. Poëmata præterea per omnes ferè Bibliorum hiſtorias doctiſsima compoſuit.

Ante Annos 900. *qui fuit* CHRISTI 665.

BENEDICTVS Abbas in Britannia, & vitæ inſtituto & doctrina vir clarus, cùm diuinis literis delectaretur, ſacras ſcripturas publicè docens, fratribus volumen prudenter & doctè compoſitum dicauit, in quo omnes regulas ſanctorum Patrum B. patris Benedicti conferens, oſtendit, quòd omnium aliorum regulæ eidem conſonent, & illa à nulla penitus diſcordet.

Ante Annos 896. *qui fuit* CHRISTI 669.

S. ANDOENVS, qui & Dado, natione Gallus Epiſcopus Rhotomagenſis, frater B. Andonis Monachi, fun-

dator Cœnobij Respacensis, magna vir famà sanctitatis pariter & doctrinæ, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, ad Rupertum Lutetiarum Præsulem, vitam S. Eligij Nouionensis Episcopi, tribus voluminibus doctè atque prolixè conscripsit.

Ante Annos 894. *qui fuit* CHRISTI 671.

S. CÆSARIVS, ex monacho Lirinensis Cœnobij Arelatensis Episcopus in Gallijs, sanctitate & doctrina Præsul insignis, ingenio placidus, eloquio dulcis & ornatus, vt Ecclesia incrementa sua caperet mirificè operam dedit. Summa enim prudentia eam administrans, continua doctrina populum ad studium veritatis excitauit. De gratia & libero arbitrio volumen composuit. Et rursum ad Nationum Præsides aliud. Decretum trium Conciliorum Arelatensium conscripsit. Sermonum verò ad monachos Commentarium.

Ante Annos 885. *qui fuit* CHRISTI 680.

S. IVSTVS, Episcopus Argentoratensis, natione Germanus, generosa stirpe profectus, sanctissimæ vitæ & incomparabilis doctrinæ Antistes, vir suæ ætatis eloquentissimus, Rhetor insignis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, cùm multa pro Ecclesiæ Catholicæ sustentatione constituisset, ad Principium Nemetinæ Præsulem Ecclesiæ doctissimos in Cantica Salomonis Commentarios, qui in Collegio disciplinæ regularis Truttenhusen vsque hodie reseruantur conscripsit. Moritur Argentorati iiij. Id. Octobr. Anno CHRISTI Dclxxxij.

Ante Annos 883. *qui fuit* CHRISTI 682.

S. LEO II. natione Siculus, patre Paulo, S.R.E. Presbyter Cardinalis, sedit Pontifex Romæ M. x. D. xxix. vir doctissimus fuit latinè ac græcè, vt eius scripta indicant. Præterea verò adeò Musices peritus est habitus, vt psalmodiam composuerit, hymnosq; ad meliorem concentum redegerit, artem exercitatione confirmans. Breuis fuit huius sanctissimi viri Pontifi-

catus, sed gloria tanta, vt diutius vixisse appareat, cùm eius nomen omnium laudibus meritò celebretur, in quo præter doctrinam & eloquentiam, singularis religio, mira pietas & eloquentia fuit, quiq; omnes verbis & exemplo ad iustitiam & fortitudinem, humanitatem, benignitatem adhortabatur. Sextam Synodum è Græco in Latinū transtulit eloquium. Epistolas verò plures dedit ad diuersos. Obijt iiij. calend. Iul. Anno Dcclxxxiiij. sepeliturque collachrymantibus omnibus, quasi publico parente orbatis, ad basilicam Diui Petri Apostoli Romæ.

Ante Annos 878. *qui fuit* CHRISTI 687.

S. ADAMANNVS, Presbyter & Abbas Monasterij Huensis, quod D. Columbanus quondam in Scotiæ insula construxerat. Vir omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, qui æquè Græcam ac Latinam nouerat linguam, Philosophus, Orator atque Historicus, suæ tempestatis nobilissimus, de locis terræ sanctæ volumen composuit.

Ante Annos 862. *qui fuit* CHRISTI 703.

S. BEDA, Monachus & Presbyter Monasterij S. Petri & Pauli Apostolorum, quod est in Anglia, ordinis D. Benedicti, præter Græcæ atq; Latinæ linguæ doctrinam, quam non mediocriter tenebat, ob religionem etiam atque modestiam Venerabilis cognomentum adeptus est. Philosophus ac Mathematicus clarissimus, Rhetor insignis, Poëta grauis & ingeniosus, atque Theologorum suæ ætatis nemini secundus: cùm Sarraceni ex Africa soluentes Hispaniam inuaderent, literis Principes ad eam recuperandam sollicitauit. Fratres habuit Straboně & Haymonem, viros doctissimos. Scripsit multa, in Actus Apostolorum, in Lucam. Edidit & librum de temporibus, & Homilias plerasq;. Exposuit vtrumq; Testamentum. Moritur Anno CHRISTI Dccxxxiiij. Ætatis verò lxxij. sepultus in pago natali, quem Angli Girbam appellant.

Ante Annos 856 *qui fuit* CHRISTI 709.

S. ALDELMVS Bladuinus, natione Anglus, Episcopus Occidentalium Saxonum, ex Abbate Maildubensis

Cœnobij in Scotia, Ordinis D. Benedicti, Apostolicę vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus & sublimis, fidei propagator acerrimus, cùm adhuc Abbas esset, iubente Synodo gentis suæ, scripsit aduersus errorem Britonum insigne volumen de celebratione Paschæ. Aliud item de virginum laude contra Britannos. De virginitate ad Ethelburgam libellum. Alium item de charitate mutua & admonitione fraterna. Et rursus quibus Polyanthiæ, hoc est, de floribus vtriusque Testamenti titulum fecit. Homilias verò ad populum plures. Hymnos item & Odas confecit.

Ante Annos 851. *qui fuit* CHRISTI 714.

ACCAS, Hagustaldensis Episcopus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, De passione Sanctorum conscripsit. Ad Bedam rursus pro illustrandis scrip. epistolam prolixam.

Ante Annos 850. *qui fuit* CHRISTI 715.

EGVVINVS Vuiccius, nobili apud Anglosaxones Merciorum Regum genere natus, Monachus Benedictinus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, de primordijs sui Cœnobij libros ædidit. Alios item de suis apparitionibus. Vitam præterea S. Aldelmi Episcopi docto volumine complexus est.

Ante Annos 849. *qui fuit* CHRISTI 716.

GREGORIVS II. patria Romanus, patre Marcello, S. R. E. Diaconus Cardinalis, sedit Pontifex Romæ Ann. xiiij. M. x. D. xxij. Sub Sergio Pontifice sacris initiatus, sacellis & bibliothecæ præfuit, tantæ fidei & integritatis est habitus. Sumens deinde Diaconatus ordinem, Constantinopolim cum Constantino Pontifice proficiscitur: vbi cùm acriter disceptaretur quibusdam de rebus ad fidem pertinentibus, ita acutè respondit, vt omnibus ingenij sui & doctrinæ admirationem inijceret: tantæ enim eruditionis & facundiæ erat, vt facilè conuinceret malè de fide nostra opinantes. Inito autem Pontificatu eius opera Germani ad fidem nostram conuersi sunt misso eò Bonifacio monacho,

monacho, qui eos è tenebris educeret proposita veritatis luce. Ipsorum autem Germanorum magnam partem Romam venientem, suis manibus vir sanctus baptizauit. Pacem præterea inter Regem Longobardorum & Duces Spoletinum ac Beneuentanum composuit. Hos enim Rex ipse opprimere instituerat, cuius animum adeò Pontifex ad mansuetudinem redegit, interposita Saluatoris nostra authoritate, vt omisso bello, armillas, balthеum, ensem, ac reliqua arma templo Principis Apostolorum offerret: cum exercitu enim vsque ad Vaticanum peruenerat, pacato tamen agmine, hac de re cum Pontifice locuturus. Sæpius præterea, vt sanctissimum virum decuit, literis Imperatorem admonuit, vt omissis quorundam improborum erroribus, veram tandem amplecteretur fidem: & abolere sanctorum imagines desineret, quorum memoria & exemplari ad virtutem & imitationem excitarentur homines. Quod cùm minus faceret, contra eundem volumen scripsit. Ad Ioannem quoque Constantinopolitanum Episcopum Commentarios dedit. Obijt iij. Idus Februar. Anno Dccxxxj. sepultus Roma ad Sanctum Petrum.

Ante Annos 848. *qui fuit* CHRISTI 717.

IOANNES Beuerlacius, ex Anglosaxonum regione natus, Archiepiscopus Eboracensis, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, cùm sacras atque profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, doctissimos in Euangelium Lucæ Commentarios ædidit. Homilias verò ad populum plures. Obijt Anno CHRISTI Dccxxj.

Ante Annos 841. *qui fuit* CHRISTI 724.

VVICHERTVS Deirus, ex Anglosaxonia natus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, vitam S. Ceolfridi Abbatis ad Gregorium II. Pontificem Max. scripsit.

Ante

Ante Annos 836. *qui fuit* CHRISTI 729.

EGBERTVS Monachus, Australium seu Sudosaxonum proles, insigni spectataq; virtute præditus vir, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarum literarum Doctor subtilissimus, de ritibus Catholicorum volumen confecit.

S. IOANNES Monachus & Presbyter, cognomento Chrysoras, natione Damascenus, ex Syria, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, conuersatione deuotus, adeoq; sanctissimus, fidei propagator acerrimus, contra Leonem Imperatorem Augustum, imagines sanctorum spernentem, volumina conscripsit doctissima.

Ante Annos 835. *qui fuit* CHRISTI 730.

FOELIX, Crolandiensis Benedictinæ professionis monachus, elegantis copiosæq; elocutionis vir, Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex atq; Doctor eloquens, vitam S. Guthlaci eleganti volumine complexus est.

CYMBERTVS Lyndesius, ex illustri Anglosaxonum familia natus, Philosophus, Rhetor atque Historicus celebris, nec vlli Theologorum secundus, suæ gentis Annales in compendium contraxit, in quibus Sanctorum præcipuè Episcoporum, Martyrum, Doctorum, & Pontificum Romanorum historias recitat. Ad Bedam quoque Epistolas doctissimas scripsit.

Ante Annos 834. *qui fuit* CHRISTI 731.

S. BONIFACIVS, dictus antea VVunefridus seu benefridus, ex serenissima potentissimaque Angliæ Regum stemmate prognatus, patria Londinus, vir sanctitatis eximiæ, è Britannia Romam venit, & ex Monacho Cirencestrensi ob vitæ innocentiam in Germaniam, ad confirmandos prædicatione & exemplo Germanos in fide missus, Archipræsul Moguntinus cōstituitur. Hic Germaniam in fide Catholica fidelibus imbuit

imbuit,& penitus ab Arrianismo liberauit. Vbi ergo suæ iam industriæ & fœlicitatis in mutandis Germanorum animis specimen dedisset, & suos probari ille à nostris hominibus sensisset mores, adgressus est negocium, & ex omni clero quos iudicauit idoneos esse præsides & custodes religionis delegit, & suam cuique designauit tanquam speculam, ex qua in suorum inspiceret vitam,mores & studia,iuraque inde & iudicia,& disciplinam regeret. Burchardo contigit antiquioris Franciæ caput VVurzburgum. VVilibaldo celebre illud ad Almonem oppidum, in quo Ala Narisca, quondam statiua habuit, & Eystadium vulgò nunc dicitur. Lullo & alijs alias dedit prouincias, ipse sibi reseruans in præcipuam stationem Moguntiacum, è qua prouinciales Episcopos gubernaret. Nam Gerio Vangionum Archipræsul, dum Geroaldum patrem in Episcopatu successor vlturus, parricidam sua manu interemisset, Pontificatu abditus,atque in monasterium detrusus est. Sedes etiam Metropolitana in Maguntinam translata Ecclesiam,petente Pipino Vetulo Austriæ Duci, Rhenique Palatino Comite, & Domus regiæ maiori gubernatore. Hinc lege sancitum est, Moguntiacum semper fore Francorum & Germaniæ caput atque Metropolim, id quod Carolomannus & Pipinus postea perpetuo edicto statuerunt. Nec multo pòst Pipinus moto ciuili bello, ad monachos D.Heimerani Reginoburgenses relegato Childerico, Rex à Francicis proceribus declaratus per Bonifacium Præsulem, ritu solenni & Christiano more inungitur, ex quo Moguntinus Archimystes, hodie tenet primas deligendi Imperatorem Germanorum, quem Regem Romanum vocant. Præsul eloquentissimus, cùm in Romani Pontificis obsequia perduxisset Francos, Noricos, Boios, Thyrigetas, Cattos, Saxonum partem & Danos, inter cætera scripturarum monimenta volumen de sua fide & doctrina doctissimè confecit. Composuit & de religione sanctitatis librum. Alium item pro rebus Ecclesiæ. Ædidit rursum de suis in Germania laboribus volumen. Vitas Sanctorum elegantissimis Commentarijs complexus est. De vnitate quoque fidei contra hæreticos scripsit. Anno Saluatoris CHRISTI Dcclv. in Frisiam proficiscens, ab hostibus Christiani nominis, cum quinquaginta quatuor ministris à Frisijs interficitur, cuius cor-

tre Polycramio, S. R. E. Presbyter Cardinalis, sedit Romæ Pontifex. Ann. x. M. iij. D. xv. vir mitissimi ingenij, miræ suauitatis & gratiæ, omni virtute præditus, cleri ac populi Romani amator: ad iram tardus, ad misericordiam & clementiam promptissimus, nulli malum pro malo reddens, sed ad imitationem Saluatoris malum in bono vincens: & adeò quidem, vt quos habuerat æmulos & inimicos, eosdem postea inito Pontificatu honoribus & præmijs afficeret. Quatuor libros Gregorij in Dialogo è Latino in Græcum transtulit, vt haberent Græci vnde bene viuendi rationem addiscerent. Epistolas quoque plures dedit ad diuersos, præsertim verò multas ad Bonifacium Archipræsulem Moguntinum. Obijt Idibus Mart: Anno Dccliij. sepultus Romæ ad Sanctum Petrum.

Ante Annos 820. qui fuit CHRISTI 745.

S. VVILIBALDVS, natione Scotus, ex monacho Episcopus Eistetensis, generosa stirpe Regum Angliæ & Sueuiæ Ducum ortus, patre Richardo, matre verò Bonna. Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ, totiusque bonitatis nobilissimus Doctor, frater Vualpurgis Haidenhaimensis Abbatissæ, S. Bonifacij Angli comes, consanguineus atque discipulus, cùm desiderio sacrorum locorum Roma Hierosolymam perrexisset, in reditu ad confirmandos prædicatione & exemplo Germanos, in fide à Gregorio II. Pontifice Maximo in Germaniam missus, per Bonifacium Archimystam Moguntinensem Presbyter ordinatus, Aureatensis Ecclesiæ administrationem suscepit. Cumque liberam prædicandi CHRISTI potestatem à Suiggero Hirsbergensi Comite nactus esset, in eius loci vicinia, ad Almonum fluuium, sylua glandifera densa atque aspera, quam nostri quercetum vocant excisa, Suiggeri venia concessa atque donata Aichstadium, quod à rei euentu nomen accepit, oppidum construxit, in quo ipse primùm sedem suam Episcopalem habens, collectos

 discipulos

diſcipulos fideliter docebat. Vitam S. Bonifacij Martyris eleganti volumine complexus eſt. Epiſtolas quoque plures ad diuerſos ſcripſit. Anno CHRISTI Dcclxxxj. Ætatis verò lxxxvij. Non. Iul. fatalem diem obijt, in Cathedrali Eiſtetenſi Eccleſia ſepultus, cui tale poſteritas monumentum reliquit:

Vuillibalde tuos primus regis Aureatenſes,
Forma decusq; pium gemmaq; Pontificum.

Ante Annos 811. *qui fuit* CHRISTI 754.

S. VERVS, Hiſpalenſis Epiſcopus, prouinciæ Bœticæ, vir ſanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illuſtris, Eutropij Præſulis vitam inſigni volumine complexus eſt.

Ante Annos 808. *qui fuit* CHRISTI 757.

S. CRODEGANDVS, quem alij Ruggandum vocant, triceſimus ſeptimus Metenſis Eccleſiæ Antiſtes, Pipini Francorum Regis ex ſorore nepos, genere quidem nobilis, ſed virtute & doctrina illuſtrior, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, Rhetor inſignis, & ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, ſanctiſsimæ vitæ Præſul, qui Romam petens à Paulo Pontifice tria obtinuit Sanctorum Martyrum corpora: S. Gorgonij quod in Gorzia monaſterio, S. Naboris quod in eiuſdem nominis Benedictino apud Lotharingos Cœnobio, Beati item Nazarij quod in monaſterio Lorsheim prope VVormatiam Vangionum vrbem honorificentiſsimè condidit. S. Naboris à terra eleuati & poſt ſummam Aram collocati tumulus ſubſcriptos habet verſiculos:

Martyris egregij contentas cerne Naboris
Relliquias tumba hac, præclaro ſtemmate nati.
Quem, quia ſacra Ioui nollet deferre profano
Verberibus diris colliſum Maximianus
Cœlicolis addens, teſtem necat enſe cruento.
Aſt tandem nutu Tiberinæ ſedis alumni
Mirificè noſtras duxit Crodegandus ad ædes.
Quem Mediomatrica paſtorem Eccleſia habebat.

Sæcula

Sæcula bissenis septem superaddita lustris,
Nec non Olympiadi: quando peramæna saluti
Tempora signarent nostræ, pergrataq́ semper.

Ad Metensis Ecclesiæ clerum satis instructā & vtilem regulam Canonicorum, doctissimo volumine scripsit.

Ante Annos 807. *qui fuit* CHRISTI 758.

EGBERTVS, natione Anglus, Archiepiscopus Eboracensis, vir disertissimus, nō minus vita quàm eloquentia insignis, pro discipulorum eruditione volumen scripsit. Aliud item ad suæ prouinciæ Sacerdotes. Homiliarum & lectionum librum. Ad Zachariam porrò pro pallio Epistolam dedit. Moritur in Anglia, Anno Saluatoris CHRISTI Dcclxvij.

Ante Annos 795. *qui fuit* CHRISTI 770.

CLAVDIVS Clemens, Benedictinæ professionis Monachus, natione Scotus, auditor quondam atque discipulus Bedæ in Anglia, collega Albini Leuitæ & Abbatis, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, in Pentateuchum libros quinq; composuit. Aliquot capitula Iudicum absoluit. Enarrationes in Ruth confecit. Rursus in Psalterium Commentaria ædidit. Euangelium Matthæi doctis voluminibus illustrauit. Pauli ad Galatas Epistolas exposuit. Deq; Euangelistarum concordia scripsit. Moritur in Britannia Fl. Constantino vj. Imp. Cæs. Augusto.

Ante Annos 793. *qui fuit* CHRISTI 772.

HADRIANVS, patria Romanus, de regione via lata, patre Theodoro, S.R.E. Diaconus Cardinalis, sedit Romæ Pontifex Ann. xxiij. M. x. D. xvij. Pontificatum iniens, nequaquam à maioribus suis degenerauit. Nam magnitudine animi, consilio, doctrina, & sanctitate vitæ, cū quouis optimo Pontifice comparari potest. Fœlicianam hæresim in Synodo cccl. Episcoporum, iussu Caroli Imperatoris apud Francofordiam damnauit. Ad Leonem iuniorem & Constantinum filium eius Impera-

peratores Cōstantinopolitanos de veneratione imaginum libros doctissimos conscripsit. Ad Carolum Cæsarem Augustum volumen. Epistolas verò plures ad diuersos. Obijt vij. Calend. Ianuar. Anno Dccxcvj. sepultus Romæ ad S. Petrum.

Ante Annos 791. qui fuit CHRISTI 774.

PAVLVS Vvarnefridus, Diaconus Aquileiensis, Desiderij, Longobardorū Regis, Cancellarius: & vnà cum suo Rege, à Carolo Magno captus: integram Longobardorum Historiam contexuit, vsque ad Annum CHRISTI Dcclxxiij. quo Carolus Magnus, vltimo Rege Desiderio capto, in suam potestatem regnum Longobardorum redegit. Libertate à Carolo donatus, in precio aliquandiu est habitus. Verùm cùm postea comperisset hominem Desiderij libertatem quærere, eum in Diomedis insulâ relegauit, vnde post aliquot annos aufugiens, & ad Arachim perueniens, rogatu Adelpergæ Desiderij filiæ & Arachis vxoris, Eutropij historiæ duos libros addidit, à Iuliano principe vsque ad primi Iustiniani tempora omnia perscribens. Mortuo inde Arachi, Casinense Cœnobium ingressus, reliquum vitæ sanctissimè vsque ad mortem ducens, sæpe ad Carolum Regem literas elegantes, & humanitatis plenas scripsit, ab eodemque à quo fuerat ob literaturam seruatus, vicissim accepit. Vir eruditione & eloquentia clarus. Poëta grauis & ingeniosus, Theologus profundus, nec vlli Sacrarum literarum scientia secundus, vitas S. Gregorij Pontificis, Benedicti & Arnulphi Præsulum, doctissimis voluminibus exposuit. Episcoporum gesta Metensium contexuit. Hymnos quoque plures, diuerso carminum genere, diligenter & copiosè posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 776. qui fuit CHRISTI 789.

ISVARDVS, Benedictinæ professionis Monachus, natione Gallus, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, iussu Caroli Imperatoris Magni, post Eusebium, Hieronymum & Bedam, ex scriptis veterum, Sanctorum Episcoporum, Martyrum,

tyrum, Doctorum, Cōfessorum, virginum ac Pontificum Romanorum historias, doctissimo volumine, cui Martyrologij titulum dedit, ornatissimè descripsit.

Ante Annos 773. qui fuit CHRISTI 792.

IOANNES Maitrosius, natione Scotus, scriptor eloquens & grauis, cùm non minus internis animi dotibus, quàm externis diuitiarum opibus floreret, doctissimos in Euangelium Matthæi Commentarios reliquit. De officijs diuinis ad Hadrianum Pontificem scripsit. Homilias præterea ad populum habitas penè infinitas confecit.

Ante Annos 769. qui fuit CHRISTI 796.

S. LEO III. patria Romanus, patre Arrupio, S. R. E. Presbyter Cardinalis tt. S. Susannæ, sedit Romæ Pontifex Ann. xx. M. v. D. xviij Ab ineunte ætate ita erat educatus & eruditus disciplina Ecclesiastica, vt dignus esset qui cæteris anteferretur. Fuit præterea vir castus, integer, pudicus, facundus. Doctorum virorum ita amator, vt eos vndequaque ad se præmijs alliceret, eorumque consuetudine mirum in modum delectaretur. Præterea verò ægrotos visere, eosque ad patientiam adhortari, eleemosynas indigentibus præbere, desperatos consolari, errantes in viam rectam deducere, prædicationibus, admonitionibus, quibus plurimum ob eloquentiam & doctrinam valebat, ei peculiare fuit: homo certè ita mitis ingenij, vt omnes diligeret, neminem odio haberet, tardus ad iram, ad miserendum promptus, insignis pietate, fortissimus rerum ecclesiasticarū, honorisque diuini procurator & defensor. Dum Supplicationes à Gregorio institutas solito perageret solenniter, ab æmulis Papatum anhelantibus captus, oculis linguaq; priuatur: singulis verò membris sibi diuinitus restitutis, opis vindictæq; causa ad Carolū Regem Francorum cōfugit. Rex armis sumptis Romam pergens. vbi ccc. cōspiratoribus capite cæsis, cęteris exilio damnatis, quòd Pōtifici nō adfuissent, omniū clamore Imperator Carolus à Leone salutatur. Itaq; Imperium à Græcis ad Francos defertur. Pro fidei Catholicæ defensione Leo Pontifex plures ad diuersos scripsit Epistolas.

Obijt

Obijt pridie Id. Iun. Anno CHRISTI Dcccxvj. sepultus Romæ ad S. Petrum.

CHRISTIANVS, qui & Druthmarus, Corbeiensis in Saxonia Benedictinæ professionis Presbyter & Monachus, natione Aquitanicus, Sacrarũ legum Doctor eximius, trium principalium linguarum, Hebraicæ scilicet, simul & Chaldaicæ, Græcæ pariter & Latinæ interpres, vir omni doctrinarum genere consumatissimus, ex Aquitania in Gallias veniens, doctam pariter & prolixam ad monachos Stapulensis & Malmondariensis Cœnobiorum, sub vno Abbate consistentium, in Diœcesi Leodiensi, expositionem in Euangelium Matthæi, Vvormatiæ Vangionum nuper inuentam conscripsit.

Ante Annos 766. qui fuit CHRISTI 799.

ALCVINVS, siue Albinus Monachus & Diaconus, Abbas monsterij S. Martini Turonensis, natione Anglicus, S. Bedæ Presbyteri auditor quondam ac discipulus, Caroli Magni Imperatoris & Rabani Fuldensis præceptor, Philosophus, Rhetor, Poëta, atque Theologus suæ ætatis clarissimus, diuinus certè vir, atque in monastica disciplina exercitatus, in Euangelium Ioannis libros vij. conscripsit. In Cantica Canticorum volumen. Expositiones quoque in Apocalypsin Ioannis. Libros itidem de adoptione filiorum DEI, & quos inscripsit de dogmatibus ecclesiasticis. Lucubrationes porrò in Genesim & Ecclesiasten composuit. Epistolas verò Pauli xiiij. tomis absoluit. Vitam rursus. S. Vedasti Præsulis perfecit, & Sententiarũ librum in vulgus produxit. Scripsit & de mysterio Sacrificij Missæ, aliorumque Ecclesiæ rituum explicatione, ad Carolum Magnum, aliaq; plura scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Cũ ad multam peruenisset ætatem, vitæ debitum soluens, in S. Martini Cœnobio Turonis sepelitur.

Ante Annos 765. qui fuit CHRISTI 800.

RICOLPHVS, Sanctæ Maguntinæ Sedis Archiepiscopus, à Secretis & consilijs Carolo Magno Imperatori Augusto, vir admiratione omnium dignissimus, qui sacras atq; profanas

profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, Synodo ad D. Albani Monasterium à se extructo Moguntiæ conuocata, eiusdem Decreta doctissimo volumine cōtexuit. Moritur Anno CHRISTI Dcccxiij. sepultus ad S. Albanum.

Ante Annos 764. qui fuit CHRISTI 801.

HINCMARVS, ex monacho S. Dionysij Parisiensis Archipræsul Remensis, natione Gallus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione, atque dignitate maximè illustris, ad Rauennatensem Ecclesiam de causis fidei volumen scripsit. Aliud porrò ad Vualonem Episcopum Metensem. Et quem de vita S. Remigij Præsulis doctissimis Commentarijs complexus est.

Ante Annos 752. qui fuit CHRISTI 813.

HAMVLARIVS Fortunatus, Archiepiscopus Treuerensis, natione Germanus, Monachus Luxouiensis, & S. R. E. Presbyter Cardinalis, vir omni literatura doctissimus adeoq; subtilissimus, Græco atque Latino instructus eloquio, ob dicendi copiam atque elegātiam Constantinopolim ad Imperatorem Michaëlem à Carolo Magno missus, pacem & amicitiam inter eos mirabili industria & eloquentia sua confirmauit. Eloquentiæ consultus, de Ecclesiasticis officijs ad Ludouicum Augustum Commentarios scripsit. Alium quoque de mysterijs Missæ librum ædidit. Epistolas verò plures ad diuersos confecit. Obijt Pontificatus sui Anno xvj. Treueris sepultus.

Ante Annos 742. qui fuit CHRISTI 823.

EGINHARDVS, Cancellarius & Consiliarius Caroli Magni, qui primus ex Francia stirpe Romanorum Imperator factus est, natione Germanus, postea S. Marcellini & Petri in Salingostadio, Moguntinæ Diœceseos, Benedictinæ professionis Monachus & Abbas primus, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarū & rerum peritissimus, qui corpora B. Marcellini & Petri Roma Salingostadium honorificè transtulit, imitatus Bedam, abbreuiauit Gallicanum Psal-

terium, excerpens de eo omnes versus, verba orationis habentes. Temporum Historiam, Ecclesiæ atque Pontificum res gestas potissimum prosequens absoluit. Et alia plura, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento scripta reliquit.

Ante Annos 739 qui fuit CHRISTI 826.

BERTRAMVS, Presbyter & Monachus Eluenensis, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus Sacrarum literarum exercitatissimus, ad Carolum Lotharij Imperatoris fratrem, de prædestinatione doctissimum volumen conscripsit. Eius tamen qui de corpore & sanguine CHRISTI circumfertur liber, à Patribus Concilij Tridentini prohibetur.

Ante Annos 736. qui fuit CHRISTI 829.

IOANNES Monachus & Abbas Vercellensis, Benedictinæ professionis, natione Scotus, Bedæ Monachi & Doctoris clarissimi auditor quondam atque discipulus, collega Albini, vir diuinarum literarum Græcarumq; disciplinarum, nec non artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregiè peritus, in Franciã veniens, Regis Ludouici iussu, libros Hierarchiæ B. Dionysij Areopagitæ è Græco in Latinum transtulit eloquium, & copiosissimis atque ornatissimis Commentarijs illustrauit. Euangelium quoq; Matthęi tribus voluminibus explicauit, & de diuisione naturę volumen scripsit. In Anglia à discipulis stylo confossus perijt.

ANNONIVS, ad S. Germanum Parisijs, Benedictinæ professionis Monachus, vir cùm eloquentia, tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, qui ab initio regni Francorũ in Gallia, circiter Annum CHRISTI ccccxx. exorsus, singulorũ Regum successiones, & Ecclesiæ res gestas diligenter, & copiosè, ac optima fide libris quatuor exposuit, vsque ad Ludouici Pij Annum duodecimum, qui est à nato CHRISTO Dcccxxvj.

Ante Annos 735. qui fuit CHRISTI 830.

ANGELOMVS, Lexouiensis Benedictinæ professionis Monachus, doctrina et eloquentia vir clarus, Sacrarũ literarum studijs doctus & inprimis eruditus, elegantissimos in libros

bros Regũ. Alios item in Cantica Canticorũ. Et quos de diuinis officijs scripsit,iussu Drogonis Metensis Episcopi, q fuit filius Caroli Magni, & frater Ludouici Imperatoris,Cõmentarios cõfecit.

Ante Annos 7 3 2. qui fuit CHRISTI 833.

HAMVLVS, Episcopus Lugdunensis in Gallia, Præsul suæ ætatis facilè omnium eloquentissimus ac celeberrimus, qui eousque accuratam sacrorum oraculorum inquisitionem produxerat, vt Hebraicam etiam addisceret linguã, & Hebraicos conquireret, contra Iudæos insigne volumen scripsit.

Ante Annos 7 2 8. qui fuit CHRISTI 837.

S. FRECVLPHVS, ex Fuldensi Benedictinę professionis monacho,Lexouiensis Episcopus, in prouincia Rothomagensi, ad quem Rabanus adhuc Abbas multa conscripsit opuscula, vir doctissimus atque humanissimus, cùm eruditionis tum sanctitatis fama Præsul insignis, eloquentiæ studijs legitimè imbutus, rerum gestarum historiam, ab exordio Mundi vsq; ad sua tempora,libris septem complexus est,in qua difficiliores quæstiones scripturarum, oculis conspectuq; omnium exponit, & res tam Iudæorum quàm Gentilium luculento sermone describit.

Ante Annos 7 2 7. qui fuit CHRISTI 838.

HILDEVINVS, S. Dionysij Parisiensis, Benedictinæ professionis Abbas, Sacri Palatij Archicapellanus,ad quem Rabanus Fuldensis in quatuor libros Regum Commentarios ædidit. Vir omni literatura doctissimus adeoq; subtilissimus, Poëta grauis & ingeniosus, Orator eloquens,suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarũ interpres,ad Ludouicum Imperatorem,vitã & pasionẽ B.Areopagitę Dionysij doctissimo scripsit volumine.

Ante Annos 7 2 6. qui fuit CHRISTI 839.

S. LINTBERTVS, ex Monacho Fuldensi, primus Hirsaugiensis in Diœcesi Spirensi Benedictinæ professionis Abbas, natione Sueuus, frater Brunonis Abbatis Hirsfeldensis, Rabani Fuldensis auditor atquę discipulus, vir multa sanctitate cõspicuus, Regibus ac Principibus notus & familiaris, qui semper ex eo quo Monasterium ingressus est, non solùm purè,in-

tegrè, castèq; vitam traduxit, sed quod amplioris censetur virtutis, tantæ gratiæ, tantæ sanctitatis emicuit, vt omnibus veræ perfectionis in sua conuersatione præberet exemplum. In Cantica Canticorum Salomonis, ad Rabanum præceptorem, & doctißimos & lectu dignißimos scripsit Commentarios. Cumq; multa pro CHRISTO certamina subijsset, iam grandæuus, Anno CHRISTI Dcccliij. Ætatis verò suæ lxxvj. Pontificatus xvj. ad IESVM Saluatorem, toto corde suspirans, moritur, sepultus in basilica Hirsaugiensi.

Ante Annos 725. qui fuit CHRISTI 840.

S. HAYMO, ex Hirsfeldensi Benedictinæ professionis Abbate, tertius Halberstatensis Episcopus in Saxonia, natione Germanus, Alcuini monachi auditor atque discipulus, ad quem Rabanus Fuldensis libros de vniuerso composuit, Apostolicæ vitæ vir, arcana atq; mystica diuinarum scripturarum interpretatione sublimis, fidei propagator acerrimus, plena eruditionis & eloquentiæ insignia volumina confecit, è quibus de varietate librorum eius Commentaria feruntur, & quæ de Sancta Trinitate ad Fuldenses monachos scripsit. Exposuit vtrumq; testamentum, Aliaq; plurima scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Anno CHRISTI Dccclij. vitæ debitũ soluẽs, in Cathedrali S. Stephani Halberstatensi ecclesia sepelitur.

Ante Annos 724. qui fuit CHRISTI 841.

S. GEBHARDVS, Nemetum vrbis Spiræ Antistes, natione Germanus, ex Comitum familia genus ducens, vir Reipub. consultißimus, Theologorum suæ ætatis Princeps, constans & incomparabilis doctrinæ vir, prophetico dono, Apostolicaq; gratia illustris atque conspicuus, Pontificatu suscepto, Concilio Moguntino interfuit, à Lothario Imperatore conuocato in Ecclesia S. Albani, sub Rabano Archiepiscopo, in oẽs Psalmos piã, breuem ac dilucidã, quam ex omniũ veterũ scriptis decerpserat expositionẽ reliquit. Homilias ad populũ. Epistolas verò atq; sermones plures ad diuersos cõposuit. Dum quædam oppida, villas certasq; donationes, à Ludouico Imperatore, nec nõ à Deboldo & ab Hildeberto germano suo insulã Angelach Rheno irriguam,

irriguam, ad vſum victumq; confratrum ſuorum Spirenſium Eccleſię deſeruientium obtinuiſſet, ab æmulis interceptus, oculiſque prius priuatus, miſerè interimitur. Quarto Non. Decembr. Anno CHRISTI Dcccxlix. Pontificatus verò viij.

Ante Annos 723. qui fuit CHRISTI 842.

VVALAFRIDVS, cognomento Strabo, à vitio oculorum, Monachus & Abbas diuitis Augiæ, natione Germanus, vir omni doctrinarũ genere celeberrimus, Poëta grauis, & inſignis ſui ſeculi Hiſtoriographus, duobus libris vitas Sanctorum Galli, & Othmari Sangallenſium Abbatum, à Gosberto Benedictinæ profeſsionis monacho rogatus ſcripſit. Apocalypſin item B. Stephani Rom. Pontificis. Et quem de officijs diuinis librum ædidit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Dcccxlix. Pontificatus vij.

Ante Annos 721. qui fuit CHRISTI 844.

S. THEODVLPHVS, ex Abbate Floriacenſis Cœnobij Benedictinæ profeſsionis, Epiſcopus Aurelianẽſis, vir admiratione omnium digniſsimus, totius Galliæ religione & doctrina facilè princeps, dicendi artifex & Doctor eloquẽs, grauis & ingenioſus Poëta, tum præterea ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, à Ludouico Imperatore, neſcio ob quã ſuſpicionem coniurationis ad filios à patre tum nimium diſſentientes, innocens Andegauiam relegatus, cùm in carcere teneretur, hymnum quem in die Palmarum, quo ſupplicationes fiunt, cantare ſolemus compoſuit. Eo itaq; die prætereunte cuſtodiam Imperatore, cum clero ac vniuerſo populo, aperta feneſtra Epiſcopus, dulci melodia, voce ſonora, hunc hymnum quo paſsim omnes Eccleſiæ hodie vtuntur perſonauit:

Gloria, laus & honor tibi ſit, Rex CHRISTE redemptor,
Cui puerile decus prompſit Oſanna pium.

Delectatus Imperator & viri conſtantia & dulcedine ſymphoniæ, mox eum dimitti præconis voce mandauit. Theodulphus Hymnorum volumen doctiſsimum poſteritati reliquit. Epiſtolas quoq; plures ad diuerſos ſcripſit.

Ante Annos 719. qui fuit CHRISTI 846.

S. ALFREDVS, ex Monacho Corbeienſi, Hildesheimenſis Epiſcopus quartus, generoſa familia in Agrippinatum vrbe Colonia natus, vir DEO verè dilectus, & in omni vita ſanctiſsimus, in lege DEI exercitatiſsimus, atq; in ſcripturis ſacris doctiſsimus, vt Eccleſia incrementa ſua caperet, Synodales conſtitutiones, ex Iure & Patrum Decretis ſumptas, in ſuæ Diæceſis vſum congeſsit. Moritur Anno CHRISTI Saluatoris Dccclxxvij. Pontificatus xxviij. in Cathedrali B. MARIÆ virginis Hildeſſemenſi quod conſtruxerat templo ſepultus.

Ante Annos 718 qui fuit CHRISTI 847.

S. RABANVS, cognomine Magnentius Maurus, natione Germanus, patria Fuldenſis, ex Benedictinæ profeſsionis Monaſterij Fuldenſis Abbate Moguntinus Archipræſul, Albani Anglici auditor quondam atq; diſcipulus, vir in diuinis ſcripturis exercitatiſsimus, & ſcientia ſæculari doctiſsimus. Gymnaſij Pariſienſis olim profeſſor. Philoſophus, Rhetor, & Aſtronomus, ſuiq; temporis Poëtarum nulli ſecundus, cui nec Italia ſimilem, nec Germania peperit æqualem. Quibus rebus argumento ſunt tot & tanta volumina, ipſius diuini ingenij monimenta. Nam vt eruditionem tanti viri omnes Bybliothecæ nobis commendant, ita quantum ingenio valuerit, liber de laudibus ſanctæ Crucis, Imperatori Pio Ludouico dedicatus euidētiſsimè probat: qui quamuis diuerſarum immutabili varietate figurarum mirificè ſit diſtinctus, omnium tamē figurarum characteres, quocunq; vertas certam ſententiam reddunt. Bibliothecam Fuldenſem, tanta librorum multitudine locupletauit, vt dinumerari vix queant. Demum cùm ſe totum diuinis libris ſcribendis dedere vellet, poſthabito regimine Fuldenſi, in montem D. Petri ſeſe contulit, eoque fratres ſtudiorum ſuorum æmulos collocauit, vbi Biblica ſcripta omnia & ſingula diſcipulus enarrans, Commentarijs ea in hunc vſque diem extantibus illuſtrauit. Ad Haymonem Epiſcopum Halberſtatenſem libros de vniuerſo ſcripſit. Alios item de inſtitutione clericorum. De diuinis officijs volumen. Et quem de benedictionibus Patriarcharum ſcripſit. Habuit

buit etiam Sermones satis elegantes ad populum: sed is potissimum laudatur quem de celebritate omnium Sanctorum confecit. Synodum apud Moguntiam conuocauit in Ecclesiam S. Albani, in qua hæreticum quendam Godschalcum Presbyterum damnauit, & multa ad Ecclesiæ vtilitatem constituit. Moritur Anno CHRISTI Dccclvij. cùm decem annis principatum Moguntinæ sedis habuisset, successore Carolo Aquitaniæ Duce, sepultus Moguntiæ ad S. Albanum, qui postea in patriam translatus scribitur.

Ante Annos 716. qui fuit CHRISTI 849.

BELLATOR, cuiusdam Ecclesiæ Presbyter, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, inter cætera scripturarum monimenta expositiones libri Sapientiæ voluminibus septem complexus est.

Ante Annos 715. qui fuit CHRISTI 850.

STRABO, Fuldensis Benedictinæ professionis monachus, natione Germanus, D. Rabani auditor quondam atq; discipulus, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis et acer, qui sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, Historicus celeberrimus, carminibus & prosa laudatus, Lothario imperante, & librum Genesim, & Leuiticum atq; Exodum commentatus est. Sermones porrò cùm elegantes tum doctos ad populum habitos scripsit. Chronicam verò Monasterij Fuldensis inchoauit, quæ per alios succedentes est continuata.

Ante Annos 713. qui fuit CHRISTI 852.

LVPVS Seruatus Presbyter, ad quem Rabanus Abbas Fuldensis, Archymista Moguntinus, octo libros in Epistolam Pauli ad Romanos scripsisse legitur, insigni spectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum literarum peritiam toto orbe clarus, qui Moguntino Concilio in Ecclesiam S. Albani sub Rabano, contra Godschalcum Presbyterum, de libero arbitrio, prędestinatione et sanguine CHRISTI malè sentientem conuocato, intererat, de tribus quæstionibus aduersus eandem hæresim prudenter & doctè scripsit.

Ante Annos 709. qui fuit CHRISTI 856.

S. GVNTZO, Vangionum Antiſtes, natione Germanus, patria Spirenſis, ex nobili prognatus familia. Vir non ſolùm viuens clariſsimus, ſed eum DEVS etiam cohoneſtans, mirificorum operum patratorem eſſe oſtendit, ſuperſtitem ſimul & defunctum. Orator eloquens, Theologorum ſuæ ætatis facilè princeps. Ne vlla in re deeſſet Eccleſiæ DEI, Synodo apud Vuormatiam Vangionum vrbem conuocata, multa ſuſtulit quæ nocitura, multa etiam addidit quæ fidei noſtræ profutura videbantur. Atq; huius decreta Concilij, doctiſsimis voluminibus complectens, poſteritatis memoriæ conſecrauit. Anno CHRISTI Saluatoris Dccclxxij. Pontificatus xvj. decimoquarto calend. Decembr. ex hac luce ſubducitur, ſepeliturq; in baſilica Vangionum Vuormatienſi, cum hac inſcriptione:

Guntzo ſepultus humo, concluſit lumina fumo,
Non iacet in dumo Guntzo ſepultus humo.
Gaudia Guntzo capit cœleſtia, Præſul honeſtus
Viuit, & haud mæſtus gaudia Guntzo capit.

Ante Annos 707. qui fuit CHRISTI 858.

S. NICOLAVS Magnus, patria Romanus, patre Theodoro, S. R. E. Diaconus Cardinalis, ſedit Romæ Pontifex Ann. ix. M. vj. D. xx. Benè ac ſanctè à teneris annis educatus: primò quidem Subdiaconus à Sergio, mox verò Diaconus à Leone creatur. In quo ordine adhuc cõſtitutus, nullũ genus pietatis omittens, Benedicti corpus ſuis manibus tumulo collocauit, nõ ſine multis lachrymis. At verò cũ peracto de more funere, creare alterum Pontificem neceſſe eſſet, cumq; ieiunijs, vigilijs, orationibus inſtarent homines, vt talem à DEO conſequerentur Pontificem, qualem amiſerant, in baſilica S. Dionyſij Confeſſoris atque Pontificis (eò namq; eius rei cauſa conuenerant) poſt longam conſultationem Nicolaum abſentem Pontificem creant: & fugientem in Vaticanum, latitantemque vitandi honoris cauſa, conquiſitum in atrium Lateranenſe perduxerunt, & nolentem etiam in ſolio Apoſtolico collocarunt. Erat tantæ venerationis & maieſtatis, tantæ eloquentiæ & doctrinæ, vt ab omnibus

bus tanquam numen coleretur. Huius permissu & authoritate Sequentiarum vsus in Ecclesijs Gallicanis Notgero Abbate S. Galli procurante primùm cœpit. Pro fidei Catholicæ defensione Epistolas plures et doctissimas & iucundissimas ad diuersos scripsit. Obijt. Idib Nouembr. Anno Dccclxix. sepultus Romæ in basilica S. Petri Apostoli in Vaticano.

Ante Annos 706. qui fuit CHRISTI 859.

IOANNES Erigena, natione Britannus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, de immaculatis mysterijs libros composuit. Alios rursus de fide contra Barbaros. Et quem de corpore & sanguine Domini scripsit. Circumfertur etiam eius visionum Dionysij scriptum, & aliud in mysticam Theologiam.

Ante Annos 704. qui fuit CHRISTI 861.

S. RVTHARDVS primò Fuldensis, pòst Hirsaugiensis Benedictinæ professionis, in Diæcesi Spirensi monachus, Rabani atq; Strabonis auditor quondã & discipulus, vir omni literatura & sanctitate conspicuus, in diuinis scripturis exercitatissimus, Philosophus, Rhetor & Astronomus, suiq; temporis Poëtarum nulli secundus, cùm post Haymonis Halberstatensis Episcopi obitum Pontifex eligeretur, regularis disciplinæ vitã, & scripturarum studium potius, quàm onera Pontificatus sibi delegisse prętendit. Inter cętera scripturarum monimẽta, D. Bonifacij Archipræsulis res gestas heroico versu cõplexus est. Sanctissimi patris Benedicti regulam Cõmentarijs primus illustrauit. Sermones quoq; plures ad diuersos scripsit. Obijt viij. calend. Nouembr. Anno Saluatoris CHRISTI Dccclxv. sepultus in basilica S. Aurelij Hirsaugiensi.

Ante Annos 703. qui fuit CHRISTI 862.

VVERENBERTVS Sangallensis Benedictinæ professionis monachus, natione Germanus, patria Churiensis, vir in monastica disciplina exercitat⁹, Historiographus, atq; Theologus sui seculi nobilissimus, egregius ἀναγλυπτής. Musicus absolutissimus, Historiam Sangallensium ad sua tempora elegãtissimo volumine deduxit. In Genesim quoq; Commentarios & doctos & prolixos conscripsit.

Ante Annos 702. qui fuit CHRISTI 863.

OTFRIDVS, VVeissenburgensis Benedictinæ professionis, ad Montana Vosagi, Spirensis Diœcesios monachus, natione Germanus, Rabani Mauri Abbatis Fuldensis auditor quondam atq; discipulus, Rhetor insignis, Poëta grauis & ingeniosus, qui cùm diuitiarum contemptu, Philosophiæq; & Græcarum disciplinarum scientia, tùm sacrarum literarum studio & peritia, publicisque scripturæ enarrationibus & disputationibus, admirationem omnium promeritus est, ad Luitbertum Moguntinensis Ecclesiæ Archipræsulem, in quatuor Euangelia opus doctum atq; profundum, quod Theotistæ gratiam inscribi volebat quinq; libris absoluit. Rursus de gaudijs regni cœlestis volumen. Et quod de extremo composuit iudicio. In Psalterium quoq; tres libros commentatus est. Epistolas verò plures ad diuersos dedit.

Ante Annos 702. qui fuit CHRISTI 863.

VANDELBERTVS, Prumiensis Benedictinæ professionis, Treuerensis Diœcesios monachus atq; Diaconus, natione Germanus, vir doctissimus, & in monastica disciplina exercitatus, nec vlli suæ ætatis Theologorum secundus, inter cætera scripturarum monimenta vitam atq; miracula S. Goaris Presbyteri & eremitæ, iuxta Rhenum in Treuerensis Diœcesis oppidulo quiescentis, libris duobus elegantissimè complexus est. Martyrologium præterea heroico versu confecit.

LINDEBERTVS, ex Elvvangensi Benedictinæ professionis Abbate, sanctæ Moguntinæ sedis ad Rhenum Antistes, natione Germanus, generosa stirpe natus, eruditione iuxtà & vitæ instituto Præsul insignis, qui Collegiatum in vrbe Moguntina B. Mauritij templum extruxit, conuocata Synodo apud Moguntiam, eiusdem Concilij decreta insigni volumine complexus est. Moritur Anno Pontificatus xxvj. CHRISTI verò Dccclxxxviij. sepultus extra vrbem suam ad S. Albanum.

Ante Annos 701. qui fuit CHRISTI 864.

ANASTASIVS, Monachus, & S. R. E. Bibliothe-

bliothecarius Lateranensis, Philosophus insignis, Historicus celebertimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, vir sanè ita vtraq; lingua doctus, vt è Græco in Latinum & septimam vniuersalem Synodum, & Hierarchiam Dionysij Areopagitæ, & vitas multorum Sanctorum transtulerit. Scripsit porrò Historiam Ecclesiasticam vsq; ad sua tempora, complectentem vitas Pontificum, rogante Carolo Caluo Augusto, cui inprimis charus erat.

Ante Annos 698. qui fuit CHRISTI 867.

HARTMVNDVS, S. Galli Benedictinæ professionis in Heluetia monachus, Rabani Mauri, auditor quondam atque discipulus, ad quem Otfridus VVeissenburgensis, & Ruthardus Hirsaugiensis monachi plures Epistolas scripserunt. Vir omnium doctrinarum consumatissimus, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ peritus, nec Arabicæ ignarus, Orator facundus & disertus, Poëta grauis atq; ingeniosus, cùm constanter sacræ Philosophiæ incumberet, maximam Bibliæ partem exposuit. Post Notgerum publicæ monachorum Scholæ præfectus, complures optimæ vitæ & honestissimorum studiorum disciplinis exercitatissimos discipulos reliquit. Sermones prætereа, cantus, hymnos, & varios in scripturis sanctis tractatus, vtilissimos quidem, composuit.

Ante Annos 692. qui fuit CHRISTI 873.

MILO, S. Amandi Benedictinæ professionis Monachus & Abbas, natione Gallus, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, Orator facundus, Poëta grauis, Musicus verò absolutissimus, vitam B. Amandi heroico versu accõmodatè perscripsit. De sobrietate prætereа ad Carolum Caluum Imperatorem volumen dedit.

Ante Annos 691 qui fuit CHRISTI 874.

ERICVS, Antisiodorensis instituti Benedictini monachus, à sacris VValloni Episcopo, doctrina & eloquentia vir clarus, Poëta, Orator atq; Theologus suæ ætatis celeberrimus, vitã S. Germani Antisiodorensium Antistitis sex libris complexus est. Homilias porrò, Sermones & Epistolas plures atq; doctissimas reliquit.

Ante Annos 690. qui fuit CHRISTI 875.

ANSEGISVS, ex Lobienſi Benedictinæ profeſsionis Abbate Archipræſul Senonenſis, natione Gallus, vir ſacrarum literarum ſcientia conſũmatiſsimus, Regibus ac Principibus notus & familiaris, qui permiſſu Ioannis viij. Rom. Pontificis, caput S. Gregorij, & brachium Leonis Papæ venerandas reliquias Senonis in Eccleſiam D. Petri honorificè tranſtulit, Eccleſiaſtica ſtatuta Caroli Magni atq; Ludouici Imperatorum doctiſsimis quatuor voluminibus complexus eſt.

Ante Annos 689. qui fuit CHRISTI 876.

S. REMIGIVS, ex Benedictini inſtituti Monacho Epiſcopus Altiſiodorenſis, Odonis Cluniacenſis Abbatis præceptor, Apoſtolicæ vitæ, vir arcana & myſtica diuinarum ſcripturarũ interpretatione altus atq; ſublimis, Philoſophus, Orator & Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, multa commentatus eſt in Matthæum, & Epiſtolas Pauli. Canonem Miſſæ expoſuit, deq; diuinis officijs libros ædidit. Commentarios in Pſalterium, in Cantica Canticorum, inq; Prophetas duodecim minores, ad mores & hiſtoriam reſpiciens eleganter ſcripſit. Compoſuit quoq; librum de feſtiuitatibus Sanctorum, & alium ad Epiſcopum Eduorum. De ratione gubernandæ Eccleſiæ. Alia plurima ſcripturarum monimenta quæ eximij eius ſtudij ſatis magno ſunt documento relinquens.

Ante Annos 686. qui fuit CHRISTI 879.

HVGBALDVS, Eluonẽſis Benedictinæ profeſsionis monachus, nepos Milonis, natione Gallus, Philoſophus ac Mathematicus clariſsimus, Rhetor inſignis, Poëta grauis, Muſicus abſolutiſsimus, atq; Theologorũ ſui ſeculi facilè princeps, vitas multorum Sanctorum, potiſsimum verò B. Lebvvini ornato deſcripſit eloquio, atq; cantus in honorem ipſorum, dulci & regulari melodia compoſuit.

Ante Annos 679. qui fuit CHRISTI 886.

GVIDO, Rauennas Presbyter, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Hiſtoricus celeberrimus, Romanorum Pontificum vitas eleganti volumine cõfecit.

Ante

Ante Annos 676. qui fuit CHRISTI 889.

ALMANNVS, Altuilarensis Benedictinæ professionis Monachus, insigni spectataq; virtute prædictus vir, ob vitæ continentiam & Sacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, vitas multorum Sanctorum, potissimum verò B. Syndulphi, Vinardi & Helenæ Augustæ diuino instructus eloquio composuit.

Ante Annos 675. qui fuit CHRISTI 890.

ALBERTVS, ex Lobiensi Benedictinæ professionis Monacho Gemblacensis Abbas, Brochardi Vangionum Præsulis apud Lobias præceptor, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Sanctorum aliquot Episcoporum & Martyrum hystorias, insigni volumine complexus est.

AMALRICVS, ex Vueissenburgensi Benedictinæ professionis, ad Montana Vosagi Monacho, Nemetum vrbis Spiræ Antistes, generosa Comitum stirpe profectus, natione Germanus, vir omni literatura consumatissimus, Poëta grauis, dicendi artifex & Doctor eloquens, nec vlli Theologorum secundus, cùm sui temporis Magistros literarum scientia, eruditione & doctrina antecelleret, libros plurimos composuit, quos in hunc diem apud Spirensium sumptuosissimam Bibliothecam reseruari non ambigo: è quorum numero opus & visu dignum & lectu iucundissimum in Pentateuchum, aliud item in Pauli Epistolas Venetijs extare scriptis proditum legimus. Claudit diem extremum Anno Saluatoris CHRISTI Dcccxciij. Pontificatus ij. M. iiij.

AMBROSIVS Ansbertus, Benedictinæ professionis monachus & Presbyter, Philosophus grauis, Historicus prudens, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, studiorum & obseruator & cultor insignis, decem libellos & quidem eloquentissimos in Apocalypsim Ioannis conscripsit. Præterea cõmentatus est in Dauidis Psalterium volumen insigne. Cantica Canticorum quoque Commentarijs illustrauit. Epistolas verò plures ad diuersos dedit.

Ante Annos 673. qui fuit CHRISTI 892.

PASCASIVS Ratbertus, Corbeiensis Benedictinæ professionis Abbas, vir doctissimus, qui primam ætatem Græcorum disciplinis docendis consumpsit, magnamque in eis laudem est consecutus, S. Adelhardi Præsulis vitam doctissimè confecit. Ad Placidum præterea de Sacramento Altaris volumen, & fidei plenum & lectu dignissimum scripsit. In Threnos quoque Hieremiæ Prophetæ commentatus est. De Græco etiam nonnulla transtulit in Latinum eloquium.

Ante Annos 672. qui fuit CHRISTI 893.

RVPERTVS, apud Moguntiam Benedictinæ professionis S. Albani Monachus, vir suæ ætatis Theologorũ nobilissimus, Greco atq; Latino instructus eloquio, Rhetor insignis, Poëta grauis & ingeniosus, Musicus absolutissimus, D. Albani Martyris vitã heroico versu doctissimis voluminibus complexus est. Homilias quoq; & Sermones elegantissimos ad populũ habitos conscripsit. Moguntiæ fatalem diem obiens, Anno Saluatoris CHRISTI Dcccccxj. in suo monasterio sepelitur.

Ante Annos 666. qui fuit CHRISTI 899.

ADREVALDVS, qui & Albertus Floriacensis, Benedictinæ professionis Monachus, vir & doctrina & pietatis studio insignis, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, inter alia scripturarũ monimenta, à tempore translationis corporis D. Benedicti de Cœnobio Casisinensi in Monasterium Floriacense, vsq; ad tempus Odonis Regis Francorum historiam continentem miracula S. Patris Benedicti posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 664. qui fuit CHRISTI 901.

ALPHREDVS Magnus Anglorum Rex, vir disertissimus, non minus vita q̃ eloquentia spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Hormestam Pauli Orosij libros vij. Gregorij Dialogos libros iiij. Gesta Anglorum Bedæ libros v. Et Psalterium Dauidicum in Anglicam transtulit linguam.

Ante

Ante Annos 6 6 3. qui fuit CHRISTI 902.

S. ADALBERO, Comes à Dilingen, Baro in Vahingen & Achalm, ex Elwangensi Benedictinæ professionis Abbate, Augustanæ Præsul Ecclesiæ, Imperatoris Ludouici iij. atque D. Vdalrici successoris in Pontificatu præceptor, Antistes sanctissimus, in lege DEI exercitatissimus, & in Sacris scripturis doctissimus, Orator facundus, Poëta nemini secundus, Musicus absolutissimus, atque Theologorum suæ ætatis princeps, Dialogum de vita & miraculis Hariolphi Episcopi Lingoniensis, Abbatis Elwangensis, composuit. Moritur Anno CHRISTI Dccccxxij. sepultus Augustæ in basilica S. Afræ Martyris & virginis.

Ante Annos 6 6 2. qui fuit CHRISTI 903.

S. STEPHANVS, ex Metensi Canonico Episcopus Leodiensis, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate nemini secundus, princeps suæ ætatis Philosophorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, Ad Hermanum Archimystã Coloniensem, vitam S. Lamberti Præsulis scripsit.

Ante Annos 6 6 0 qui fuit CHRISTI 905.

S. SIGEBERTVS, Corbeiensis Benedictinę professionis Monachus, B. Vvymonis Bremensis Archimystæ auditor quondam atque discipulus, & socius peregrinationis, vir disputando vehemens & acutus, innocentis vitæ & sanctus in itinere comes, cũ præceptore Vvimone in Gothiam profectus, mortuo illo, Corbeiam reuertens, vitam eius & doctè & eleganter conscripsit.

Ante Annos 6 5 6. qui fuit CHRISTI 909.

S. RATBODO, ex Aduocato Caroli Crassi Imperatoris, & Monacho, Traiectensis, in graui Danorum persecutione Antistes, Nani doctissimi Philosophi in literis humanioribus auditor atq; discipulus, vir omni doctrinarũ genere nobilissimus, nulla enim eum lingua, nulla literatura latebat, Rhetoricã, Dialecticam, Arithmeticã, Musicam & Geometriam, omniumq; Philosophorum disciplinas summè didicerat, Sacras scripturas ab ineunte ætate assecutus, Sanctorum Episcoporum, Martyrum,

Doctorum atq; Pontificum Romanorum historias, potissimum verò Martini, Bonifacij, Vviliberdi & Amalbergæ res gestas, doctissimis voluminibus complexus est. Moritur iij. Calend. Decembr. Anno CHRISTI Dcccexvij Pontificatus xvij. sepultus Dauentriæ, vbi residere in Episcopatu antea consueuerat.

Ante Annos 654. qui fuit CHRISTI 911.

S. ODO, Cluniacensis primus Benedictinę professionis Abbas, Turonensis Ecclesiæ Canonicus, B. Remigij Antissiodorensis Episcopi auditor atque discipulus, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate clarus, princeps suæ ætatis Philosophorũ, Poëta, Orator & Musicus insignis, Theologorum suæ ætatis nulli secundus, Sanctorum Martini atq; Gerardi vitas doctissimis voluminibus complexus est. Hymnos etiam & varios cantus in honorem Diuorum, dulci vocum inflexione composuit.

Ante Annos 651. qui fuit CHRISTI 914.

RVTGERVS, Archipræsul Treuerensis, natione Germanus, Philosophus, Rhetor atque Theologus profundus, & Christianæ fidei cultor magnificus, vt saluti Ecclesiæ consuleret, inter cætera ingenij sui monimenta Decretorum volumen doctissimum confecit, quod in Synodo coram Suffraganeis suis apud Treuerim producens approbauit.

Ante Annos 648. qui fuit CHRISTI 917.

HILDOVINVS, ex Lobiensis Cœnobij Benedictinæ professionis Abbate primùm Episcopus Laudociensis, vbi pulsus, ad Hugonem Italię Regem veniens, cui affinitatis linea iungebatur, Veronensis Præsul constitutus, postremò Archiepiscopus Mediolanensis factus est, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atq; Orator perfectissimus, Gesta Lobiensium Abbatum elegantissimis libris confecit. Sermones verò plures ad populum habitos ædidit.

Ante Annos 646. qui fuit CHRISTI 919.

S. NOTTINGERVS, Comes à Veringen, ex Sangallensi Benedictinæ professionis Monacho Episcopus Constan-

Constantiensis, natione Germanus, Præceptor S. Conradi successoris in Pontificatu, vir doctissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, Musicus absolutissimus, Non sibijpsi sed vtilitati hominum ac honori diuino consulens, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, atque omni ambitione & potentia, gubernacula Pontificatus Constantiensis suscipiens, ita vixit, vt vsque ad tempora nostra vix sibi parem habuerit vel sanctitate vitæ, vel diligentia in rebus agendis, vel doctrina & scriptis. Nam primus vsum Sequentiarum in Ecclesia adinuenit, & Commentarios in quatuor Euangelia scripsit. De expositoribus quoque sacræ scripturæ volumen composuit. Epistolas verò plures ad diuersos dedit. Anno CHRISTI Saluatoris Dccccxxxv. Pontificatus xv. diem claudit extremum, in Cathedrali Constantiensi basilica sepultus.

Ante Annos 640. qui fuit CHRISTI 925.

RADVLPHVS, ex Flauiacensi Fuldensis Benedictinæ professionis Monachus, vir tum sacrarum tum profanarum literarum peritissimus, in Leuiticum libros xx. doctissimos & elegantissimos commentatus est. Exposuit & Pauli Epistolas omnes prolixis Commentarijs. Epistolas verò plures ad diuersos dedit.

Ante Annos 638. qui fuit CHRISTI 927.

RATHERIVS, ex Lobiensi Benedictinæ professionis Abbate Veronensis Episcopus, eximius veræ pietatis propugnator, omni genere doctrinæ & sapientiæ clarus, qui, quòd Arnoldum Bauariæ Ducem, hostem Hugonis Regis Italiæ, Veronam intromisisset, & apertè nimium in eius mores inueheretur, Papiam relegatus est. Antropomorphitarum assimulatam ac Dæmoniacam opinionem, scripto refutauit. Feruntur præterea varij eius Confessionum libri. Et quibus Agonisticon, id est, præloquiorum titulum fecit. Scripsit quoque de corpore & sanguine Domini libros. Alium item de vita S. Vrsmari Lobiensis. Homilias verò ad populum habitas plures.

Ante Annos 637. qui fuit CHRISTI 928.

V S. HIL-

S. HILDEBERTVS, Ostrofrancorum Dux, frater Cunradi Romanorũ Regis, ex Fuldensi Benedictinæ professionis Abbate, Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiscopus, vir nescio vitę ne sanctitate an literarum cognitione magis celebrandus, Prædicatur enim spiritum propheticum habuisse. Cuiusmodi autem magistratum gesserit, vel hinc conspicuum est, quòd legatur designatus summus Pontifex, sed citius euocatus rebus humanis quàm Romam migraret. Scripsit is vitas aliquot Sanctorum doctissimo volumine. Obijt xviij. Calend. Octobr. Anno Saluatoris CHRISTI Dccccxxxviij. Pontificatus x. Sepultus Moguntiæ ad S. Albanum.

Ante Annos 6 3 2. qui fuit CHRISTI 933.

SMARAGDVS, S. Michaëlis Benedictinæ professionis Abbas, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, vt literas sacras illustraret, in Psalterium Commentarios non contemnendos scripsit. Epistolas rursus & Euangelia per anni circulum exposuit. Sancti patris quoque Benedicti regulam illustrauit. Et alia plurima literarũ monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, reliquit.

Ante Annos 6 3 0. qui fuit CHRISTI 935.

LEO VII. Romanus, Ioannis Protoscriniarij filius, de regione cliui Argentarij, & ipse Apostolicæ Sedis Protoscriniarius, sedit Pontifex Romæ Ann. iij M vj. D. x. vir mansuetudine & religione plenus, integrè ac modestè vitam duxit, ac rei diuinæ consulens, quantum illa tempora in tam corruptis moribus patiebantur, ad Egilulphum Salisburgensem, Eysengrinum Reginoburgeñ Lambertum Fringengeñ. Starchandum Aistateñ. Episcopos, de causis fidei literas, & eruditionis plenas, & veterum dictis communitas scripsit. Obijt pridie Non. Maij, Anno Saluatoris Dccccxxxix. Ottone Magno imp. Cæs. Augusto, sepultus Romæ ad S. Petrum.

Ante Annos 6 2 2. qui fuit CHRISTI 943.

S. REGINBALDVS vel Reinoldus, illustris Comes

Comes à Dilingen & Veringen, Baro in Kiburg, Vvinterthur & Baden, Landgrauius Alsatiæ, ex Hirsaugiensi Benedictinæ professionis Monacho, & S. Petri Abbate, Nemetum vrbis Spiræ Antistes, frater S. Vdalrici Augustani Præsulis, Sacræ Paginæ Doctor, vir vtique religiosus, Othoni Magno Imp. Augusto charus & familiaris, innocentis vitæ & bonus pastor, Philosophus, Rhetor atque Poëta celebris, non minus doctrina quàm vitæ sanctitate Pontifex clarus, De Altaris Sacramento doctissimum volumen conscripsit. Cùm Sedem Nemetinam rexisset tum piè tum sanctè Annis xv. Spiræ sepelitur iij. Id. Octobr. Anno Dcccclviij.

Ante Annos 619. qui fuit CHRISTI 946.

ODO Seuerus, ex Dacis in Orientali Anglorum regione oriundus, Græca & Latina lingua doctissimus, Oratorũ facundissimus, Sacrarumque legum exercitatissimus, De Eucharistia volumen & doctum & necessarium scripsit. Statuta verò Synodalia ac Poëmata diuersa ædidit. Obijt Canthuariæ Anno CHRISTI Dcccclix. Calend. Octobr.

Ante Annos 615. qui fuit CHRISTI 950.

VTHO II. generosa stirpe Comitum Franciæ natus, Hermanni Sueuiæ Ducis ex fratre nepos, Episcopus Argentoratum, Præsul cùm eloquentia tum multarum rerum peritia, & mirabili ingenij flumine præstantissimus, disciplinis omnibus perceptis, Sacrarum maximè literarum, in quibus conquieuit scientia enituit. Et cùm Bibliothecæ diuinæ diligentissimus inuestigator esset, Argentoratum è diuersis locis varios libros deferri mãdauit, vt instructa Bibliotheca, antiquorum Patrũ sententiæ & decreta ibi perlegerentur. Vitas Sanctorum Arbogasti atque Amandi doctissimis libris complexus est. Obijt Argentinæ Anno Saluatoris CHRISTI Dcccclxv.

Ante Annos 611. qui fuit CHRISTI 954.

GVILIELMVS, Saxoniæ Princeps, Sanctæ Mogũtinæ Sedis Archiepiscopus, Ottonis Magni Imperatoris ex Editha Augusta Angliæ Regina filius, Catholicæ fidei & Euan-

gelicæ doctrinæ totiusque bonitatis nobilißimus Doctor, vir simplex & prudens, ad sua vsque tempora, quibus Otto j. Augustus Romani Imperij habenas administrabat Chronica deduxit, ac de Rhenensium præcipuè & Moguntinorũ Pontificum rebus gestis multa collegit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Dcccclxviij sepultus Moguntiæ ad S. Albanum.

Ante Annos 607. qui fuit CHRISTI 958.

S. GOTEFRIDVS, ex Vveissenburgensi Benedictinæ professionis, ad montana Vosagi Monacho, Nemetũ vrbis Spiræ Antistes, vir vndecunque doctißimus, vitæ & morum sanctitate clarus, Philosophus insignis, Poëta nobilißimus, nec vlli Theologorum secundus, cùm eloquentiæ vi polleret, diuinæque gratiæ neruis validus esset, de ieiunio, eleemosyna & pœnitentia libros, cùm vtiles tum necessarios confecit. Moritur Spiræ xvij. Calend. Iul. Anno CHRISTI Dcccclx. cùm sedisset Menses xv. Dies aliquot.

Ante Annos 605. qui fuit CHRISTI 960.

S. BRVNO, Imperatoris Henrici Aucupis Saxoniæ Ducis filius, Othonis Magni Cæsaris frater, Archipræsul Coloniensis, vir fide Catholicus adeoque sanctißimus, & in lege DEI exercitatißimus, in sacris verò scripturis doctißimus, qui B. Panthaleonis Benedictini instituti Cœnobium in Agrippinatum vrbe Colonia, vbi inter fodiendũ corpus D. Maurini Abbatis & Martyris inuentum est, construxit. Qui corpora Sanctorum Euergisli Pontificis & Martyris de ciuitate Tungrensi Coloniam transtulit, & in Monasteriũ S. Ceciliæ collocauit. Qui superiorem partem baculi S. Petri Apostoli, & catenam qua vinctus fuit, cum multis reliquijs de ciuitate Metensi ad Vbiorum Augustam reduxit, ac in Cathedralem Ecclesiam reposuit. Corpus præterea S. Proculi Martyris Roma translatum Ecclesiæ Susatensi in Vvestphalia dedit. Beatißimi Martyris Eliphij corpus in Monasterium S. Martini, Scotorum Benedictinæ professionis in Colonia reposuit. B. Gregorij postremò Spoletani Præsulis Roma, & S. Agilolphi Malmundario corpora recipiens Coloniã transuexit, vitas eorundem Sanctorũ elegantißimis volumin[illegible]

[illegible]scripsit.

deſcripſit. Moritur Anno CHRISTI Dccccłxv. ſepultus in Monaſterio S. Pantaleonis Coloniæ.

Ante Annos 601. qui fuit CHRISTI 964.

RHEGINO, Prumienſis Benedictinæ profeſſionis Abbas in Lotharingia, Treuerenſis Diæceſios, natione Germanus, Philoſophus ac Mathematicus clariſsimus, Rhetor inſignis, Poëta grauis, Hiſtoricus celeberrimus, & ſuæ ætatis ſubtiliſſimus ſcripturarum diuinarum interpres, ad Alberonem Epiſcopum Metenſem, Annales ſeu Chronologiam potius, à nato CHRISTO vſque ad Ottonem I. & Annum CHRISTI Dccccłxviij. deductam libris ſeptem cōſcripſit. Ratbodoni quoque Treuirorum Archimyſtæ opus Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quod ex Sanctorum Patrum & generalium Conciliorum Decretis comportarat dicauit.

Ante Annos 600. qui fuit CHRISTI 965.

ERCKHENBALDVS, Argentoratum Antiſtes, vir tam diuina quàm profana literatura doctiſsimus, ſacræ paginæ Doctor eximius, Poëta grauis atq; perfectus, Orator verò omnibus ijs artibus quæ ſunt libero homine dignæ perpolitus, Argentoratenſium Præſulum vitas doctiſsimo volumine, elegantiſsimis verſibus complexus eſt. Obijt Argentorati calend. Nouembr. Anno CHRISTI Dccccłxiiij.

REGINOLDVS, Epiſcopus Aiſtatenſis, tribus Ottonibus Præſul amiciſsimus atque ſapientiſsimus, & pro Conſiliario fortaſſe non imperitiſsimo, fideli quidem & beneuolo ſemper vſus, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Græco & Latino inſtructus eloquio, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, Muſicus abſolutiſsimus, ſanctorum Vuilibaldi, Nicolai, Blaſij atq; Vunibaldi Pontificum vitas doctiſsimè perfecit. Obijt pridie Non. April. Anno CHRISTI Dccccxcix Pontificatus xxiiij. ſepultus in Cathedrali Eiſtettenſi baſilica.

Ante Annos 596. qui fuit CHRISTI 969.

VVITTIKINDVS, S. Viti Corbeienſis, Be-

nedictinæ professionis in Saxonia monachus, natione Germanus, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, grauis & ingeniosus Poëta, Historicus celeberrimus, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, vitam D. Pauli primi Eremitæ, atque passionem S. Teclæ virginis doctissimis libris perfecit. Ad Machtildem præterea Ottonis Imperatoris primi filiam, Saxoniæ Ducissam, & Abbatissam in Quintelingenburg gentis Saxonicæ Historiam, præcipuè verò Henrici Aucupis & Ottonis I. res præclarè gestas complectentem scripsit.

Ante Annos 593. qui fuit CHRISTI 972.

ROSVVITIS, Gandersheimensis prope Hildesheim Collegij virgo sanctimonialis, in Germania, apud Saxones orta, Græcè ac Latinè omnium bonarum Artium peritissima, insignis Poëtria, quæ Dominæ Gerbergæ Saxoniæ Ducissæ, omnia ingenij sui Poëtica & Historica monumenta dicauit, permulta non sine magna commendatione perfecit, præsertim ad Monachas suas, dum eas ad diuinum cultum atque virtutem hortaretur sex comœdias Christianas, Terentium imitando scripsit. Heroico præterea carmine trium Othonum Imperatorum (quorum temporibus claruit) vitas & res gestas composuit. Sanctorum Gangolphi atque Dionysij laudes Elegiaco carmine complexus est. Sanctarum rursus fœminarum, atque inprimis B. MARIÆ virginis, quæ mortalibus redemptorem tulit vitam laudesque, luculenta oratione eleganter composuit.

Ante Annos 590. qui fuit CHRISTI 975.

EDGARVS, Anglorum rex, Princeps ingeniosus, grauis & ornatus moribus, numinis reuerentissimus, liberalibus studijs sacrisq; disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus, vt Ecclesia incrementa sua caperet, Decretorum ad Clerum Angliæ volumina doctissima scripsit.

Ante Annos 588. qui fuit CHRISTI 977.

OSVVALDVS Odonius, Episcopus Vintoniensis, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectis-

perfectiſsimus, Theologus verò abſolutiſsimus, Statuta Synodalia ex Patrum Decretis deſumptas ſcripſit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Dcccexcij.

Ante Annos 586. qui fuit CHRISTI 979.

ADON, Epiſcopus Viennæ Gallicæ, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, Poëta grauis & ingenioſus, Hiſtoricus celeberrimus, tum præterea Theologorum ſuæ ætatis princeps, abbreuiatum Chronicon totius Hiſtoriæ mundi & Regum Francicorum vſque ad Annum CHRISTI Dcccclxxx. deduxit. Aliud quoque ſub titulo Martyrologij volumen, Sanctorum Epiſcoporum Martyrum, Doctorum atq; Pontificum hiſtorias recitans, compoſuit.

Ante Annos 585. qui fuit CHRISTI 980.

FLAVALDVS, Remenſis Benedictinæ profeſsionis monachus, vir tam diuinis quàm profanis Scripturis eruditus, Hiſtoricus perfectus, Theologus verò profundus, geſta Remenſium Pontificum, ab vrbe Remis condita, quam milites Remi à fratre Romulo necati fugatos, ob memoriam Domini ſui conſtruxiſſe commemorant, vſque ad ſua tempora tribus voluminibus, quibus complures S. Martyrum hiſtorias recitat, deduxit.

Ante Annos 583. qui fuit CHRISTI 982.

ERHARDVS, Luneburgenſis in Saxonia, Benedictinæ profeſsionis monachus, homo certè omnium qui tum fuere doctiſsimus, Poëta grauis, Orator eloquens, neque Theologorum vlli ſecundus, lucubrationes in Pentateuchum libris quinq; abſoluit. Homilias verò ad populum plures ſcripſit.

Ante Annos 582. qui fuit CHRISTI 983.

ETHELVVODVS VVentanus, ex monacho Præſul Vvinthonienſis, vir diuinarum literarum Græcarumque diſciplinarum, necnõ artis Oratoriæ, atq; Philoſophiæ egregiè peritus, de ſua in Presbyteros poteſtate, ad Ioannẽ xiij. Rom. Pontifi-

Pontificem volumen ſcripſit. Alium quoq; de ſuis viſionibus librum compoſuit.

Ante Annos 581. qui fuit CHRISTI 984.

OSBERTVS, ex Canthuarienſi Glaſcouienſis Benedictinæ profeſsionis monachus in Anglia, vir & moribus & doctrina ſpectatus, omni literatura ſua ętate nobiliſsim⁹, Philoſophus, Orator atq; Poëta celebris, Muſicus abſolutiſsimus, inter cætera ſcripturarum monimenta vitam S. Dunſtani Archimyſtæ Canthuarienſis, elegantiſsimus voluminibus ſcripſit.

Ante Annos 580. qui fuit CHRISTI 985.

THEODORICVS, S. Albani Moguntiacenſis, Benedictinæ profeſsionis monachus, inſigni ſpectatæque virtute prædictus vir, Philoſophus inſignis, Hiſtoricus grauis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, Moguntinorum Pontificum ſucceſsiones accuratè & copioſè deſcriptas, & ſingulorum rebus geſtis, atq; temporum annotatione diligenti inſignitas collegit. Rurſus Cantica Canticorum, Euangelium quoque Ioannis doctiſsimis Commmentarijs illuſtrauit.

Ante Annos 578. qui fuit CHRISTI 987.

ENGELBERTVS, S. Mathiæ Treuerenſis, Benedictinę profeſsionis Abbas, patria Moſellanus, vir doctiſsim⁹ atq; innocentiſsimus, Muſicus abſolutiſsimus, Philoſophus atq; Poëta ſuæ ætatis clariſsimus, vitam & paſsiones duodecim Apoſtolorũ heroico carmine, doctiſsimis voluminibus abſoluit Moritur xij. calend. Mart. Anno Saluatoris CHRISTI Mv. Cuius ſepulchro hoc Epitaphium inſcriptum eſt.

Hoc recubat buſto ſemper memorabilis Abbas,
Engelbertus ouans, ſpiritus aſtra colit:
Menſis Martij obijt bis ſenis ipſe Calendis,
Conſtruxit templum, quod retinet tumulum.

Ante Annos 577. qui fuit CHRISTI 988.

VVERENBOLDVS, Hirſaugienſis Bene-

dictinæ professionis, Spirensis Diœcesios monachus, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Doctor eloquens, cùm diuinis delectaretur scripturis, de laude Martyrum & prolixos & doctè compositos libros reliquit. Moritur iiij.Id. Nouembr. Anno Dccccxcj.in Hirsaugiensi basilica sepultus.

Ante Annos 576. qui fuit CHRISTI 989:

AMMONIVS, Floriacēsis Benedictinæ professionis monachus, natione Gallus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Poëta grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, ad Remaldum monachum, de miraculis S. Benedicti doctissimos Commentarios scripsit.

Ante Annos 575. qui fuit CHRISTI 990.

S. HERIGERVS, Lobiensis Benedictinæ professionis Abbas, cuius Berno Augiensis in libro quodam ad Aribonem Moguntinum Archipræsulem conscripto meminit, vir doctissimus atq; humanissimus, Poëta grauis, Orator facundus, eloquentiæ studijs legitimè imbutus, Lobiensium gesta Pontificum prolixo volumine complexus est. Vitam S. Vrsmari eleganter descripsit. Librum de diuinis officijs composuit. De corpore & sanguine Domini Commentarios ædidit. Moritur Anno CHRISTI Mij.in Lobiensi basilica sepultus.

Ante Annos 572. qui fuit CHRISTI 993.

S. BERNVVARDVS, ex vetustissima Comitum familia de Sommersberg ortus, Episcopus Hildessemensis, à sacris Ottoni III. Imp. Augusto, qui S. Michaëlis Benedictini instituti Cœnobium construxit, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atq; sacris scripturis doctissimus, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, non sibijpsi sed Ecclesiæ suæ ac diuino honori consulens ita vixit, vt vsq; ad tempora nostra ex successoribus vix parem habuerit, nedum superiorem vel sanctitate vitæ, vel doctrina & scriptis. Nam vt incrementa Ecclesia sua caperet, Synodales cōstitutiones ex Iure & Patrum Decretis sumptas colligens, omni clero vt perfectius vitæ institutum assumeret scripto

 proposuit.

proposuit. Anno Saluatoris CHRISTI Mxxiiij. ex hac luce subducitur, in Cathedrali Hildessemensi basilica sepultus, cui D. Benno Misnensis Pontifex hoc Epitaphium posuit:

Hac tumuli fossa clauduntur Præsulis ossa
Bernuuardi miri magnificiq; viri.
Qui propter stemma radians velut inclyta gemma,
Magna fuit patriæ gloria lausq; suæ.
Nam fuit Ecclesiæ condignus Episcopus ille,
Quem DEVS Emanuel, diligit & Mycael.
Tandem bis senis vndeno mense Calendis
Fœlix hanc vitam mutat in angelicam.

Ante Annos 571. qui fuit CHRISTI 994.

S. ROBERTVS, Hugonis Capeti filius, rex Francorum, Gilberti Ducis Aquitani auditor quondam atq; discipulus, qui non minus piam quàm regalem vitam ducebat, doctrina & sanctitate omnes Reges Christianos ita anteibat, vt disputationibus nulli secundus haberetur, cuius tanta fuit religio, vt quoties sibi per occupationes bellicas liceret, horas Canonicas vnà cum Sacerdotibus caneret. Nec de eius manibus liber vnquam recederet, adeò vt pro tribunali sedens, inter iudiciorum & causarum strepitus, in sinu apertum haberet Psalteriũ, literas, ingeniaq;, ac omnes bonas artes in summo precio habuit, in templis frequẽs, numinis reuerentissimus, liberalibus studijs sacrisq; disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus, Antiphona sacraq; responsa quædam ædidit iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata, receptaque. Eius illa sunt: Sancti spiritus adsit nobis gratia. Cornelius Centurio. O constantia Martyrum. Iudæa & Hierusalem. Ferunt cùm Auallonem obsideret, nullo oppugnante quassanteue, sed in tabernaculo numini eo hymnos concinente, sua spontè magnam murorum partem corruisse velut diuinitus, ac Superis veneratori suo gratiam præsentem referentibus. Obijt Meloduni Anno Saluatoris CHRISTI Mxxxj. sepultus in basilica D. Dionysij Parisijs

Ante Annos 570. qui fuit CHRISTI 995.

S. ALBO, Floriacensis Benedictinæ professionis

nis Abbas, natione Gallus, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate clarus, multis tam ciuium quàm externorum inopiæ succurrendo saluti fuit, Theologus profundus, Orator eloquens, vitam & passionem Eadmundi Martyris doctissimis Commentarijs absoluit Et cùm in Vasconia ob insignem dilatandæ fidei amorem CHRISTI Euangelium prædicaret, ab æmulis interceptus, illustre martyrium subijt. Anno saluatoris CHRISTI Mxj.

Ante Annos 569. qui fuit CHRISTI 996.

S. BVRCHARDVS, vel vt alij Brocardus, ex Lobiensi Benedictinæ professionis monacho, & Præposito S. Victoris Moguntiæ, Vvormatiensis Episcopus, Alberti Gemblacensis apud Lobias auditor & discipulus, Præceptor Imperatoris Henrici III. cognomento Nigri, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Philosophus, Orator atque Poëta, nec vlli Theologorum secundus, cùm ex Italia veniret, corpus Otthonis Imperatoris III. Aquisgranum, intestina verò Augustam detulit. Vangionum vrbem iam vetustam, fossis vallisque muniuit. Ex Conradi cognomento Sapientis, Francorum Ducis Pallatio, Bruxellæ in BrureinioSpirensis Episcopi oppidulo, ope S. Henrici Claudi Imp. adiutus, Collegiatam D. Pauli Ecclesiam construxit. Postremò quoq;, ne literas in tanto rerũ fastigio prætermitteret, ex sententijs sanctorũ Patrum & generalium Conciliorum, atq; summorum Pontificum, magnum & insigne opus post Isidorum, Decretorum videlicet, viginti libris absolutum conscripsit. Epistolas quoque plures ad diuersos dedit. Gualterio Spirensium Episcopo, cùm Præsul esset Iureconsultissimus, Epistolium scripsit, Græcis literis, desuper dimissorijs commendatitijs. Obijt iam senex xx. August. Anno Saluatoris CHRISTI Mxxv. Sedis xxix. in crypta Cathedrali Vangionum basilicæ sub Ara D. Laurentij sepultus, cuius Epitaphium tale est:

Robora Burckhartus ex nomine denotat artis:
Et quod nomen habet, maxima facta probant.
Vangio nam per eum fossas, & mœnia, turres,
Ædificat rursus depopulata prius.

Ante Annos 568. qui fuit CHRISTI 997.

EBERVVINVS, S. Martini Treueris Benedictinæ professionis Abbas, natione Germanus, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, Orator eloquens, nec vlli Theologorum secundus, vitas S. Magnerici Archipræsulis, & Simeonis monachi Treuerensis miraculis clari, copiosè ac optima fide doctis Commentarijs exposuit.

Ante Annos 566. qui fuit CHRISTI 999.

REMIGIVS, S. Luthuini Treuerensis Diæcesis Abbas, vir eloquentia nobilis, Apostolicaq; doctrina insignis, qui sacras atque profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorem lectione politam, expositiones in quinque libros Mosis doctissimas conscripsit. In quatuor Euangelia Commentarios perfecit. Antiphona porrò sacraq; responsa quædam, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata edidit.

Ante Annos 565. qui fuit CHRISTI 1000.

S. BRVNO, ex Benedictinæ professionis monacho Ruthenorum Archipræsul, natione Italus, magna vir fama sanctitatis pariter & doctrinæ, Christianæ professionis studiosissimus, cùm in Genesim Cõmentarios perfecisset doctissimos, multis supplicijs affectus, manibusque ac pedibus abscisis, capitis in Prussia resectione pro CHRISTO martyrium subijt. Anno Saluatoris CHRISTI Mviij.

Ante Annos 560. qui fuit CHRISTI 1005.

THEODORVS, S. Mathiæ Treueris, Benedictinæ professionis monachus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Astronomus perfectus, Musicus absolutissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Commentarijs Apocalypsim Ioannis doctissimis illustrauit, Treueris in basilica S. Mathiæ sepultus, cui hoc Epitaphium discipuli posuerunt.

Theodori monachi pausant hîc membra sepulti,
Qui pietate vigens, simplicitate cluens

Presbyter

Presbyter officio, quod complens ordine certo,
Feruebat summi laudibus in Domini,
Prudens & doctus, nulli pietate secundus,
Totum quód didicit, mox alijs retulit,
Vt sibi commissum benè collaudando talentum
Centuplicet iustus atq; pius Dominus:
Transijt in Nonis fœlici fine Decembris,
Pro quo posce DEVM, qui legis hunc titulum.

Ante Annos 558. *qui fuit* CHRISTI 1007.

THEODERICVS, B. Mathiæ Treueris Benedictinæ pfessionis Monachus, natione Germanus, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque Sacris scripturis absolutissimus, de inuentione D. Celsi, quæ per Egbertum Archipræsulem vij. Calend. Mart. facta est, volumen scripsit. Aliud item de miraculis eiusdem confecit. Sermones verò in honorem Sanctorum plures reliquit.

Ante Annos 557. *qui fuit* CHRISTI 1008.

BERNO, alijs Bernardus, ex Prumiensi Benedictinę pfessionis Monacho, Abbas Augiensis, natione Germanus, vir comis, pacificus, eloquēs & humanissimus, Philosophus, Rhetor atq; Poëta grauis, Musicus absolutissimus, tā diuinis scripturis eruditus, q̄ profanis literis egregiè doctus, q se in publicis scriptis egregio humilitatis exemplo Bernonem pastorem appellabat, inter reliqua scripturarum monimenta, Epistolas ad S. Heinricum Imperatorem de vera laude Regis scripsit: Tractatum de Aduentu Domini ad Aribonem Archiepiscopum Moguntinum: librū de ieiunio Sabbati ad Pilegrinum Archipræsulem Coloniensem. Alium de ieiunio quatuor temporum. Vitam S. Vlrici Episcopi Augustani. De officio Missæ volumen. Obijt vij. Id. Iun. Anno Domini Mxlviij. sepultus in Augiensi quam construxerat basilica, in Sacello S. Marci, cùm præfuisset Annis xl.

Ante Annos 555. *qui fuit* CHRISTI 1010.

S. FVLPERTVS, Episcopus Carnotensis, sanctissimæ vitæ & incōparabilis doctrinæ Antistes, vir suæ ætatis

eloquentissimus, Dialecticus subtilissimus, Musicus absolutissimus, Theologus verò Sacrarum legum exercitatissimus, laudes S. MARIÆ DEI Genitricis insigni volumine doctissimis Cōmentarijs cōplexus est. Antiphona porrò sacraq; responsa quædam edidit, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata receptaq;. Eius illa sunt: Stirps Iesse: Solem iustitiæ: & Chorus nouæ Hierusalem.

Ante Annos 554. *qui fuit* CHRISTI 1011.

S. HERIBERTVS, Comes Rotenburgius ad Tubarum, Archiepiscopus Coloniensis, qui Tuitiense Benedictinorum Monachorum (vbi antiquitus Tuisconis primi Germanorum Regis castrum fuisse affirmant) è regione Coloniæ Agrippinæ in dextra descēdentis in Belgicum Rheni situm, pro germani fratris satisfactione, quòd in magna annonę difficultate ingentem mendicantium pauperum vt inutilem multitudinem in horreum ruri situm conuocatam incendio deleuisset, Cœnobium cōstruxit, vt suæ industriæ & fœlicitatis specimen ederet, de Ecclesiasticis officijs volumen scripsit. Obijt xvij. Calend. April. Anno Mxxj. sepultus in Tuitiensi basilica, cum hac inscriptione.

ANNO AB INCARNATIONE DOMINI NOSTRI MXXI. DECIMOSEPTIMO CALEND. APRIL. OBIIT HERIBERTVS SANCTÆ COLONIENSIS ECCLESIÆ ARCHIEPISCOPVS QVI DE SVO PROPRIO SVMPTV HOC MONASTERIVM FECIT.

Ante Annos 551. *qui fuit* CHRISTI 1014.

ODO, Cameracensis Episcopus, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarū & rerum peritissimus, cùm sacras atq; profanas literas summè didicerat, disputationē cum Iudæo habitam de Dominicæ incarnationis mysterio: in Canonem porrò Missæ prolixos Commentarios scripsit. De villico verò iniquitatis volumen, Homilias ad populum habitas plures.

Ante Annos 545. *qui fuit* CHRISTI 1020.

ARIBO,

ARIBO, Comes Palatinus Rheni, vtriusq; Bauariæ Dux, Baro in Andegs & Dieſſen, Dominus in Glaneck & Buchom, Sanctæ Moguntinæ Sedis Archiepiſcopus, animi magnitudine, conſilio, doctrina & vitæ conuerſatione Præſul cum optimo quouis Principe conferendus, ad quem Berno Augienſis Abbas de aduentu Domini cõſcripſit tractatum, celebrata Synodo apud Selgenſtat, cum Brocardo Epiſcopo Vvormatienſi, Gualterio Spirenſi, & alijs Epiſcopis atque Abbatibus ſuis, pro pace Cleri & Eccleſiaſtica vtilitate, de ieiunijs & alijs cæremonijs multa conſtituit. Pſalmos xv. graduum doctiſsimis Commentarijs complexus eſt. Ad Bennonem quoq; Abbatem prolixã Epiſtolam dedit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mxxxj. Moguntiæ ſepultus.

Ante Annos 542. *qui fuit* CHRISTI 1023.

ALGERVS, Corbeienſis in Saxonia Benedictinæ profeſsionis Monachus, natione Germanus, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atq; Poëta celebris, Theologus Sacrarũ legum exercitatiſsimus, inter cætera ſcripturarũ monimenta, De Sacramento Altaris tres libros. Alium præterea de gratia & libero arbitrio ſcripſit. Epiſtolas verò plures ad diuerſos dedit.

EVERBINVS, Doleienſis in finibus Lotharingiæ, Benedictinæ profeſsionis Abbas, vir admiratione omniũ digniſsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingenioſus Poëta, tum præterea ſacrarum literarũ ſcientia nemini ſecundus, vitam S. Symeonis Monachi Treuerenſis, prolixo volumine ad Popponem eiuſdem vrbis Antiſtitem ſcripſit. De ieiunio, eleemoſyna & pœnitentia Cõmentarios, aliaq; plurima ſcripturarum monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 541. *qui fuit* CHRISTI 1024.

S. GOTHARDVS, Schyrenſis in Bauaria Comes, ex Altachenſi atq; Hirsfeldenſi Benedictinæ profeſsionis Abbate, Hildeſſemenſis Eccleſiæ Antiſtes, S. Henrici ij. Imp. ex ſorore nepos. Pontifex genere quidem nobilis, ſed virtute & doctrina illuſtrior, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, tum præterea Sacrarũ literarum ſcientia nemini

nemini secundus, vt Ecclesia incrementa sua caperet, Synodales constitutiones, de quatuor temporum ieiunio, & Altaris Sacramento, ex Patrum Decretis sumptas, congessit. Moritur Anno CHRISTI Mxxxviij. Pontificatus xiiij. in Hildessemensis basilicæ crypta sepultus.

Ante Annos 539. *qui fuit* CHRISTI 1026.

VVARMANNVS, illustris Comes à Dilingen & Veringen, Baro in Kiburg, Vvinterthur & Baden, Landgrauius Alsatiæ, frater Eberhardi Cōstantiensium Præsulis, Hermanni Sueuiæ Ducis Præceptor, ex Diuitis Augiæ Benedictinæ professionis Monacho Constantiensis Episcopus, natione Germanus, vir omni literatura doctissimus adeoq; subtilissimus, S. Pirminij vitam Meldensis Episcopi docto volumine perfecit. Obijt Anno CHRISTI Mxxxiiij. Pontificatus viij. Constantiæ sepultus.

Ante Annos 538. *qui fuit* CHRISTI 1027.

ADEOBALDVS, ex Lobiensi Benedictinæ professionis Monacho Vltraiectensis Episcopus, S. Heinrici ij. Bauari Imp. Consiliarius, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, multa in laudem B. virginis sanctæq; Crucis scripsit. Vitam præterea S. Henrici Cæs. Augusti insigni volumine complexus est. Moritur v. Calend. Decembr. Pontificatus Anno xviij. Traiecti sepultus.

Ante Annos 535 *qui fuit* CHRISTI 1030.

ARNOLDVS, Corbeiensis in Saxonia Benedictinæ professionis Monachus, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator eloquens, Poëta grauis, Sacrarumq; literarum scientia nemini secundus, Prouerbia Salomonis heroico versu doctissimis Commentarijs complexus est.

GVIDO, Cœnobij de Cruce S. Leufridi Benedictinæ professionis Abbas, patria Aretinus, Apostolicæ vitæ vir, arcana atque mystica diuinarum scripturarum interpretatione sublimis, Dialecticus subtilis, Musicus absolutissimus, hæreticæ

prauitatis

prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, contra Berengarium Turonensis clericum Ecclesiæ, de corpore & sanguine Domini volumen prudenter & doctè composuit.

Ante Annos 533. *qui fuit* CHRISTI 1032.

S. EGELNOTVS, qui non tam ob generis nobilitatem, quàm eruditionem & vitę sanctitatem Canthuariensis in Anglia factus est Episcopus, Theologorum eloquentissimus, multa in laudem Diuæ virginis scripsit. Epistolas quoque plures ad diuersos dedit.

Ante Annos 532. *qui fuit* CHRISTI 1033.

S. BRVNO, Carnorum Dux, Comes Artenburgensis, Conradi ij. Saliqui Imp. patruelis, Episcopus Vurtzeburgensis, sanctissimæ vitæ & incomparabilis doctrinæ Antistes, vir suæ ætatis eloquētissimus, Rhetor insignis, Theologus sacrarū legū exercitatissimus, cū multa pro Ecclesiæ Catholicæ sustentatione cōstitueret, expositiones in totū Psalteriū conscripsisse dicitur. Lucubrationes præterea in Pauli Epistolas, & Prouerbia Salomonis. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mxlv. sexto Calend. Iun. postquā D. Chiliani Cathedralem in vrbe sua mirabili opere construxerat Ecclesiam. Nam cùm Henricum iij Imp. Pium & Nigrum cognominatum, atque alios Imperij Principes in Vngariam comitaretur, & in castro Bosenburg, è regione Ipsensis oppidi, ad Danubium diuerterent, cœnantibus illis regia corruit. Imperator peculiari ope diuina adiutus, in fenestræ contabulatu se incolumem reseruauit, multi mortui sunt ex casu, Bruno verò Episcopus tabellis lignei labri grauiter allisus, nono post die moritur. Delatus Herbipolim, omnium lachrymis in crypta Cathedralis Ecclesiæ sepelitur, cum hac inscriptione:

ANNO DOMINI MXLV. SEXTO CALEND. IVN. OBIIT BEATVS BRVNO EPISCOPVS, FVNDATOR HVIVS ECCLESIÆ.

ALBERTVS, Metensis Benedictinę professionis Mo-

nis Monachus, natione Gallus, ſcriptor eloquens & grauis, Hiſtoricus celeberrimus, ſummam totius Hiſtoriæ mundi ab initio vſque ad Annum CHRISTI Mxxxviij. deduxit.

Ante Annos 531. qui fuit CHRISTI 1034.

S. ODILO, Cluniacenſis Benedictinæ profeſſionis Abbas, vir Sacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac diſertus eloquio, conuerſatione deuotus adeoque ſanctiſsimus, ſermones elegantes atque doctiſſimos ad fratres ſcripſit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Mxlviij. Pontificatus lvj.

Ante Annos 528. qui fuit CHRISTI 1037.

ROGERIVS, Cœnobij de cruce S. Leufridi Benedictinæ profeſsionis, & poſtea S. Panthaleonis in Colonia Monachus, ad quem Guimondus Auerſanus Archipræſul libros tres, contra Berengarium ſcripſiſſe dicitur, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, inter cætera ſcripturarum monimenta, S. Brunonis Colonienſis Archimyſtæ vitam doctiſsimis Commentarijs abſoluit.

Ante Annos 526. qui fuit CHRISTI 1039.

GODESCHALCVS, à Sacris Henrico III. Rom. Imperatori, Præpoſitus Aquenſis, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, multas Miſſæ quas vocant Sequentias ſcripſit.

S. GVIDO, Bobienſis Benedictinæ profeſsionis Abbas, in Italia ortus, in ſuburbanis Rauennæ, villa caſa Marenſi, genere quidem nobilis, ſed virtute & doctrina illuſtrior princeps ſuæ ætatis Philoſophorũ, Rhetor inſignis, & Sacrarũ literarũ ſcientia nemini ſecundus, vir ſanctiſsimæ conuerſationis, qui Monachum quẽdam Martinum nomine à mortuis reſuſcitauit, & in virtute DEI omnipotentis multa alia patrauit miracula, ad Bobienſis Cœnobij Monachos Canonicorum regularium ſtatuta doctiſsimo volumine ſcripſit, vita defungitur pridie Calẽd. April. Anno CHRISTI Mxlvij. Pontificatus xlviij. Cuius tamen feſtum

ſtum iiij. Calend. Maij peragitur. Eo namq; die Sacrum corpus eius per Henricum iij. Imp. ex Italia Spiras delatum eſt, & in templum D. Ioanni Euangeliſtę ſacrum reconditũ. Agitabatur hiſce tempeſtatibus Nemetum vrbs inteſtinis calamitatibus, quę ſacrato illato cadauere ſubitò ſedantur. In beatiſsimi huius viri magnifico Mauſolëo, in marmore polito & leuato hæc verba ſcripta leguntur:

HIC REQVIESCIT CORPVS S. GVIDONIS ABBATIS.

Religioſa quoq; ſacratiſsimi corporis illatio, in templo S. Guidonis Spiræ, hiſce literis deprehenditur:

HENRICVS III. ROMANORVM IMPERATOR CVNRADI II. IMPERATORIS FILIVS, CORPVS S. GVIDONIS IN HANC ÆDEM TRANSTVLIT, ANNO MXLVII.

Ante Annos 524. *qui fuit* CHRISTI 1041.

ADELMANNVS, ex Leodienſi Clerico Brixienſis Epiſcopus, Fulperti Carnotenſis auditor quondá atq; diſcipulus, vir omni literatura doctiſsimus, adeoq; ſubtiliſsimus rerum diuinarum interpres, Berengarium Thuronenſem, quòd in fide erraret, deq; Sacramento Euchariſtiæ malè opinaretur, grauibus argumentis, demonſtrationibusq; certis, doctiſsimis Commentarijs conuincens, eò deduxit, vt errorẽ ſuum poſtea publico Concilio Romæ habito emendaret, ac ſtatim omiſſo ſtudio Sophiſticæ diſciplinæ, cùm eſſet Archidiaconus Andegauenſis, omnia pauperibus erogans, labore manuum ſuarum victum ſibi quæreret.

Ante Annos 523. *qui fuit* CHRISTI 1042.

THEODORICVS, Hirsfeldenſis Benedictinę pfeſsionis Monachus, natione Germanus, vir & morib⁹ & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, ad Richardum Abbatem Fuldenſem, D. patris Benedicti vitam doctiſsimo volumine eleganter & politè ſcripſit. Aliud item de translatione

corporis eiusdem confecit. Epistolas verò plures ad diuersos dedit.

Ante Annos 522 qui fuit CHRISTI 1043.

GVIMONDVS, ex Cœnobij de cruce S. Leufridi Benedictinæ professionis Monacho, Archipræsul Auersanus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, ad Rotgerium S. Pantaleonis in Colonia Monachum, contra errores Berengarij Thuronensis de corpore & sanguine Domini Commentarios doctissimos scripsit.

Ante Annos 521. qui fuit CHRISTI 1044.

HAYMO, Canthuariensis Archidiaconus Ecclesiæ, natione Anglus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia clarus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, Theologus profundus, Orator eloquens, de fructu incarnationis libros. Alium item de imitatione Sanctorum & Martyribus quibusdam scripsit.

Ante Annos 518. qui fuit CHRISTI 1047.

LAMBERTVS, Leodiensis Benedictinę professionis Monachus, natione Germanus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, vitam S. Heriberti Coloniensis Archiepiscopi elegantissimis Commentarijs complexus est.

Ante Annos 516. qui fuit CHRISTI 1049.

S. LEO IX. Bruno antea vocatus, natione Germanus, prouincia Alsatia, patrem habuit Hugonem virum nobilissimum, ex regio Comitum Dagspurgi aliàs Egisheim genere ortũ. Hic ex Episcopo Tullensi in Leucis Romanus Pōtifex renũciatus, sedit Romæ Ann. v. M. ij. D. vij. In Cōcilio Moguntię habito eligitur. Romā petens in habitu Pōtificali, Vesuncio transito, ab Hildebrãdo Anachorita apostasię redarguitur, nō Pontificijs insignijs obtectus Romā ingrederetur admonitus est. Quibus motus, peregrina veste vrbe petita, Pōtificatu se abdicauit, factũq;

ignorantiæ

ignorantiæ suę publicè cõfessus est. Suntq; auditę voces angelicæ: Ego cogito cogitationes pacis nõ afflictionis. Tandè omniũ votis Pontificiæ sedi restituitur vir certè pietate, innocētia, benignitate, gratia, hospitalitate adeò insignis, vt CHRISTVM dũ in specie leprosi ante fores reperiret, in lectum suum collocari præciperet: In rebus præterea ad religionem pertinentibus tanta diligentia & solertia vsus est, vt & in Concilio Vercellensi Berengarium hæreseos damnauerit, & Constantinopolitanum Imperatorem suis monitionibus impulerit, sepulchrum Domini Hierosolymis à Barbaris diruptum restituere. Ad Episcopos Africæ & Ægypti libros de hæresibus extirpandis & pios & elegantes. Alios quoq; ad Patriarcham Constantinopolitanum contra errores Græcorum scripsit. Epistolas verò plures ad diuersos dedit. Moritur xiij. calend. Maij Anno CHRISTI MLV. sepultus Romæ ad S. Petrum.

Ante Annos 512. qui fuit CHRISTI 1053.

S. PETRVS de Honestis, Damiani filius, cognomento Peccator, nobilis Rauennas ex Benedictinæ professionis monacho Eremita, S.R.E. Episcopus Cardinalis Hostiensis, Philosophus ac Mathematicus clarissimus, Rhetor insignis, Poëta grauis & ingeniosus, atq; Theologorum suæ ætatis nemini secundus, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, Solitariorum regulam confecit. Exhortatorij ad Monachos volumen scripsit. Miraculorum sui temporis Commentarios edidit. De profectu Monachorum libros composuit. Alios item de terrore mortis, & quem de meditatione mortis confecit. De laudibus sanctorum Floræ & Lucillæ, Cassiani, Bonifacij, Anastasij. De Ecclesiastica institutione, & Symoniacæ hæreseos confutatione, aliaq; insuper plurima opuscula doctrinis & institutionibus plena Ecclesiæ DEI reliquit.

Ante Annos 511. qui fuit CHRISTI 1054.

S. IVO, ex Præposito S. Quintini in Gallijs, vbi penè collapsum Canonicorum regularium ordinem restituit, Episcopus Carnotensis, in vico villæ Martini, in agro Corensi, in primis Britanniæ finibus, patre Haheloro, matre verò Azora, il-

lustri genere natus, Ecclesię Iohencck in Trecorensi diœcesi pastor, Iudex Curiæ Archidiaconi Redonẽsis, eximius veræ pietatis propugnator, Iureconsultus clarissimus, Theologus verò subtilissimus, vir sapiens & clarus ingenio, acerrimè in sui temporis hæreticos est inuectus, maximè eos scripturarum testimonijs arguens & conuincens. Post Brocardum Vangionum Præsulem, ex sanctorum Patrum & generalium Conciliorum atque summorum Pontificum Canonibus, magnum & insigne opus decem libris absolutum scripsit, cui Panormiæ titulum dedit. Huic sæpius cùm procederet offerre sacrificium DEO globus ignis de capite visus est emicare, ita vt in sublime contendens, longius collum crinemque flamma produceret. Anno CHRISTI Mlxix. decimoquarto calend. Iun. fœlici fine potitus in Domino sanctè, multis miraculis clarus obdormiuit, in Cathedrali Trecorensi sepultus Ecclesia. In cuius exequijs cæci visum recipiunt, surdi & muti audiendi & loquendi facultatem.

Ante Annos 512. qui fuit CHRISTI 1055.

ANSELMVS, Remensis Benedictinæ professionis Monachus, natione Gallus, vir grauis & prudens, nobilissimus rerum diuinarum interpres, Itinerarium sancti Leonis Papæ ix. à Roma in Germaniam & Gallias scripsit, in quo gesta eius in Synodis in diuersis locis habitis commemorat, quanta videlicet iustitia & authoritate causas examinauerit Ecclesiasticas, quantaque districtione peccantes corripuerit, & quemadmodũ virtus ei sit cooperata diuina, sicut patuit in Episcopo Frisingensi, qui cùm in Synodo contumaciter ageret contra authoritatem Apostolicam, repentè in omnium conspectu obmutuit.

Ante Annos 507. qui fuit CHRISTI 1058.

EINHARDVS II. Comes de Katzenelenbogen, ex Limpurgensi Benedictinæ professionis Abbate, Nemetum vrbis Spiræ Antistes, vir vita & conuersatione insignis, cui magna eloquentiæ pars tribuitur, omni doctrina, illustri quoque gloria celebratus, qui arcum subtus crucem magnam super le-

ctionario

lectionario suggesto Cathedralis Ecclesiæ Spirensis, sicuti ex literis inscriptis patet, fieri curauit:

Præmia digna DEO potis est persoluere nemo
Passi pro nobis tanti tormenta doloris:
Sed velut Ainhardus præsentis conditor arcus
Da tua largus ei coæuusq; cacumina cæli.

De Ecclesiæ cæremonijs insigne volumen, quatuor libris doctissimè complexus est. Anno sedis ix. CHRISTI verò Saluatoris Mlxvij. septimo calend. Martij spiritum DEO reddidit, Spiræ sepultus.

Ante Annos 506. qui fuit CHRISTI 1059.

S. LANFRANCVS, ex Beccensi monacho, & Codoniensi Benedictinæ professionis Abbate, Canthuariensis in Anglia Episcopus, natione Italus, ex ciuitate Papiensi, Præceptor D. Anselmi, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Gymnasij Parisiensis olim professor, Dialecticus, Rhetor & Philosophus, suiq; temporis Theologorum nulli secundus, errores Berengarij præclaro notauit opusculo. Psalterium exposuit. Et Pauli Epistolas omnes doctissimis Commentarijs illustrauit.

Ante Annos 505. qui fuit CHRISTI 1060.

S. BERNOLDVS, Constantiensis Presbyter Ecclesiæ, natione Germanus, patria Sueuus, vitæ instituto & doctrina vir clarus, cùm diuinis literis delectaretur, de Sacramentis Commentarios perfecit. Circumfertur eius quoque volumen quod ordinem Romanum inscribi voluit.

Ante Annos 500. qui fuit CHRISTI 1065.

VVILLERAMVS, ex Cathedrali Bambergensis Ecclesiæ Scholastico, & Benedictinæ professionis Fuldensi monacho S. Petri Merseburgẽsis Abbas, natione Germanus, patria Bambergensis, vir cùm eloquentia tum multarũ rerum peritia, & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Gymnasij Parisiensis quondã professor, Philosophus grauis, Rhetor insignis, Poeta ingeniosus, & Theologorum suæ ætatis nulli secundus, tam ligata quàm soluta oratione in Cantica Canticorum doctissimos

tres

tres libros absoluit. Et plura alia, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, scripturarum monimenta reliquit.

Ante Annos 499. *qui fuit* CHRISTI 1066.

BERNARDVS, Monachus de S. Blasio, natione Germanus, vir sacrarum literum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, fidei propagator acerrimus, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarumq; literarum Doctor subtilissimus. Scripsit apologeticas rationes contra Schismaticorum obiectiones, ad Adelbertum Spirensem Præpositum, in quibus præcipuè defendit, quòd ipse & alij monachi S. Blasij meritò ab excommunicatis abstineant. Circumfertur & eiusdem de lege excommunicationis Epistola, ad Adelbertum Argentinensem Præpositum. De eadem quoque re Epistolæ duæ ad Rechonem quendam. Et plura alia scripturarum eius monimenta, Ecclesiæ DEI profutura.

Ante Annos 499. *qui fuit* CHRISTI 1066.

HERMANNVS Contractus, S. Galli Benedictinæ professionis monachus, ex illustri Veringensium regulorum domo natus, natione Germanus, patria Sueuus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, corpore quidem claudus, quod cognomine indicatur, at ingenij virtutibus præditus magnis, nec genere suo indignis, Græcæ, Latinæ & Arabicæ linguæ peritissimus, Philosophus, Rhetor, Astronomus, Poëta, Musicus & Mathematicus absolutissimus, Historicus celeberrimus, qui tantum disciplinarum doctrina excellebat, vt Chronologiam de sex ætatibus mundi vsque ad sua tempora & Annum CHRISTI Mlxvj. doctissimè deduceret, vitas rursus plurimum Sanctorum insigni volumine complecteretur, & cùm generosæ stirpis & naturæ vir esset, DEIparæ virginis laudes ex scripturæ sententia, non ex carnis affectu & imaginatione perficeret. E quibus est de B. virgine dulcissima MARIA, Salue regina &c. Et Alma redemptoris, & cæteræ, quarum penè infinitus est numerus.

Ante Annos 498. *qui fuit* CHRISTI 1067.

MARBODVS, ex Monacho Redensis in

Gallia Episcopus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atq; Poëta celebris, inter cætera scripturarum monimenta, in Cantica Canticorum doctissimos Commentarios scripsit. Thæbeorum quoque passionem Martyrum, & vitas complurium Sanctorum, insigni volumine versibus elegantissimis complexus est.

S. VVOLFHELMVS, ex Benedictinæ professionis S. Maximi Treuerensis, sanctique Pantaleonis in Colonia Monacho, Brunwilerensis Abbas, natione Germanus, sacrarum legum Doctor eximius, Orator eloquens, Poëta grauis, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, contra Berengarium Thuronensem, de Sacramento Altaris volumen. Aliud rursus Epigrammatum de S. Benedicto atque alijs diuersis rebus absoluit. Moritur x. calend. Maij, Anno Saluatoris CHRISTI Mxcj.

Ante Annos 497. qui fuit CHRISTI 1068.

S. GVILIELMVS, ex Benedictinę professionis S. Heimerani Ratisbonæ monacho, Hirsaugiensis Spirensis Diæcesios Abbas, natione Bauarus, cui B. Anselmus Canthuariensis Archimysta nonnullas transmisit Epistolas. Homo certè admiratione omnium dignissimus, Philosophus acutissimus, & in disputationibus publicis adeò subtilis, vt à nemine penitus vinceretur, Musicus absolutissimus, Mathematicus, Astronomus & Arithmeticus sua ætate celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, pro conseruatione monasticæ obseruantiæ, ex veterum Decretis constitutiones Monachorum duobus libris absoluit. De correctione porrò Psalterij doctissimum volumen scripsit. Vir misericors in pauperes, omnes enim infirmos, egenos debilesque paterno fouebat affectu, multa larga manu distribuens. Sanctissimæ conuersationis, qui claudum circa Monasterium Hirsaugiense in itinere obuium habens, pristinæ sanitati restituit. Gebhardum quoque Comitem ab Aurach, Sueuum, Cathedralis Argentoratensis Ecclesiæ Canonicum, Hirsaugiensem Monachum, successorem, & postea Spirensem Episcopum,

ſcopum, toto corpore contractum, precibus ad DEVM fuſis ſanauit,& in virtute DEI omnipotentis multa alia patrauit miracula. Vita defungitur iiij. Non. Iul. Anno Saluatoris CHRISTI Mxcj. Sedis xxiij. Ætatis verò lxv. in Hirſaugienſis baſilica Eccleſiæ ſepultus.

Ante Annos 496. qui fuit CHRISTI 1069.

HELINANDVS, Monachus frigidi montis, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita et conuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus clarus, Hiſtoricus celeberrimus, nec vlli Theologorum ſuæ ætatis ſecundus, ab exordio mundi vſque ad ſua tempora Hiſtoriarum libros xlviij. confecit. De reparatione lapſi volumen abſoluit. Sermones verò plures ad diuerſos dedit.

BERTHORIVS, Caſſinenſis Benedictinæ profeſsionis Abbas, Philoſophus & Medicus inſignis, Rhetor atque Orator ſui temporis facilè omnium eloquentiſsimus ac celeberrimus, Sermones tum doctos tum elegantes ad populum habitos inſigni volumine reliquit.

Ante Annos 492. qui fuit CHRISTI 1073.

S. MARIANVS, ex D. Pantaleonis Coloniæ Fuldenſis Benedictinæ profeſsionis monachus, poſt Moguntinenſis, natione Scotus, diuino compunctus amore, patriam relinquens, cum ſocijs ſuis Ioanne & Candido, Clemente, Donato, Mucheridacho, Magnaldo atq; Iſatio, qui centum vixerat annos, in Germaniam venit. Vurtzburgi ad Presbyterorum ordinem lectus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus inſignis, Poëta grauis, Hiſtoricus celeberrimus, Theologorum ſua ætate nulli ſecundus, multarumq; literarum & rerũ peritiſsimus, ab origine mundi, vſq; ad Annum CHRISTI Mlxxxiiij. Chronicam inſignem, annorum ſerie obſeruata, tribus voluminibus complexus eſt. De concordantia quoq; Euangeliſtarum, & alia plura ſcripturarum monimenta, quæ eximij eius ſtudij ſatis magno ſunt documento Eccleſiæ DEI reliquit. Moritur Anno CHRISTI Mlxxxvj. Ætatis ſuæ lviij. Moguntiæ in Cathedrali S. Martini baſilica ſepultus.

Ante

Ante Annos 490. qui fuit CHRISTI 1075.

RVDIGERVS, Nemetum vrbis Spiræ Antistes, natione Germanus, patria Spirensis, ex ditioribus incolis Hutzmanus cognominatus, vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, patriæ amator insignis, qui vrbem ipsam Nemetum amplioribus mœnibus cinxit, adijciens pagum, quem nunc veterem Spiram appellant, vnde & ciuitas nomen sumpsit, suæ hæreditatis partem, annuente Henrico IIII. Imperatore. Cum recutita gens vndiq; in ciues & subditos sæuiret, doctissimum contra Iudæos volumen Imperatori dicauit. Quo factum, vt Rudigero Iurisdictionem omnem concederet in Iudæos, quorum magna pars Spiris degebat. Rudigerus fundatis quibusdam præbendis Ecclesiasticis ad S. Guidonem Spiræ, collocato eisdem Villagio Otterstaden moritur, Anno CHRISTI Mxc. Sedis xv. Sepultus ad læuam Chori eiusdem S. Guidonis barbaricis id dicentibus versiculis:

Præsul diuini cultus, tumulo hoc iacet sepultus,
Rudigerus nomine: qui claruit magna virtute:
DEVM is exorauit: basilicam hancq; dotauit
Prabendis octo, pleno tibi iure Patrono
Quatuor cum reliquis duodecim considerabis
Villagium Otterstadt cuius anima in luce quiescat.

Ante Annos 487. qui fuit CHRISTI 1078.

GVNTHERVS, S. Amandi Eluonensis, Benedictinæ professionis monachus, elegãtis copiosęq; eloqutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, cùm tã soluta quàm ligata plurimum polleret oratione, eleganti volumine passionem S. Cyriaci Martyris doctissimis carminibus cõplexus est. Opus præterea de tribus vsitatis Christianorum actibus oratione, ieiunio & eleemosyna xiij. libris confecit.

Ante Annos 486. qui fuit CHRISTI 1079.

S. ANSELMVS, ex Beccensi Benedictinę professionis Abbate Canthuariensis Archiepiscopus in Anglia, genere Normannus, Lanfranci auditor quondã atq; discipulus, Gre-

gorij vij. Rom. Pontificis cooperator, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ totiusque bonitatis nobilissimus Doctor, genere quidem nobilis, sed virtute & doctrina illustrior, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, & sacrarum literarum scientia nemini secundus, sanctissimæ vitæ Præsul, libros de meditationibus, cur DEVS homo, de libero arbitrio, de similitudinibus, de cruce, de B. Ioanne Baptista conscripsit. De incarnatione verbi DEI contra Iudæos volumen ædidit. Aliud de conceptu virginali. Et quod de Spiritu sancto contra Græcos dedit. Præterea de Sacramentorum diuersitate, de sancta Trinitate, de gratia & libero arbitrio, volumina confecit. Cantica Canticorum Commentarijs illustrauit doctissimis. De Sacramentis & officijs diuinis. De laudibus B. virginis MARIÆ. In Hexameron libros. Ad S. Guilielmum Hirsaugiensem in causis fidei Epistolas, aliaque plura scripturarum monumenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 486. qui fuit CHRISTI 1079.

LAMPERTVS de Legia, S. Mathiæ Treuerensis Benedictinæ professionis Monachus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, inter cætera scripturarum monimenta, vitas aliquot Sanctorum doctissimis Commentarijs complexus est.

LAMBERTVS Schaffnaburgensis, Hirsfeldensis in Buchonia sylua Monachus, quæ est inter Hassiam & Thuringiam, Maguntinæ Diœcesios, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, inter cætera scripturarum monimenta, Chronicon Monasterij Hirsueldensis breue quidem, sed lectu non indignum contexuit. Aliud rursus à tempore Caroli Magni vsq; ad Annũ xxij Henrici iiij Imp. qui est à nato CHRISTO Mlxxvij. Historiarum volumen deduxit.

Ante

Ante Annos 479. *qui fuit* CHRISTI 1086.

GISELBERTVS, Visimonasteriensis in Anglia, Benedictinæ professionis Præpositus & Abbas, natione Anglus, B. Anselmi Canthuariensis Archiepiscopi auditor quondam atq; discipulus, Sacrarum legum Doctor eximius, Philosophus, Rhetor atq; Poëta, ad D. Anselmum præceptorem contra Iudæos doctum volumen dedit. Expositiones quoq; in Esaiam Prophetam & Cantica Salomonis conscripsit. Sermones verò ad populum habitos plures.

Ante Annos 478. *qui fuit* CHRISTI 1087.

ALPHREDVS, Beuerlacensis, Anglus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Historicus celeberrimus, Ecclesiæ Anglicanæ & controuersiarũ religionis in Britannorum Ecclesijs notarum historiam, singulorum Regum vitis intexit.

Ante Annos 474. *qui fuit* CHRISTI 1091.

CONRADVS, Hirsaugiensis Benedictinæ professionis Monachus, Spirensis Diæcesios, natione Germanus, patria Sueuus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus, Rhetor, Poëta atque Theologus suæ ætatis clarissimus, Musicus absolutissimus, Orator facundus, vt qui Tullianam resonabat eloquentiam, insigni humilitatis exemplo, sub nomine Peregrini Presbyteri & Theodoræ DEO sacratæ virginis, opus tam elegans quàm perfectum de virginitate libris viij. complexus est. Expositiones præterea Euangeliorum elaborato volumine confecit. Aliud de vita, spiritu & fructu mortis scripsit. De laudibus sancti patris Benedicti Commentarium. Sermones plures ad diuersos, & alia scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 473. *qui fuit* CHRISTI 1092.

HAYMO, Hirsaugiensis Benedictinæ professionis Monachus, Spirensis Diæcesios, natione Germanus, patria Spirensis, ex ditioribus vrbis Nemetum incolis prognatus, vir

disertissimus, tam vita quàm eloquentia spectatus, cùm non minus internis animi dotibus, quàm externis diuitiarum quas Monasterio acquisiuerat opibus floreret, vitam B. Vvilhelmi Hirsaugiensium Abbatis, docto volumine cōplexus est. Sermones quoque plures ad diuersos scripsit.

PETRVS Alphonsus, Moyses antea vocatus, Iudæus, quem Alphonsus Hispaniarum regulus de sacro fonte leuans, suo agnomine insigniuit, veritatis doctrinam pristinumq; sanæ sententiæ habitum complectens, in argumentum synceræ fidei, contra Iudæos doctissimum volumen scripsit.

Ante Annos 469. qui fuit CHRISTI 1096.

S. REINHARDVS, primus Moguntinæ Diæcesios, Benedictinæ professionis Abbas, in Reinhausen Saxoniæ, prope Gottingen, natione Germanus, patria Confluentinus, diuinus certè vir, atque in monastica disciplina exercitatus, diuinarum prædictionum non expers, Dæmonum industrius expulsor, & prodigiorum sanationumq; promptus & expeditus autor, per cuius meritum omnipotens DEVS morbum quem caducum nostri vocant ipsum deuotè inuocantibus curasse perhibetur, Rhetor insignis, Poëta grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Ezechielem & Esaiam Prophetas Commentarijs illustrauit doctissimis. Dauidis Psalterium exposuit. Pauli rursus epistolas omnes declarauit. Librum verò Iob artificiosa carminum constructione copiose exornauit.

Ante Annos 467. qui fuit CHRISTI 1098.

CONRADVS, Brunvvilerensis Benedictinæ pfessionis Monachus, Diæcesios Coloniensis, S. Vvolfhelmi Abbatis auditor quondam atque discipulus, vir admiratione omniū dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, vitam Vvolfhelmi præceptoris, ad Eberhardum Brunwilerensem, & Hermannum S. Pantaleonis Coloniæ Abbates, doctissimo volumine scripsit.

THEODORICVS, S. Trudonis Benedi-

ctinæ professionis Abbas, Diæcesios Leodiensis, patria Vangio, natione Rhenanus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, vitas sanctorum Bauonis, Trudonis atque Remaldi, eleganti volumine doctè complexus est.

S. ANSELMVS, Episcopus Lucensis, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, Philosophus, Rhetor atque Historicus celebris, nec vlli Theologorum secundus, author vt Mathildis Comitissa, quę tunc Lucę dominabatur, Cœnobium S. Benedicti apud Mantuam ædificaret, in Hieremiam Prophetam, & Euangelium Matthæi expositiones scripsit. Psalterium præterea Dauidis doctissimis Commentarijs complexus est. Obijt Lucæ in monasterio S. Benedicti, prope Mantuam sepultus, in vrbem deinceps in Cathedralem Ecclesiam, ne à vicinis cũ miraculis continuò clarior fieret surriperetur, translatus est.

Ante Annos 466. qui fuit CHRISTI 1099.

OSMVNDVS, Sarisburiensis Episcopus, ex nobili Neustriorum sanguine prognatus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura suæ ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris; inter cætera scripturarum monimenta vitam S. Adelmi Præsulis, eleganti volumine descripsit. De reformatione porrò Ecclesiæ suæ Commentarios absoluit.

Ante Annos 463. qui fuit CHRISTI 1102.

ANNA, vxor Nicephori Melisseni, filia Irenes & Alexij Imperatoris, mulier Græcis Latinisq; literis eruditissima, Ecclesiæ Constantinopolitanæ & controuersiarum religionis in Orientalibus Ecclesijs notarum historiam quam Alexidem vocauit libris XV. complexus est.

Ante Annos 460. qui fuit CHRISTI 1105.

S. BRVNO, generosa Comitum ab Aurach stirpe profectus, Hirsaugiensis Benedictinæ professionis, Spirensis

Diæcesios

Diæcesios Abbas, natione Germanus, patria Sueuus, Cathedralis Spirensium Ecclesiæ Canonicus, vir genere quidem nobilis, sed virtute & doctrina illustrior, moribus & vitæ sanctitate nemini secundus, princeps suæ ætatis Philosophorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, sacrarum quoque legum subtilissimus interpres, vitas aliquot Sanctorum doctissimis Cōmentarijs exposuit. Moritur ix. Calend. April. Anno Saluatoris CHRISTI Mcxxj. Pontificatus xiiij. sepultus in basilica Sanctorum Petri & Pauli, ad Altare D. Laurentij Martyris. Dum corpus eius, vt fortè fit, post Annos cccxxxix exhumaretur, integrum quasi repertum, sanctitatis ostendit merita, cæcus enim & claudus sanitatis pristinæ habitum recipiunt.

Ante Annos 456. qui fuit CHRISTI 1109.

FRANCO II. Hafligemensis Benedictinæ professionis Abbas, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Poëta grauis, Orator facundus, multarumque literarum & rerum peritus, de gratia DEI librum edidit. Alium rursus de statu futuræ gloriæ, quem metro absoluit. Sermones verò de Beata virgine plures conscripsit.

SIGEBERTVS, S. Vincentij Metensis atque Gemblacensis Benedictinæ professionis Monachus, natione Gallus, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta grauis, Theologus profundus, Historicus celeberrimus, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus, ab orbe condito ad sua vsque tempora, quibus Henricus v. imperare cœperat, Chronica sua perduxit, ac de Pontificum Romanorum & Imp. Germanicorum rebus gestis multa collegit. De illustribus viris Commentaria suppleuit. Vitas Sanctorum Theodorici Metensis Episcopi, Luciæ virginis, Guiberti Monachi fundatoris Gemblacensis, Maclonij & Thebeorum Martyrum doctissimis voluminibus absoluit. Gesta Gemblacensium edidit. Treuerensibus de ieiunijs quatuor temporū respondit. De scriptoribus famosis libellum Brunoni Spirensium Episcopo dicauit. Ecclesiasten heroico versu explicauit. Homilias præterea ad populum habitas penè infinitas composuit.

Ante Annos 455. qui fuit CHRISTI 1110.

S. AN-

S. ANSELMVS, Laudinienſis Scholaſticus, vir ſanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illuſtris, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, Rhetor inſignis, & ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, nouo expoſitionis genere vtrumq; teſtamentum ex ſanctorum Patrum ſcriptis illuſtrauit.

Ante Annos 450. qui fuit CHRISTI 1115.

RODOLPHVS, S. Trudonis Benedictinæ profeſsionis in Leodienſi Diœceſi Abbas, & vitæ inſtituto & doctrina vir clarus, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, inter cætera ſcripturarum monimenta contra Symoniacos libros vij. & eleganter & doctè ſcripſit. Chronicon quoque lectu non indignum ad ſua tempora inſigni volumine deduxit

Ante Annos 447. qui fuit CHRISTI 1118.

FLORENTIVS, Vvingerinenſis Monachus, natione Anglus, doctrina & eloquentia vir clarus, ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, Hiſtoricus celeberrimus, Eccleſiæ Anglicanæ & controuerſiarum religionis hiſtoriam ad Henrici iunioris imperium deduxit.

IOANNES Zonaras Monachus, natione Græcus, elegantis copioſæq; elocutionis vir, Hiſtoricus celeberrimus, cui præclara certè laus in prophana ſimul & ſacra Philoſophia, omnibus omniũ præclarorũ virorum calculis tribuitur, Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ controuerſiarum religionis in Orientalibus Eccleſijs motarum hiſtoriam, ſingulorumq; Cæſarum vitis intexit, vſque ad Annum CHRISTI Mcxx.

Ante Annos 446. qui fuit CHRISTI 1119.

CALISTVS II. Guido antea vocatus, natione Burgundus, ſummo loco in Gallijs ortus, originẽ à Regibus Franciæ ducens, Guilielmum Burgundiæ Comitem patrem habuit. Qui ex Archiepiſcopo Vienenſi, Cluniaci in Gallijs, vbi Gelaſius ij. Papa obierat Pontifex renunciatus ſedit Romæ Ann. vj. M. x. D. xiij. Is non prius pontificium habitum ſibi deſumpſit, quàm intellexit ſe ab his quoq; Cardinalibus confirmari, qui Romæ & in

Italia remanserat. Re itaque literis & nuntijs cognita, Romam veniens, populo obuiam prodeunte ac honorato quoque vrbem ingreditur, congratulantibus omnibus tũ Pontifici, tum ciuitati Romanæ, quòd hunc quietis & pacis autorem futurum cernebant. Cùm B. Iacobi Apostoli præcipuus cultor & amator esset in honorem eius Compostellanam Hispaniarum Ecclesiam, quòd sacratum ibi CHRISTI præconis corpus requiesceret, Archiepiscopatus celebrauit ornamento, vitam & miracula sancti eiusdem vrbis Patroni doctißimis Commentarijs perficiens. Verùm ne tanta fœlicitas sine aliquo incommodo diutius in terris esset, Gregorius antipapa, Burdinus antea vocatus, nomen Pontificis vsurpare conatus, Sutrij se continens, auxilio quorundam tyrannorum fretus, & Romanos incursionibus vexabat, peregrinos negotij ac religionis causa ad vrbem accedentes spoliabat. Quare Calistus comparatis repentè copijs, præmissoq; cum expeditißimo quoq; Ioanne Cremensi sancti Crisogoni presbytero Cardinali, subsequens ipse hostem, vincunt, Sutrium capiunt, Burdinũ camelo impositum, in triumphi speciẽ Romam ducũt: quem Pontifex vita donatum, Cauensi monasterio inclusit. Calistus autem de DEO deque hominibus benè meritus Anno CHRISTI Mcxxiiij. Idib. Septem. moritur, Laterani sepultus.

ROBERTVS, S. Remigij Benedictinæ professionis in Remensi Diœcesi Monachus, natione Gallus, Historicus celebris, Poëta grauis, qui sacras atq; profanas literas æquè didicerat, res gastas Christianorum in terra sancta contra infideles tempore Vrbani ij. Pont. Max. libris x. complexus est.

EDMONDVS, Canthuariensis Benedictinæ professionis in Anglia Monachus, B. Anselmi Archipræsulis auditor quondam atque discipulus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilißimus, discordiam Guilielmi Anglorum Regis, & S. Anselmi Canthuariensis Archimystæ, sub titulo Ecclesiasticæ libertatis docto volumine conscripsit. Vitam quoque præceptoris Anselmi prolixo Commentario doctè complexus est.

Ante Annos 445. *qui fuit* CHRISTI 1120.

HONORIVS, Augustodunensis Ecclesiæ Presbyter, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, de CHRISTO, de Ecclesia & futura vita opus præclarissimum, nec minus vtile, cui Elucidarij titulum fecit, Galliarum Regi dicauit. Scripsit de officijs diuinis libros vj. De imagine Mundi ij. Alium cui titulus sigilli S. MARIÆ. Et quem de scriptoribus Ecclesiasticis posteritatis memoriæ consecrauit. Conscripsisse præterea dicitur Commentarios haud vulgares in Cantica Canticorum. In Hexameron. In Psalterium. In Salomonem. De anima. De corpore Domini. De prædestinatione & libero arbitrio, ac plerosque alios, quos ipse in libro virorum illustrium commemorat.

Ante Annos 444. *qui fuit* CHRISTI 1121.

S. HILDEBERTVS, Cenomanensis Episcopus, quem Honorius ij. Pontifex, quòd plurimum Heroico Elegiacóue carmine valeret, tanta beneuolentia complexus est, vt nullum genus officij prætermitteret, quo eum ad honestiorem dignitatis gradũ euehi posse existimaret, & Thuronensem Archipræsulem crearet, Berengarij Thuronensis auditor quondam atq; discipulus, sed persecutor erroris, vir fide Catholicus, & in lege DEI exercitatissimus, in sacris scripturis doctissimus, Philosophus, Rhetor atque Poëta, tum docendo tum scribendo ingenij sui præclara monimenta reliquit. Extat eius liber de officio Missæ. Alius de Sacramento Altaris. Et quem de huius vitæ miseria scripsit. Antiphona rursus & responsa, quæ iudicio vniuersæ Ecclesiæ probata receptaq; composuit.

Ante Annos 441. *qui fuit* CHRISTI 1124.

S. RVPERTVS, ex Monacho D. Laurentij in Oesbrog prope Traiectũm, Tuitiensis Benedictinæ professionis, è regione Coloniæ Agrippinæ Abbas, natione Germanus, propter incomparabilem scientiæ maiestatem & vitæ sanctitatem à Friderico Archiepiscopo Coloniensi Tuitium euocatus, omnes sui temporis Magistros literarum scientia, eruditione &

doctrina antecellebat, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus, Rhetor, Poëta & Astronomus. Is adhuc iuuenis, nec ephæbus, maximum sacris scripturis studium impendens, cùm ob ingenij tarditatem, stuporem debilitatemque linguæ parum discendo proficeret, oratione, ieiunio & eleemosyna frequenti, à matre gratiæ virgine MARIA cognitionem scripturarum, quam ingenium negauerat, supplex precibus & lachrymis condonari petiit: qua manifestè noctu in visione DEI apparente, ac gratiam promittente, tantam in sacrarum literarum expositione scientiā consecutus est, vt suo tempore nec Italia similem, nec Germania æqualem habuerit. In Tuitiensi quidem Monasterio conscripsisse dicitur, De officijs diuinis libros xij. In Euangelium Ioannnis lib. xiiij. Præterea in Genesim libr. ix. In Apocalypsin Ioannis libr. xij. Et iterum xxij. De sancta Trinitate, in vetus Testamentum libr. xlij. In duodecim Prophetas minores libr. xxx. De victoria verbi DEI libr. xiij. In Cantica Canticorum lib. vij. In Euangelium Matthæi libr. viij. Commentarios in libros Regum de Dauid xv. In librum Iob x. De processione Spiritus sancti volumen. Expositionem super regulam Benedictinam. Meditationes de incendio oppidi Tuitiensis libr. iij. Disputationem Christiani atque Iudæi doctissimis carminibus absolutam. Opus de gloria & honore filij hominis. Et hæc ingeniij sui monimenta ferè omnia dedicauit Friderico Archimystæ Coloniensi, quædam etiam Cunoni Episcopo Ratisbonensi antea Sigeburgensi Abbati.

Ante Annos 440. *qui fuit* CHRISTI 1125.

S. RVPERTVS, Lympurgensis Benedictinę professionis, Spirensis Diæcesios Abbas, natione Germanus, patria Vvormatiensis, vir sanctitate & doctrina, moribus, religione, atque dignitate maximè illustris, qui reuelationibus crebrò meruit visitari diuinis, Gymnasij Parisiensis quondā professor, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, Poëta grauis, & Sacrarum literarum scientia nemini secundus, in Cantica Canticorum libros quatuor & doctissimos & lectu iucundissimos cōmentatus est. De contemptu mundi volumina scripsit, vitam & miracula S. Ioannis Baptistæ perfecit. Reuelationum volumen edidit.

edidit. Sermones porrò de Sanctis quorum corpora vel patrocinia in Lympurgensi Monasterio habebantur absolvit. De quo in Hirsaugiensium Annalibus hæc commemorat Trithemius: Rupertus à Parisiensibus ad patriam suam ciuitatem Vuormatiensem reuersus secularem Philosophiam commutauit in diuinam, factusque monachus in Cœnobio Lympurgensi ac deinde Abbas: tanta districtione, ieiunio & abstinentia conuersationem tam sibi quàm monachis suis præter morem eatenus in eodem monasterio obseruari cõsuetum his temporibus indixit, vt aliqui ex monachis licet numero pauciores de Cœnobio fugerent, & Arnoldum Episcopum Spirensem, qui Brunoni successerat accedentes, grauem illi persecutionem suscitarent. Introduxit enim eum viuendo modum Abbas, vt non solùm à carnibus omnino secundum regulam sanctissimi patris nostri Benedicti abstinerent, verùm etiam à piscibus, ouis, lacticinijsq;, & omnibus generaliter, quæ vel vixerunt vnquam aut viuere potuissent, solis leguminibus, pisis & fabis, exemplo veterum Sanctorum Patrum, tam in eremo, quàm in cœnobijs quondam victitantium contenti. Vinum extra infirmitatem, sicut de S. Martino & monachis eius legimus, non bibebant. Hunc viuendi modum Arnoldus Episcopus Spirensis coadiuuato secularium hominum consilio, ad delationem fugitiuorum monachorum iudicans superstitiosum, Rupertum Abbatem ad sui præsentiam citauit. Quo comparante vnà cum potioribus de conuentu monachis in ciuitate Spirensi coram Arnoldo Episcopo, alijsq; prælatis multis, & clericis diuersi ordinis viris, Episcopus cunctis audientibus dixit ad Abbatem: Cuius authoritate vel licentia communitus es Abbas, vt sine consensu nostro in parœchia nostra, cui authore DEO præsidemus, vitam cœnobiticam à sanctis patribus discreta moderatione institutam, & tam ab ipsis quàm eorum successoribus sine alicuius reprehensione legitima vsque ad nos laudabiliter obseruatam, noua quadam superstitione audeas immutare, interdicens hominibus vsum earum rerum, quas nullus Sanctorum vnquam legitur prohibuisse? Neq; enim te maiorem existimare debebis sancto legislatore tuo Benedicto, qui in regula quam & tu professus es, interdicto carnium edulio monachis, pisces, oua, lacticinia, & vinũ non vetuit. Tu ergo qua temeritate

monachis illa præsumis interdicere, quæ sanctum virum legimus permisisse ? Ad hæc vir Domini Rupertus cum humilitate intrepidus respondit: Authoritate & licentia omnipotentis DEI & totius curiæ cœlestis crapulam, delicias & ciborum voluptatem & vini vsum, mihi & monachis meis, qui propositum meum sua sponte pro DEI amore sequuntur interdixi, sciens abstinentiam DEO placere, & monasticam præcipuè ornare institutionem. Et tu Domine Episcope, qui me hoc quadam noua superstitione præsumpsisse existimas, & mihi & sanctis DEI Patribus nostris, qui quondam in eremo simul & in cœnobijs, pro amore cœlestis regni maiori se, quàm nos abstinentia macerantes, etiam à leguminibus, quæ nos permittimus, abstinuerunt, pane cum aqua & modico sale contenti: quantam iniuriam irroges, omnes etiam mediocriter sapientes intelligunt. Si Episcopus es, si bonus pastor animarum, si DEI amator, quod omnino esse debebis, non prohibere subditorum suorum parsimoniam, voluntariè pro DEI amore susceptam, sed eam potius condignis fauoribus prosequi, & oues tibi commissas nõ ad laxiora, sed ad ardua magis cohortari. Cur in nobis reprehendis, in quo tu nos vt pastor oues præcedere omni tempore debuisti ? Abstinentiam nostrã diuino imperio pro nostris peccatis voluntariè assumptam, tu magis temerè quàm sapienter superstitiosam & nouam appellasti, quæ & diuinis scripturis est consona, sanctorumq́ue Patrum longè ante nos authoritate confirmata. Vt ergo more Scholasticorum rem omnem breuiter concludam iste viuendi modus cum abstinentia, quem DEO iubẽte assumpsimus, ego & fratres mei pro amore regni cœlestis, aut bonus est aut malus. Alterum duorum necessariò est verũ. Si bonus est, nullatenus est prohibẽdus, præsertim cũ volentibus nobis eius obseruantia nec impossibilis sit, nec onerosa, videaturq́; multis in locis sacris scripturis non parum cõmendata. Si verò malus est, quare tunc in Daniele commendatur cum socijs suis, qui cibarijs regalibus spretis, leguminibus amore paternæ traditionis vescebantur? Si inquam malus & reprehensibilis est iste modus abstinendi, quare etiam Sancta mater Ecclesia Catholica eum in sanctis Patribus Antonio, Paulo, Macario, Arsenio, Mose,

Bambone, Onuphrio, cæterisque multis tantopere commendat? An vitam Sancti Martini Turonensis Episcopi, sanctorumque monachorum in cœnobio cum ipso istam conuersationem & abstinentiam quam tu reprehendis nobis peccatoribus, multò strictius, quàm nos, suo tempore obseruantium, quam omnis Ecclesia Christiana laudibus concelebrat, tu solus superstitiosam nouamque & regulæ monasticæ contrariam dicere & reprehendere præsumis? Memento precor Episcopum te esse, animarumque CHRISTI sanguine redemptarum ordinatum pastorem, & si tu abstinentiam, qua nos vt perfectior ordine præcedere debueras, aut non vales, aut certè contemnis assumere, noli nos temerè contra DEI voluntatem ab eius obseruantia prohibere. Nam si omnino nobis hunc viuendi modum interdicere pergas, nos tamen DEO potius obediendum quàm hominibus, non ignoramus. His dictis siluit. Mirabantur autem omnes super responsis illius, & quod Episcopum amatorem & defensorem epularum tam facetè deprehenderit, tacitè collaudabant. Arnoldus verò Episcopus prudenti argumentatione Abbatis in semetipso confusus, iratus est, sed iram propter circumstantes dissimulans, iterum dixit ei: Diuinitatis pro hac tua nouitate allegas imperium: si DEVS tibi præcepit, ostende mandatum. Mox ergo de sinu extraxit libellum, continentem seriem cuiusdam reuelationis diuinitus sibi factæ, in qua & multa & miranda huius abstinentiæ præconia habebantur. Lecto autem publicè coram omnibus libello, viri sapientes & qui DEVM amabant, cœperunt timere: vt pote qui Rupertum semper nouerant virum religiosum ac DEVM timentem, & propterea diuinis illum reuelationibus indignum non credebant. Rursus ad Abbatem dixit Episcopus: Contra diuinam voluntatem nihil scienter intendimus ordinare, sed tuis reuelationibus non probatis fidem adhibere citò nec possumus nec debemus, dicente scriptura: Qui citò credit, leuis corde est. Et sanctus Apostolus Paulus, Probate, inquit, spiritus, si ex DEO sint. Quod ergo das signum, vt reuelationes istas tuas, non fictas, non falsas, sed à DEO immissas credere debeamus? Cui Abbas respondit:

Non

Non ſum Propheta, vt in conſpectu tuo mortuos reſuſcitem, aut ignem de cœlo deſcendere faciam, ſed in hac parte ſum miſſus à DEO & ſanctis eius, vt tibi mandatum ſummæ maieſtatis Patris & Filij & Spiritus ſancti annunciarem. Si audieris me, & emendaueris quæ tibi Dominus præcepit, bene res acta eſt, & tu animam tuam liberaſti. Si verò non credideris, Dominus qui miſit me, ipſe iudicabit te, & radicem tuam amputabit de terra viuentium, breuiq; viues tempore. Hoc erit tibi ſignum. Verum tamen paratus ſum, quale decreueris ſubire iudicium; vt eorum quæ dixi capias experimentum. Conſilio igitur virorum præſentium habito Epiſcopus, probationem reuelationum ſuarum Abbati ſub perceptione Dominici corporis et ſanguinis indixit. Itaq; Miſſarum celebratione ab Epiſcopo in conſpectu omnium peracta, corpus Domini noſtri IESV CHRISTI Abbati præbēs in manum, antequam illud ſumeret ſic iurare præcepit: Ego Rupertus DEI gratia Limpurgenſis Eccleſiæ Abbas, dico, affirmo, & iuro coram omnipotente DEO, omnibus ſanctis eius & vobis Domine Epiſcope Arnolde, in animam meam ſuper hoc corpus & ſanguinem Domini noſtri IESV CHRISTI verum, quod natum eſt ex virgine MARIA, paſſum & immolatum in ara crucis pro nobis, quòd reuelationes iſtæ quas ſcripſi in parte & in toto, non ſunt fictæ, non falſæ, non fantaſticæ, non diabolicæ, non excogitatæ ab homine, non deceptoriæ, neq; per humanam induſtriam adinuentæ, ſed mihi diuinitus reuelatæ, veræ, ſobriæ, angelicæ & diuinæ: ſic me DEVS, & hoc corpꝰ Domini noſtri IESV CHRISTI, quod in manibus meis teneo, nunc & in extrema hora mortis meæ, ac nouiſsimo die iudicij adiuuet, ſaluet & ſuſcipiat. Et ſi aliter eſt quàm dixi & iuraui, tunc hoc Domini noſtri IESV CHRISTI venerabile corpus non pertranſeat guttur meum, ſed hæreat in faucibus meis, ſtrangulet me, ſuffocet me, ac interficiat me ſtatim in momento: & non ſit mihi locus in cœlo cum electis DEI, ſed mihi ſit portio cum Dathan & Abiron in inferno & Iuda traditore, cum Herode & Pilato, qui Dominum crucifixerunt, & cum diabolo & angelis eius, in centro gehennæ, ſtatim abhinc nunc & ſemper ſine fine in æternum, Amen. Et ſubiunxit Epiſcopus: *Si ea quæ coram nobis lecta ſunt, non ſunt tibi veraciter à DEO reuelata, ſed*

ſunt

ſunt vel per te, vel per alium humanitus adinuenta, confiƈta, falſa, diabolica, ſubdola, ſeu fantaſtica, non perueniat tibi hoc corpus Domini noſtri IESV CHRISTI ad ſalutem, nec tranſeat gutturtuum, ſed faciat in te iudicium, & mox interficiat te: & ſis authoritate omnipotentis DEI & noſtra, Sathanæ traditus in interitum corporis & animæ in ſempiternum, in experimentum veritatis, vt diſcant omnes, tuo interitu præmoniti, non illudere vel decipere ſanƈtam Eccleſiam DEI. Et reſpondit intrepidè Abbas: Amen. Sumptoque viuifici corporis Dominici Sacramento ſine difficultate, cum magna deuotione fidem reuelationum ſuarum aſtantibus fecit. Dimiſſus ergo, conſilio aſtantium ad monaſterium ſuum cum fratribus rediјt, & inchoatam abſtinentiam vnà cum illis continuauit. Verùm Arnoldus Epiſcopus non ſolùm reuelationibus Ruperti Abbatis non credidit, ſed etiam vindiƈtam in illum exercere cogitauit. Vnde paucis elapſis menſibus venit ad Limpurg cum ſimilibus ſibi, qui diƈta Abbatis tanquam ſomnia irridebant, volens omnino prohibere, ne fides illis adhiberetur. Cum multa ergo ſuperbia ſanƈtum virum exaſperans, iterumque probationem iuramenti ab eo ſuſcipiens, licet inuitus, credere contempſit. Stans ergo Rupertus Abbas in præſentia omnium, ad Epiſcopum quaſi cum authoritate quadam dixit: Ecce mittit ad te mandata ſua DEVS, & non credis: horribilem probationem ſubiui, & contemnis: vnum adhuc reſtat, vt quia perſuadere tibi, vt verbis noſtris fidem adhibeas nulla ratione poſſumus, diuino te neceſſarium eſt iudicio relinquamus. Et hoc tibi ſit ſignum: Si hunc annum tu Arnolde, ſuperuixeris, non eſt DEVS in me locutus, ſed erunt confiƈta omnia quæ dixi: & tu me vt deceptorem pro tua voluntate condemnabis. Sed DEVS in me locutus eſt, & tu Epiſcope hoc anno indubitanter morieris, incredulitatis tuæ mercedem à Domino noſtro IESV CHRISTO, qui me miſit, recepturus. His auditis Epiſcopus timuit, & emendaſſet forſitan errorem, niſi conſilio ſuorum in inſtanti fuiſſet deceptus, qui dixerunt: Abſit à te Domine, vt huic fatuo & deliro ſuiſque deliramentis adhibeas fidem. Non decet authoritatem tuam ſomnijs decipi monachorum, vt in ſcandalum & opprobrium venias omni populo, dicaturq; de Domino noſtro,

quòd instar mulierculárum ad vnius vesani torrentis vocem, à suo fuerit mutatus proposito. Confortatus, imò deceptus hoc prauo suorum consilio, Episcopus ad propria rediȷt, & iuxta verbum Abbatis Ruperti post paucos Menses eodem anno morte satis subitanea decessit.

Ante Annos 439. *qui fuit* CHRISTI 1126.

S. HVGO de Folieto, S. Petri Corbeiensis Benedictinæ professionis monachus, magna vir fama sanctitatis pariter & doctrinæ, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, De materiali, Spirituali Animæ & Paradisi claustris libros quatuor absoluit.

VDALSCALCVS, ex familia honesta nobilium virorum de Maysack natus, D. Vdalrici Augustani, Benedictinæ professionis Abbas, S. Eginonis prædecessoris indiuiduus comes, scriptor eloquens & grauis, Poëta ingeniosus, Musicus absolutissimus, nec vlli suæ ætatis Theologorum secundus, cùm non minus internis animi dotibus quàm externis diuitiarum opibus quas Monasterio acquisierat floreret, Historiam multorum Sanctorum, inprimis verò Beatorum Vdalrici, Mauricij, Afræ & Mariæ Magdalenæ, varij generis versibus doctissimè scripsit. Epigrammata sparsim hinc inde parietibus inscripta, quæ ipsius ingenium admodum fœcundum, doctrinam verò non vulgarem præclarè & luculenter produnt, Augustæ visuntur. Obijt Anno Domini Mclj. Pontificatus xxv. sepultus in sui Conuentus basilica cum tali Epitaphio.

Mors animæ triplex, sed in hoc est corpore simplex:
Nam moritur vitijs, post rea supplicijs:
Tertio damnatur, dum corpus ei sociatur.
Ergo mouendo perit, quod malè semper erit.
Sed tria iustorum sunt vitæ dona, laborum,
Expes amor, & spes: quæ DEVS *ipsemet est,*
Hîc dum speratur, patriæ requies & amatur,
Illic percipitur qua DEVS *aspicitur.*

Vilio

Visiodeinde DEI summum confert requiei:
Quæ dum fine caret, gaudia semper habet.
Vos ergo Patres, vos in Domino rogo fratres
Vt memores sitis, quem cinerem teritis.
Viua mei transit, pars viuificanda remansit:
Vt spes vnius vita sit alterius.

S. NORBERTVS, ex primo fundatore Præmonstratensi, Principum Imperij Spiræ consilio Madeburgensis Archimysta delegatus, natione Gallus, patria Lotharingus, vir sanctissimæ conuersationis, & Christianæ religionis propagator eximius, ad quærendas Sanctorum reliquias Coloniam veniens, atque suis indicto ieiunio & orationi instantibus, vna de numero vndecim millium virginum apparens, nomen & locum quo sepulta esset ostendit, quæ crastino manè solenniter leuata, cum alijs Diuorum exuuijs ad Monasterium Præmonstratense translata est. Sequente verò die, & in templo D. Gereonis Coloniæ pernoctans, manè facto, in medio basilicæ, vbi nullum sepulturæ signum apparebat, effodi iussit, atque corpus eiusdem Sancti integrum, præter Caluariæ partem inuenit, quod è terra leuatum, & in eadem basilica honorificè reconditum, occasionem præbuit, vt de visionibus suis tres libros. Sermones porrò de obitu Sanctorum ad populum habitos plures conscriberet. Moritur viij. Id. Iun. Anno Saluatoris CHRISTI Mcxxxiiij. Pontificatus ix.

Ante Annos 437. qui fuit CHRISTI 1128.

ECKARDVS, Monasterij S. Laurentij, quod Viraugia dicitur, in Diœcesi Herbipolensi, in Hercynia sylua, Benedictinæ professionis Abbas, natione Germanus, vir cùm confessionis gloria, tùm vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Poëta grauis & ingeniosus, multarumque literarum & rerum peritissimus, ad imitationem Boëthij gemino stylo volumen, instructionem & consolationem Monachorum, atque omnium CHRISTI fidelium complectens, cui laternæ monachorum titulum fecit libris quinque

 distinctum

distinctum absoluit. Sermones quoq; ad populum habitos plures prolixis Commentarijs complexus est.

Ante Annos 435. *qui fuit* CHRISTI 1130.

S. HVGO de S. Victore, Parisiensis Canonicus, & Doctor insignis, natione Saxo, magna vir fama sanctitatis pariter & doctrinæ, ingenio placidus, eloquio grauis, & ornatus moribus, Rhetor insignis, Poëta ingeniosus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, multa scripsit vt sacras literas illustraret, inprimis de Sacramentis Commentarios non contemnendos: Summam Sententiarum: De arra animæ. De modo orandi & laude charitatis. De mystica archa Noë. De perpetua virginitate S. MARIÆ. De incarnatione verbi. De sapientia CHRISTI. De mysterijs Ecclesiæ. De confessione, & septem donis Spiritus sancti. Complexiones in Ecclesiasten, in Cantica Canticorum, in Threnos Hieremiæ. Super Magnificat, in Ezechielem Prophetam, in quosdam Psalmos, & quinq; libros Moysi. Hierarchiam rursus Dionysij xiiij. libris illustrauit, aliaq; plurima scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mcxl. in Lutetia Parisiorum vrbe sepultus.

Ante Annos 434. *qui fuit* CHRISTI 1131.

S. VVILBERTVS, Carnotensis Antistes, Episcopatum iniens, nequaquam à maioribus suis degenerauit. Nam magnitudine animi, consilio, doctrina & sanctitate vitæ, cum quouis optimo Pontifice comparari potest. Sacrarum legum Doctor exercitatissimus, insigne contra Iudæos volumen scripsit. Sermones plures ad diuersos, sed is potissimum laudatur quem de Natiuitate B. MARIÆ virginis, posteritati consecrauit.

S. DIEMO, Hirsaugiensis Benedictinæ professionis, Spirensis Diœcesios Monachus, B. Henrici Abbatis in Breitenaw auditor quōdam atq; discipulus, vir sanctitate & doctrina,

moribus,

moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, qui propheticum spiritum habuisse prædicatur, nam diuinis reuelationibus & consolationibus crebrò recreari consueuit, vitas aliquot sanctorum elegantissimis voluminibus composuit. Moritur Anno Dominicæ incarnationis Mcxl. sepultus in Hirsaugiensi basilica, in sacello Diuæ virgini MARIÆ dicato.

Ante Annos 433. qui fuit CHRISTI 1132.

S. HENRICVS, ex Hirsaugiensi Benedictinæ professionis Monacho, Moguntinæ Diœcesios Abbas in Breitenaw, Philosophus, Orator atque Poëta perfectus, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ totiusq; bonitatis nobilissimus Doctor, qui quatuor corpora de Collegio vndecim miliū virginum ab Arnoldo Coloniensium Archiepiscopo impetrauit, in persona diuitis epulonis & pauperis Lazari in sinu Abrahæ quiescentis Dialogum scripsit. De contemptu seculi volumen. Aliud de lapsu primi hominis & tædio præsentis exilij. De B. MARIA virgine Commentarium. Libellum de resurrectione Sanctorum. De Domino nostro IESV CHRISTO scriptum. Opusculum de CHRISTI corpore mystico. Et quod de fide Catholica ad Carnotensem dedit præsulē. Extant alia quoque sanctissimi huius viri monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento.

GVILIELMVS Malmesberiensis, Benedictinæ professionis Monachus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Historicus perfectus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, vitas Romanorum Pontificum à S. Petro ad Honorium ij. deduxit. Dunstani porrò Archipræsulis res gestas doctis voluminibus exposuit.

Ante Annos 430. qui fuit CHRISTI 1135.

S. GVIDO, quintus Carthusiæ Prior, vir doctrina & sanctitate vitæ spectatus, eloquentiæ studijs legitimè imbutus, B. Hugonis Gratianopolitani Præsulis vitam doctissimè confecit. De institutionibus Carthusianorum scripsit. Epistolas præterea Diui Hieronymi patris, nimio scriptorum vitio deprauatas, diligenti studio emendauit, & in Commentarij seriem re-

 duxit.

duxit. Moritur vj. Calend. August. Anno Saluatoris CHRISTI Mcxxxvij.

Ante Annos 428. qui fuit CHRISTI 1137.

PETRVS Lombardus, qui Magister Sententiarum vocari solet, Episcopus Parisiensis, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Sacrarum legum exercitatissimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, quatuor libros Sententiarum ex diuersis Sanctorum Patrum Decretis colligens, posteritati transmisit, qui tantæ sunt hodie in Scholis Theologorum authoritatis, vt cæteris penè omnibus in lectione quotidiana præferantur. Expositiones porrò in omnes Pauli Epistolas xiiij. libris composuit. Dauidis Psalterium Commentarijs illustrauit. Sermones verò plures, & quædam alia scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 427. qui fuit CHRISTI 1138.

NICOLAVS de S. Albano, Benedictinæ professionis Monachus, natione Anglus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, in laudem B. MARIÆ virginis, CHRISTI matris, multa cùm doctè tum prudenter scripsit. A musca suffocatus interijt, Anno Saluatoris CHRISTI Mclix.

DVDECHINVS, Presbyter Ecclesiæ in Longenstein, natione Germanus, vir disertissimus, non minus vita quàm conuersatione clarus, omni literatura sua ætate nobilissimus, peregrinationis suæ Hierosolymitanæ Historiam scripsit.

Ante Annos 426. qui fuit CHRISTI 1139.

S. MACARIVS, primus Scotorum apud Herbipolim Abbas, natione Scotus, vir sanctissimæ vitæ, doctrinæ & eloquentiæ singularis, qui cùm à vino pro DEI amore penitus abstineret, & die quadam in medio magnatum sedens ad mensam habere aquam non potuisset, signo Sanctæ crucis facto supra vas vini magnificè & pretiosè cœlatum in mensa cunctis appositum, vinum in aquam mutauit. Mirabantur qui aderant omnes,

omnes, quippe qui vinum quod optimum gustauerant, mutatum in aquam subitò viderant. Fuerunt autem huic miraculo ad mensam præsentes, Piligrinus Abbas S. Burchardi, Gebhardus Præpositus de nouo monasterio, Burckerus, Henricus, Mukolinus, & Iringus de Zabelstein, cum multis alijs Summi templi Canonicis. Ob cuius præclarissimi signi perpetuam memoriam ad posteritatem transmittendam, Embricho Præsul, de communi totius cleri consilio & assensu, in maiori Ecclesia Herbipolensi plenam & perpetuā præbendam Monachis Scotis dicti monasterj, eorumq; successoribus in perpetuum tradidit & assignauit, quam deinceps possederunt & percipiunt vsq; in præsentem diem. Macarius Abbas de laude Martyrum elegans volumen scripsit.

Ante Annos 425. *qui fuit* CHRISTI 1140.

S. GVILIELMVS, ex Abbate D. Theodorici, Claraeuallensis Monachus, B. Bernardi auditor atque discipulus, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus & sublimis, fidei propagator acerrimus, inter cætera scripturarum monimenta, Speculi atque Sententiarum fidei volumina confecit. Doctissimos de Sacramento Altaris Commentarios absoluit. Ænigma fidei composuit. In Epistolam præterea Pauli ad Romanos, & Cantica Canticorum expositiones scripsit. Vitam quoque S. Bernardi præceptoris posteritati consecrare cœpit, sed morte præuentus non perfecit. Ante Bernardum enim cùm vnum de vita ipsius librum complesset moritur, cui Arnoldus Abbas Boneuallis quatuor alios adiecit libros.

Ante Annos 423. *qui fuit* CHRISTI 1142.

GILBERTVS, cognomento Porreta, ex Parisiensi Scholastico Pictauiensis Antistes, natione Gallus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Græco atq; Latino instructus eloquio, Philosophus, Orator & Poëta celebris, Theologus Sacrarum legum exercitatissimus, in Epistolas Pauli omnes libr. xiiij. commentatus est. Expositiones in Psalterium. Euangelium Ioannis. Et Boëthium de Trinitate doctissimas. Sermones verò ad diuersos plures scripsit.

PE-

PETRVS, Abbas Cluniacensis, vir omni literatura doctissimus, adeoque subtilissimus rerum diuinarum interpres, puro Latinoq; sermone contra Heinricianorum & Petrobusianorum sui temporis hæreses, baptismum impugnantes infantium, duo volumina scripsit.

Ante Annos 422. *qui fuit* CHRISTI 1143.

RVPERTVS, Episcopus Linconiensis, natione Anglus, Philosophus, Astronomus, & Rhetor insignis, Theologus profundus, Summā Theologiæ volumine doctissimo perfecit. Libros quoq; Dionysij Areopagitæ Commentarijs illustrauit, aliaque plura scripturarū monimenta quæ eximij eius studij satis magno sunt documento reliquit.

Ante Annos 421. *qui fuit* CHRISTI 1144.

FRVTOLPHVS, S. Michaelis Bambergæ, Benedictinæ professionis Monachus, quod Montis Monachorū Cœnobium vocant, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Euangelium Matthæi tribus voluminibus exposuit.

Ante Annos 420. *qui fuit* CHRISTI 1145.

THEOFRIDVS, S. Vuillibrordi Epternacensis, Benedictinæ professionis, Treuerensis Diœcesios Monachus, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque in sacris scripturis absolutissimus, Poëta grauis & ingeniosus, De consummatione seculi & nouissimo die Commentarios scripsit, aliaq; monumenta plura, & prosa & ligata oratione scripta, diuersas item historias posteritati reliquit. Subducitur ex hac luce iij. Non. April. Anno CHRISTI Mclxxxiij. & veneranda senectute conspicuus in conuentu suo sepelitur.

Ante Annos 419. *qui fuit* CHRISTI 1146.

ANSELMVS, Auelburgensis Episcopus, quod non ignobile oppidum situm est in Marchia ad Auelum, nō procul

cul Albi, vir ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & doctor eloquens, vitas aliquot ſanctorum prolixis voluminibus complexus eſt. Epiſtolas quoque plures ad diuerſos ſcripſit.

THIMO, S. Michaelis Bambergæ, Benedictinę profeſsionis Monachus, quod Montis Monachorum Cœnobium vocant, homo certè omnium qui tum fuere doctiſsimus, Poëta grauis, Orator eloquens, neque vlli Theologorum ſecundus, ſub Hermanno Abbate de conceptu virginali volumen, aliaq; plura ſcripturarum monimenta poſteritatis memoriæ conſecrauit.

Ante Annos 418. *qui fuit* CHRISTI 1147.

S. BERNHARDVS, Abbas Clareuallenſis primus, ex Caſtilione Burgundiæ generoſa ſtirpe, patre vrbis Defontanis prope Diuionem equite aurato, matre verò Montiſbartorum filia natus. Annum attingens xxij. ſub Abbate Stephano, qui tertius fuerat ab inchoato Ciſtertienſi Monſterio, vnà cum triginta ſocijs Monachi habitum ſuſcipiens, tanti precij ob doctrinam & ſanctitatem eſt habitus, vt breui Abbas Clareuallenſis monaſterij, tum primùm Roberti viri illuſtris impenſa ædificati, creatus ſit, cui certè loco cum maxima gloria ad Annos ſex & triginta præfuit. Omnibus hominibus gratus hic extitit. Eugenium iij. Romanos declinantem benignè ſuſcepit. Concilio apud Clareuallũ celebrato, pro recuperanda terra ſancta Apoſtolicus legatus decernitur ad Europę Principes, vt crucem in Saracenos CHRISTI vexillũ ſumerent. Conradus itaq; iij. Cæſar Spiræ à D. Bernardo cruce ſignatus vnà cũ Ludouico Francorũ, Alphonſo Hiſpaniarũ atq; Henrico Angliæ Regibus ac alijs pleriſq; Principibus, magna comparata manu è Spira Nemetũ vrbe Syriam ingreditur. Sumptis demum in deditionem Hieroſolymis Conradus Cæſar ab Emanuel ij. Græcorum Imperatore precibus compellitur, nullo comparato commeatu, cruce ſignatorum exercitum, Iconium ſtatim ducere: ſe enim præſtaturum omnia quæ neceſſaria forent. Obſeſſa eſt vrbs natura & artificio munita aliquandiu atq; acriter. Verùm ſceleſtus Imperator cum Græco vſus ingenio, gypſum farinæ miſcuiſſet, ex eaq; re panis fieret, quo exercitus Chriſtianorum aleretur, tot ſtatim milites

periere, vt re infecta, discedere coacti fuerint. Hinc Epistolam vsque nunc extantem, Clero populoq; Spirensi intestinis malis laborantibus Bernardus inscripsit, in qua ad mutuam pacem ciuesq; ad crucem suscipiendam exhortatur. Germaniá peragrans multis vbique signis & miraculis clarus effulsit. In Diæcesi namque Constantiensi vna die cæcos vndecim illuminauit, mancos decem, & claudos octodecim restitutis ambulanti viribus sanauit. Basileæ oblata fœmina muta orante eo loqui cœpit, Cæcum ibidem illuminauit & claudo restituit gressum. Componendi fœderis causa inter Innocentium ij. & Conradum Regem cùm venisset omni clero populoq; obuiam procedente suscipitur atque (vt Apostolicum legatum decet) ad summam deducitur Ecclesiam. In hac vir Beatus genibus flexis Diuam Parthenicen Patronam salutando Antiphonam inchoat Salue Regina misericordiæ &c. qua continuata adijcit clausulas has: O clemens, O pia, O dulcis MARIA. His verbis prolatis vox ab imagine erumpens, Bernardum DEO cunctisq; hominibus gratum aduentasse indicat, omnibus qui aderant audientibus. Perculsus hac voce Bernardus, admirando imagini interdicit, Mulieres in Ecclesia tacere debere. Subinde in eadem Ecclesia cæco visum binisque claudis ex materno vtero gressus restituit præsente Conrado Rege. Tum temporis erat tantus populi concursus ad D. Bernardum venerandum, vt Imperator ne populus eum conculcaret manibus suis illum ex Summo templo Spirensium exportarit. Extant adhuc circuli in pauimento Maioris Ecclesiæ tres, quo Sanctus DEI vir prostratus, virginem MARIAM salutando adorauit. In cuius laudem tale canitur Hipercathalecticum.

Nardus in Spira spirauit,
Sensit hoc virginea,
Stans imago salutauit
Hunc voce fœminea:
O quàm læte tunc gustauit
Cælesti de vinea.

Inde nauigio deuectus in oppido Bingionum S. Hildegardim deuotis præsidentem virginibus sanctam CHRISTI sponsam visitat & cōsolatur. In Bopardia paralyticum sanat, Treueris tres

cæcos,

cæcos, claudum vnum & surdã mulierem curat. Coloniæ duodecim claudos, mancos duos, cæcos quinq; & surdos decem curat, ac tribus mutis loquelam restituit. Aquisgrani porrò dum in famosissimo atque totius Rom. Imperij nobilissimo Sacello tremendum & impollutum vitaleq; sacramentum DEO creatori offerret, claudo homini gressum & cæcis quatuor visum reddidit. Patrauit & diuersis in locis alia plura miracula, quæ hîc recensere longum esset. Moriens deinde Bernardus xiij. Calend. Sept. Anno CHRISTI Mcliij. Ætatis verò lxiij. Friderico j. Barbarossa Imp. Augusto præter sanctitatem, multa quoque scriptis ingenij sui monimenta reliquit: maximè verò Commentarios in Cantica Canticorum. In Psalmum Qui habitat. Super Magnificat. Considerationes diuinæ contemplationis ad Eugenium Pontificem, vnde pontificij muneris ratio duceretur. De contemptu Mundi ad Clericos. De gratia & libero arbitrio ad Vuillermum Abbatem S. Theodorici. Vitas aliquot sanctorum. Speculum vitæ religiosæ. De scala claustrali. De cõscientia. De ordine vitæ. De duobus oculis animæ. De miseria huius vitæ. De tentationibus & ocio. De gradibus charitatis. De passione Domini. De diligendo DEO ad Haymericum. De præcepto & dispensatione ad Abbatem Collobensem. De gradibus humilitatis ad Godefridum. De vita solitaria ad fratres de mõte DEI. Scripsit & varias Epistolas, vnam potissimum ad Romanos, qua eos vehementer carpit: scripsit & Apologeticum, & Sermones in solennibus habitos.

Ante Annos 417. qui fuit CHRISTI 1148.

TVNDALVS Hybernus, Cassellensis, Carthusianus Monachus, vir tam diuinis quàm secularibus literis eruditus, Poëta atq; Orator perfectissimus, Theologus verò consumatissimus, apparitionum suarum volumen scripsit.

Ante Annos 416. qui fuit CHRISTI 1149.

HEROLDVS, ex Hirsaugiensi Spirensis Diæcesios, S. Michaëlis, quod Montis monachorũ Cœnobium vocant Bambergæ, Benedictinæ professionis Monachus, vir tam diuina q̃ profana literatura doctissimus, sacræ paginæ Doctor eximius, Poëta grauis, Orator verò oibus ijs artibus q̃ sunt homine libero

dignæ perpolitus, Helmerico Abbate de laude Martyrum & elegantes & doctos Commentarios scripsit.

Ante Annos 414. qui fuit CHRISTI 1151.

S. HILDEGARDIS, B. Ruperti Confessoris in oppido Bingensi, ex altera parte Nabi fluminis Moguntinæ Diœcesios Abbatissa, in villa Bickelnhaim patre Hildeberto nobili præfecto militum Curię Comitis Meginhardi à Spanheim, matre verò Mechtilde nata, virgo Germana, B. Guttæ quondam discipula, Spiritu quodam imbuta prophetico, multa prædixit de futuris. Hanc Epistolis suis dignatus est D. Bernardus Scripserunt ad eam persæpe Eugenius iij. Anastasius iiij. Adrianus iiij. item Alexander iij. Pontifices: vt eam ad scribendum inuitarent: atq; per eam DEO Ecclesiam cõmendarent: in ea, quod munus haud sæpe mortalibus contingit, doctrina, eloquentia, & vitæ ac morũ sanctitas optimè congruerunt: his tot tantisq; dotibus prædita cùm à contemplandis cœlestibus rebus non desineret: super Benedicti disciplina multa scripsit. Triginta theologicas quæstiones eruditissimè absoluit. Virorum virtute excellentium vitas permultas scripsit. Item de Altaris Sacramento. Homilias in Euangelijs quinquaginta: præterea in medendi arte, quæ simplicia & quæ composita tollendis ægritudinibus prosint facundè prosecuta est. Item Epistolas ac carmina permulta: in quibus stili dignitas atque eruditio plurimum enituerunt. Quæ omnia, adeo in ea excelluerunt: vt cùm in Treuerensi Concilio, quæ ad Christianam disciplinam pertinent Eugenio iij. lecta fuissent: Apostolicæ authoritatis testimonio comprobarentur, mouerentque Conradum iij. & Fridericum j. Cæsares: vt ad eam reuerenter scriberent: atque per eam DEO imperium commendari peterent. In omnibus opusculis suis Catholica doctrina relucet, quæ vel fidem confirmet, vel instruat mores, nec quicquam dixit aut scripsit vnquam, quod in dubium possit vocari. Et cùm Latini sermonis esset ignara, tamen reuelante spiritu DEI omnia Latinè & congruè dictauit, notarijs excipientibus. Vidimus multas Epistolas Moguntinensis, Treuerensis, Bremensis, Salisburgensis, Hierosolymitani, Magdeburgensis Archipræsulum, Bambergensis, Spirensis, Vvormatiensis, Constantiensis,

tiensis, Virdunensis, Leodiensis, Traiectensis, Pragensis Antistitum. Clareuallensis, Eboracensis, Keishaimensis, Hirsaugiensis, S. Hemerani Ratisponensis, Monacēsis, Mariæ ad Martyres, Treuerensis, S. Mathiæ Treuerensis, Campidonensis, Elwangensis, Maulbrunnensis, Montis Monachorum Bambergensis, Coloniensis Abbatum: & Præpositorum S. Victoris Moguntinensis, S. Castoris in Confluentia, S. Andreæ in Colonia, Erfordensis, Summi templi Moguntniensis, Cathedralis Basilicæ Spirensis, S. Symeonis Treuerensis, Imperialis templi Treuerensis, Maioris Ecclesiæ Coloniensis, Bonnensis, & aliorum penè innumerabilium, qui ex diuersis mundi regionibus fama sanctitatis & reuelationum eius prouocati, se scriptis commendabant orationibus ipsius, & diuersarum quæstionum solutiones quærebant. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mclxxx, Decimoquinto calend. Octobr. Ætatis suæ lxxxij. sepulta in medio choro Conuentus sui ante maius Altare.

Ante Annos 413. qui fuit CHRISTI 1152.

OTTHO filius S. Leopoldi, frater Henrici Ducis Austriæ, nepos Friderici I. Barbarossæ Imperatoris, Episcopus Frisingensis in Bauaria, natione Germanus, in bonis disciplinis à pueritia educatus, cùm Parisiense Gymnasium adijsset pro bonis capessendis literis, post primi Præpositi obitum in Cœnobio Nouiburgi à patre fundati, designatus Præpositus, multas ex Francia attulit Sanctorum reliquias, reuersusq; in Franciam pro maioribus assequendis disciplinis, in Burgundiam concesit: & Cœnobium Morimundi ingressus, ordinis Cistertiensis, sanctam fratrum conuersationem, & arcam supremæ Philosophiæ sectatus, breui ad Episcopatum Frisingensem electus, quàm fœlicissimè administrauit: alienata enim recuperauit, collapsa restituit, ac veluti vigilantissimus pastor omnia in meliorem partem instaurauit. Cum Imperatore Chunrado, fratre ex genitrice Agnete, terram sanctam visurus, & vestigia Seruatoris nostri adoraturus adijt. Reuersus autem, Chronicon, lectu non indignum, ab origine mundi, vsque ad Conradi III. Imperatoris exitum, & Annum CHRISTI Mcl. libris septem complexus est. Nam octauus liber non histoiam Imp. sed disputationem de Antichristo, de re-

 surrectione

resurrectione mortuorum, de extremo iudicio, & fine mundi continet. In duobus libris, quorum titulus est: De gestis Friderici Ænobarbi Cæsaris Augusti, orditur historiam ab Henrici IIII. proaui Frid. Ænob. Anno xxiiij. qui fuit à nato CHRISTO Mlxxx. Ac priore libro Henrici IIII. Lotharij, & Conradi III. historiam delibat. Posteriore demum, res à Friderico Barbarossa, primo Imperij quinquennio gestas recitat. Quas Radeuuicus Frisingensis Ecclesiæ Canonicus vsq; ad Annũ CHRISTI Mclx. duobus alijs libris perduxit. Cùm Fridericus Imperator Italiam peteret, consilij gratia, vt secum iret, rogauit: forte vt se cum Romano Pont. Maximo, cum quo dissidebat, componeret: sed seniũ causatus, ad Concilium Cistertiense, quod Morimundi agebatur, se potius contulit, vbi morbo & senecta oppressus, mortem oppetijt sanctissimè ac religiosissimè, postquam de æterna vita longa oratione habita, non sine astantium fratrum lachrymis multa locutus, illic honorificè sepultus, Anno à nato IESV Mclviij. Friderico I. Imperatore Augusto.

Ante Annos 412. *qui fuit CHRISTI* 1153.

PETRVS Blesensis, Archidiaconus Barchonensis, Ioannis Carnotensium Præsulis amicus atque familiaris, Græca & Latina lingua doctissimus, Oratorum facundissimus, sacrarumque legum exercitatissimus, inter cætera scripturarum monimenta, De amicitia Christiana. De pœnitentia salutari. De qualitate pœnitentiæ libros. Alios item de studio sapientiæ. De officio Episcopi posteritatis memoriæ dicauit. Epistolas quoque plures ad diuersos, Ecclesiæ DEI plurimum profuturas scripsit.

S. ERNESTVS, ex Hirsaugiensi Spirensis Diœcesios monacho, Zwifaltensis Benedictinæ professionis Abbas, magna vir fama, sanctitatis pariter & doctrinæ, Philosophus, Rhetor atq; Poëta, sacræ paginæ Doctor eximius, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, de laude Martyrum insigne volumen scripsit, Anno Domini Mclviij. à Rom. Pontifice ad seminandum DEI verbum Hierosolymam, & ad alia Palæstinæ loca missus, ob constantiam in asseuerenda & docenda CHRISTI doctrina martyrio illic coronatus, Antiochiæ sepultus est.

Ante Annos 411 qui fuit CHRISTI 1154.

HADRIANVS IIII. Dominus Nicolaus antea vocatus, apud Anglos, villa Malniesbiria, ditionis oppidi S. Albani, Bathoniensis Diœcesis, obscurissimis parentibus ortus est. Qui primò fuit Clericus Ecclesiæ S. Iacobi de Melgorio Magalonensis Diœcesis in Gallijs, mox Canonicus regularis, deinde Abbas Monasterij S. Rufi prope Valentiam Prouinciæ vrbem, prouinciæ Arelatensis, in Gallijs, postea ab Eugenio Papa III. Episcopus Cardinalis Albanus creatus in Noruegiam Apostolicæ sedis legatus missus est ad prædicandum CHRISTI fidem Barbaris gentibus. Cùm autem ex legatione sua, rebus, pro quibus ierat, prosperè confectis, circa obitum Anastasij Papæ IIII. Romam redijsset, statim eo mortuo iij Non. Decemb. Anni Mcliiij. omnium Cardinalium consensu Romanus Pontifex renunciatus, sedit Ann. iiij. M. viij. D. xxviij. Ab ineunte ætate ita erat educatus & eruditus disciplina Ecclesiastica, vt dignus esset qui cæteris anteferretur, vir castus, integer, pudicus, facundus, doctorum virorum ita amator, vt eos vndequaq; ad se præmijs allice-ret, eorumq; consuetudine mirum in modum delectaretur. De conceptione B. MARIÆ semper virginis doctissima duo volumina scripsit. Decretales verò Epistolas plures ædidit. Obijt Anagniæ calend. Septembr. Anno Saluatoris Mclix. nam cùm musca os eius inuolasset, nec medicorum ope eximi poterat, præcluso spiritu suffocatus perijt, sepultus Romæ in basilica S. Petri.

S. RICHARDVS de S. Victore, Canonicus & Doctor Parisiensis, natione Scotus, Philosophus, Rhetor, Poëta atque Theologus suæ ætatis clarissimus, diuinus certè vir, atque in monastica disciplina exercitatus, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis doctissimus, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, religioni Christianæ ac diuino honori consulens, ita vixit, vt vsque ad tempora nostra vix parem habuerit, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel doctrina & scriptis, de sancta Trinitate libros composuit. Alios rursus de contemplatione. De xij. Patriarchis vel de minori contemplatione librum absoluit. In arcam mysti-

cam

cam libros v. De authoritate Petri volumen. Aliud de officijs Ecclesiæ. Libros itidem de visione Nabuchodonosor & quos de xlij. mansionibus inscripsit. De Sacerdotio Melchisedech Commẽtarios perfecit, & superexcellenti baptismo CHRISTI grauiter & copiose scripsit. Lucubrationes porrò in Cãtica Canticorum, in Danielem Prophetam & Apocalypsin Ioannis composuit. Epitomen verò totius Bibliæ insigni volumine complexus est. Rerum gestarum historiam ab exordio mundi vsque ad sua tempora deduxit. Sermones quoque non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 410. *qui fuit* CHRISTI 1155.

PETRVS, Presbyter Ecclesiæ Trecensis, cognomento Comestor siue Manducator, natione Gallus, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, Historiam vtriusque Testamenti quam Scholasticam vocant, ad Guilielmum Senonensem Archipræsulem scripsit. Laudes B. MARIÆ virginis ex scripturæ sententia non carnis affectu perfecit. Sermones verò plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus absoluit.

Ante Annos 409. *qui fuit* CHRISTI 1156.

S. ELISABETH Schonaugiensis, Benedictinæ professionis, Treuerensis Diœcesios in Saxonia Abbatissa, soror Eckberti Abbatis, virgo sanctissimæ conuersationis, spiritu quodam imbuta prophetico multa prædixit de futuris, scripsitq; aliquot Catholicæ doctrinæ libros. Cùm religionem magno cultu amplecteretur, cœlitus meruit scripturæ sacræ Bibliorumque sensum percipere, diuinis informata reuelationibus, viarũ DEI pulchrum & necessarium opus, in quo plures continentur sermones de via contemplatiuorum, actiuorum, Martyrum, Coniugatorum & Continentium absoluit. Aliud rursus de historia, origine, inuentione & nominibus vndecim millium virginum volumen, angelica visione manifestatum perfecit. Diuersarum

quoq;

quoq; reuelationum in varijs materijs caufis & propofitionibus tres libros capitula cxliiij. continentes compofuit. Suaforias orationes ad fui conuentus forores, ac fimul eruditifsimarum Epiftolarum volumen edidit. Interrogatis poftremò S. Hildegardis Epiftola prolixa refpondit, quam fubijcere libuit, quæ talis eft:

Dominæ Hildegardi venerabile Magiftræ Sponfarum CHRISTI, quæ funt apud Bingiam, Elifabeth humilis monacha & magiftra fororum quæ in Schonaugia funt, deuotas cum omni dilectione orationes.

Gratia & confolatio altifsimi repleat vos gaudio, quia meæ perturbationi benignè compaffa èftis, ficut ex verbis confolatoris mei intellexi, quem de mei confolatione diligenter cōmunuiftis. Sicut enim vobis de me reuelatum fuiffe dixiftis, fatear verè quandam perturbationis nubem me nuper in animo concepiffe, propter ineptos fermones populi multa loquentis de me quæ vera non funt. Sed vulgi fermones facilè fuftinerem, fi non & hi qui in habitu religionis ambulabant, fpiritum meum acerbius contriftarent. Nam & hi, nefcio quibus ftimulis agitati gratiam DEI in me derident: & de his quæ ignorant, temerè iudicare non formidant. Audio & quofdam literas de fuo fpiritu fcriptas fub meo nomine circumferre, de iudicij die me propheta ffe diffamantes: quod certè nunquam facere præfumpfi, cùm omnium mortalium cognitionem effugiat eius aduentus. Sed huius famæ occafionem vobis aperiam, vt iudicetis vtrum præfumptuofè quicquā in hac re fecerim aut dixerim: ficut per alios audiftis, magnificauit Dominus mifericordiam fuam mecum, fupra quàm meruerim, aut mereri vllatenus pofsim: in tantum, vt cœleftia quædam mihi Sacramenta frequenter reuelare dignatus fit. Significauit etiam mihi per Angelum fuum frequenter, qualia ventura effent fuper populum fuum in his diebus, nifi pœnitentiam agerent de iniquitatibus fuis, atque vt palàm hæc annunciarem, præcepit. Ego autem vt arrogantiam euitarem, nec auctrix nouitatum viderer, in quātum potui, omnia hæc ftu-

dui occultare. Cùm igitur solito more quadam Dominica die essem in mẽtis excessu, astitit mihi Angelus Domini dicens: Quare abscondis aurum in luto, hoc est, verbum DEI quod per os tuũ missum est in terram, propter facies distortas? non vt abscondatur, sed vt manifestetur ad laudem & gloriam Domini nostri, & saluationem populi sui. Et hoc dicto, eleuauit super me flagellũ, quod quasi in ira magna quinquies mihi inflixit amarissimè, ita vt per triduum in toto corpore meo ex illa percussione languerem. Post hæc apposuit digitum ori meo dicens: Eris tacens vsq; ad horam nonam, quando manifestabis ea, quæ operatus est Dominus tecum. Ego igitur vsq; ad horam nonam muta permansi. Tunc significaui magistræ, vt adferret ad me libellum quendam, quem in stratu meo absconderam, continentem ex parte ea quæ fecerat Dominus mecum. Quem cùm offerrem in manus Domini Abbatis Hildelini, qui ad visitandum me venerat, soluta est lingua mea in hæc verba: Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Posthæc cùm & alia quædã ipsi reuelassem, quæ scriptis committere nolueram, videlicet de vindicta Domini magna, quam vniuerso mundo in breui superuenturam ab Angelo didiceram, rogaui illum diligentissimè, vt verbum illud apud se haberet absconditum. Præcepit autem mihi ipse Dominus Abbas, vt operam darem orationi, atq; à Domino postularem quatenus daret mihi intelligere, vtrùm ea quæ dixeram, silentio tegi vellet, an non. Cumque per aliquod tempus pro hac re orationi insistendo me afflixissem, in aduentu Domini, in festiuitate S. Barbaræ in prima vigilia noctis corrui in ectasin, & astitit mihi Angelus Domini dicens: Clama fortiter, & dic heu ad omnes gentes, quia totus mundus in tenebras est conuersus. Et dices: Exite, ille vos vocauit, qui de terra vos formauit, & dicit pœnitentiam agite, quia prope est regnum. Hoc igitur sermone inductus Dominus Abbas cœpit diuulgare verbum coram magistratibus Ecclesiæ & viris religiosis. Quorum quidam cum reuerentia exceperunt verbum, quidam verò non sic, sed sinistrè de Angelo qui familiaris mihi est, locuti sunt, dicentes eum esse illusorem spiritum, & in Angelum lucis transfiguratum. Vnde & ipse Dominus Abbas per obedientiam me constrinxit, præcipiens, vt cùm mihi rursus appareret, per nomen

Domini

Domini illum adiurarem, quatenus indicaret mihi, vtrum verus D E I Angelus, an non. Ego autem presumptuosum id estimans, cum timore magno præceptum hoc suscepi. Quadam igitur die cùm essem in excessu meo, solito more se mihi obtulit, & stetit in conspectu meo. Et dixi tremens ad eum, Adiuro te per D E V M patrem & filium & Spiritum sanctum, vt rectè dicas mihi, si verus D E I Angelus sis, & si verę sint visiones quas vidi in excessu meo, & ea quæ ex ore tuo audiui. Respondit ac dixit: Scias pro certo, quia verus Angelus D E I sum, & veræ sunt visiones quas vidisti, & quæ de ore meo audisti vera sunt, & verè fient, nisi reconcilietur hominibus D E V S, & ego ipse sum, qui diu laboraui tecum. Post hæc in vigilia Epiphaniæ dum orarem, rursus apparuit mihi Dominus meus, sed procul à me stans, & faciem habens auersam à me. Ego autem indignationem eius intelligens, dixi illi cum timore, Domine mi, si molesta fui tibi in eo quòd adiuraui te, ne quæso imputes mihi, conuerte obsecro faciem tuam ad me, & esto mihi placabilis, quia constricta per obedientiam feci, neque ausa fui transgredi mandatum præceptoris mei. Cumque in huiusmodi verbis multas lachrymas profudissem, conuersus est ad me dicens: Contemptum mihi fecisti & fratribus meis, quia diffidentiam habuisti ad me. Vnde pro certo noueris, quia vltrò non videbis faciem meam, neque vocem meam audies, nisi placatus fuerit Dominus & nos. Et dixi, Domine mi, quomodo placari poteritis? Et ait: Dices Abbati tuo, vt in memoriam mei & fratrum meorum celebret diuinum officium deuotè. Cùm ergo non semel, sed pluribus vicibus, tam à Domino Abbate quàm à reliquis fratribus Missarum solennia ad honorem sanctorum Angelorum celebrata fuissent, simulque sorores Psalmorum lectionibus eos honorassent, rursus apparuit mihi Dominus meus placido vultu, dixitque ad me: Scio quoniam in charitate & obedientia factum est quod fecisti, idcirco veniam consecuta es, & de cætero frequentius te visitabo quàm hactenus. Post hæc cùm Dominus Abbas ire disponeret in locum quendam, rogatu clericorum illic manentium, vt prædicaret verbum comminationis Domini in populo, si fortè pœnitentiam agerent, & auerteretur ira D E I ab illis, primùm aggressus est deprecari Dominum vnà cum omnibus

 nobis,

nobis, vt nobis reuelare dignaretur ancillæ suæ, vtrum sermonem qui iam manifestus esse cœperat, amplius diuulgari oporteat, an non. Ipse igitur diuina mysteria celebrante, & nobis deuotissimè orantibus subitò dissolutæ sunt compages membrorum meorum, & elangui, & veni in mentis excessum. Et ecce Angelus Domini stetit in conspectu meo, & dixi ad eum: Memento mi Domine, quòd dixeris ancillæ tuæ, verbum DEI per os meum missum in terram, non vt abscondatur, sed vt manifestetur, ad gloriam DEI & saluationem populi eius. Et nunc indica mihi, quid oporteat fieri de verbo illo comminationis quod locutus es ad me. Nunquid iam satis manifestum factum est, an adhuc amplius prædicandum? At ille seuero aspectu me intuens, ait: Noli tentare DEVM: qui enim tentant illum, peribunt. Et dices ad Abbatem: Noli timere, sed perfice quod cœpisti. Verè beati sunt qui audiunt verba exhortationis tuæ, & seruant ea, & non fuerint scandalizati in te. Hoc autem illi suggeras, vt eam formam quam hactenus in prædicatione habuit, non immutet. In hoc enim consiliarius illius ego fui. Dicito illi, vt nequaquam attendat verba eorum, qui ex inuidia dubiè loquuntur, de his quæ dicta sunt in te, sed attendat quod scriptum est: Quia nihil impossibile apud DEVM. Hoc igitur sermone animatus, locum quem adire disposuerat, adijt: & populum qui eius aduentum præstolatus fuerat, ad pœnitentiam exhortatus est, annuncians iram DEI cunctis superuenturam, nisi pœnitentiæ fructibus eam præuenire studerent. Quales autem plagæ mundo imminerent, nequaquam veluti diffamatus est, in aliqua prædicatione sua enarrauit. Factum est igitur, vt multi apud quos sermo iste diffamatus est, per totum tempus quadragesimale in timore magno per pœnitentiam sese affligerent, eleemosynisque & orationibus studiosè insisterent. In tempore illo quidam (nescio quo zelo ductus) ad vrbem Coloniam in persona Domini Abbatis, ipso ignorante, DEVS nouit, literas direxit, in quibus terribiles quædam comminationes audiente omni populo lectæ sunt. Vnde quanquam ab insipientibus nobis illusum sit, prudentes tamen (vt audiuimus) reuerenter sermonem animaduerterunt, & pœnitentiæ fructibus DEVM honorare non contempserunt. Factum est autem in quarta feria

ante diem Paschæ, cùm post magnos labores corporis in ecstasin venissem, apparuit mihi angelus Domini, & dixi ad eum: Domine quid fiet de verbo quod locutus es ad me? Qui respondit: Noli contristari, neq; perturberis, si non in die quem determinaui tibi, euenerint quæ prædixi, quorum multorum satisfactione placatus est Dominus. Post hæc in sexta feria, post horam tertiã cum graui passione veni in excessum mentis, & rursus astitit mihi, dicens: vidit Dominus afflictionem populi sui, & auertit iram indignationis suæ ab eis. Cui dixi: Quid ergo Domine mi? Nonne ero in derisionem omnibus, apud quos hoc verbum diuulgatum est? Qui ait: Omnia quæ occasione hac euenerint tibi, patienter & beneuolè sustineto, illum diligenter aduertens, qui cùm esset totius Orbis creator, hominum irrisiones sustinuit. Nunc primùm patientiam tuam Dominus probat. Ecce Domina mea, totum ordinem rei vobis explicaui, quatenus et vos innocentiam meam & Abbatis nostri cognoscatis, & alijs manifestare possitis. Obsecro autem, vt & orationum vestrarum participem me faciatis, & prout spiritus Domini vobis suggesserit, aliqua mihi cõsolatoria verba rescribatis. Gratia Domini nostri IESV CHRISTI vobiscum sit Amen.

Obijt xiiij. Calend. Iul. Anno Saluatoris CHRISTI Mclxi. Ætatis xxxvj. in basilica Monasterij S. Florini in medio Chori ad Aquilonem sepulta.

CONRADVS Dux Dalmatiæ, Comes in Dachaw, qui salutiferæ crucis, sacrosanctiq; ligni magnam partem ab Heraclito Patriarcha Hierosolymitano impetrauit: quod sacrosanctum nunus Cœnobio Schirensi tradidit: & quidem eo omine, vti quicunque pressus inopia, valetudinéue aduersa Solymos proficisci nequiuerit, non minorem veniam, quàm si illuc iuisset, consequeretur. Si quidem donaria, pro sua pietate elargitus fuerit. Coueniunt in Cœnobio Schirensi, religionis ergo certatim singularum septimanarum sexto die populus ac Sacerdotes complures. Fama denique constantissima manet, sicuti graues viri testantur, quicunque hanc sacrosanctæ crucis partem, dũ ei monstratur, conspicatus non fuerit, aut crimini flagitioso obnoxium esse, aut eodem anno procul dubio moriturum, id quod probatum non semel esse, sunt qui dicant. Extant adhuc istæ re-

liquiæ, atque diligenter ſeruantur. Cunradus princeps ingenioſus, grauis & ornatus moribus numinis reuerentiſsimus, liberalibus ſtudijs ſacriſque diſciplinis deditus, priſcę ſanctitatis æmulus, de laudibus ſanctæ Crucis doctiſsimos Commentarios, Friderico j. Barbaroſſa imp. Cæſ. Auguſto, ſcripſit. In conflictu apud Mediolanū in Italia cæſus, Schyram delatus eſt, in ambitu eiuſdem baſilicæ conditus.

Ante Annos 408. *qui fuit* CHRISTI 1157.

S. LVCAS, D. Cornelij Benedictinæ profeſsionis Abbas, vir vndecunque doctiſsimus, vitæ & morum conuerſatione clarus, Philoſophus inſignis, Poëta grauis, nec vlli Theologorum ſecundus, ad Milonem Taruanenſis Epiſcopum Eccleſiæ, virum æquè doctiſsimum, in Cantica Canticorum Salomonis, cùm vtiles tum neceſſarios ſcripſit libros. Sermones quoq; plures ad diuerſos dedit.

S. ENGELBERTVS, Admontenſis Benedictinæ profeſsionis Abbas, Germanus, vir doctrina, moribus & vitæ ſanctitate nemini ſecundus, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, Theologorum ſubtiliſſimus, De vitijs & virtutibus ex ſanctorum Patrum Commentarijs præcepta collegit. De articulis fidei opus. De paſsione Domini ac myſterio crucis. De corpore CHRISTI. De gratia ſaluationis ac iuſtitia damnationis. De libero arbitrio. De ſummo hominis bono. De prouidentia Dei. De miraculis CHRISTI & ſtatu defunctorum libros abſoluit. Sermones verò ad populum habitos plures eleganter ſcripſit.

Ante Annos 407. *qui fuit* CHRISTI 1158.

HVGO Eterianus, Leonis Tuſci Præceptor, natione Tuſcus, vir admiratione omnium digniſsimus, Græco atque Latino inſtructus eloquio, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, Oratorum facundiſsimus, quem tota Græcia mirabatur ſcribentem, ob vitę continentiam & ſacrarum literarum peritiam toto orbe clarus, ad Ardoinum Cardinalem de hæreſibus quos in Latinos Græci deuoluunt opuſcula. De Spiritus ſancti proceſsione libros. De anima corpore iam exuta, ſiue de regreſſu animarum

rum ab inferis volumen. Et de immortali DEO Commentarium scripsit.

Ante Annos 406. qui fuit CHRISTI 1159.

ALEXANDER III. Dominus Rollandus antea vocatus, Rainucij filius, familia Paparona, Senis nobili & honorata ortus. Hic primò fuit Clericus in Ecclesia Pisana, eo tempore quo Eugenius Papa iij. Vicedominus erat illius Ecclesiæ, mox Romam veniens, Canonicusq; regularis Lateranensis factus, ab eodem Eugenio iam in Romanum Pontificem creato Diaconus Cardinalis sanctorum Cosmæ & Damiani primò, postea Presbyter Cardinalis S. Marci, & S. R. E. Cancellarius factus fuit. Mortuo verò Hadriano Papa iiij. Romæ Nonis Septembris Anni Mclix. Romanus Pontifex in schismate contra Victorem Papam iiij. à xxiij. Cardinalibus renunciatus, xij. Calend Octobris consecratus est, sedit in Apostolica sede Annos xxj. M. xj. & D. xxiij. Alexander à Cæsare Roma pulsus, Fridericum excommunicauit: tandem præsidio Venetorum potitus, pax sancita est, Romamque rediјt. Conradum Ducem de Stouphen ex Archiepiscopo Moguntiñ. & Salisburgeñ., Episcopum Cardinalem Sabinum creauit. Concilium in Laterano concelebrauit: tum vt mores curiæ iam nimia licentia labefactatos cōponeret, tum vel maximè, vt decerneretur sub anathematis pœna, ne quis ferrum, ligna, armáue infidelibus & à religione nostra alienis importaret. Vir mansuetudine & religione plenus, integrè ac modestè vitam duxit, ac rei diuinæ consulens, quantū illa tempora in tam corruptis moribus patiebantur, De potestate Ecclesiastica doctissimos libros scripsit. Obijt vj. Calend. Septembr. Anno Mclxxxj. sepultus Romæ in basilica Lateranensi.

GANFREDVS, Antisiodorensis, Monachus Cistertiensis, S. Bernardi auditor quondam atque discipulus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Poëta grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, contra Petrum Abelardum Præceptorem suū insigne volumen scripsit. Ioannis Apocalypsin cùm doctè tum eleganter exposuit. Epistolas verò plures ad diuersos dedit.

Ante

Ante Annos 405. qui fuit CHRISTI 1160.

RICHARDVS, Cluniacensis Benedictinæ professionis Monachus, natione Gallus, patria Parisiensis, insigni spectataq; virtute præditus vir, Historicus celeberrimus, multarũq; literarum & rerum peritissimus, suorum temporum inprimis autem Ecclesiæ historias satis eleganti stylo & oratione scripsit.

Ante Annos 404. qui fuit CHRISTI 1161.

S. ARNOLDVS Boneuallis Abbas, Ordinis Cistertiensis, D. Bernardi auditor quondam atque discipulus, sanctissimæ vitæ & imcomparabilis doctrinæ vir, Oratorum suæ ætatis facundissimus, Historicus celeberrimus, Theologus verò sacrarum legum exercitatissimus, S. Bernardi præceptoris vitam quatuor voluminibus doctissimè perfecit.

Ante Annos 402. qui fuit CHRISTI 1163.

S. ECKEBERTVS, ex Bonnensi ad Rhenum fluuium Canonico, S. Florini Benedictinæ professionis, Treuerensis Diœcesios Abbas, frater D. Elisabeth Schonaugiẽsis Abbatissæ, Germanus, Apostolicæ vitæ vir, arcana atq; mystica diuinarum scripurarum interpretatione sublimis, non tam ob generis nobilitatem, quàm eruditionem & vitæ sanctitatem clarus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, vt qui Coloniæ aduersus Cataphrigorum Arnoldi, Marsilij & Theodorici, licet essent acutissimi phalanges, fortiter rem gessit, & contra prædonum more structas insidias, constanter decertauit, præ cęteris maximè imposturas eorundem & deprehendens & redarguens, qui cùm nullis rationibus, nullis authoritatibus, nullisque admonitionibus induci poterant, vt suo renunciarent errori, sed in proposito pertinacissimè persisterent, Ecclesia exacti, flãmæq; adiudicati, vitam finierunt. Hæreticum præterea quendam Cardensem nomine, de corpore & sanguine Domini malè sentientem, in publico Doctorum conuentu apud Confluentes Mosellæ & Rheni conuicit, & ab errore ad professionem veritatis reuocauit. Cumq; Christianæ religionis studiosissimus esset propagator, inter cætera scripturarum monimenta aduersum hæreses volumen.

lumen. Aliud de vita, conuersatione, reuelationibus & obitu B. sororis suæ Elisabeth absoluit. Expositiones porrò in principium Euangelij Ioannis. Super Magnificat & Missus est Angelus scripsit. Sermones verò plures ad diuersos dedit. Moritur v. Calend. April. Anno Saluatoris CHRISTI Mclxxxv. in Conuentus sui basilica sepultus.

Ante Annos 401. qui fuit CHRISTI 1164.

ALREDVS Rhieuallis, Monachus Cisterciensis, Anglus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, vitam S. Eduardi Anglorum Regis doctissimis Cōmentarijs absoluit. De natura animæ libros confecit. Super onus Babylonis Esaiæ volumen scripsit. Homilias quoque plures ad diuersos dedit.

Ante Annos 400. qui fuit CHRISTI 1165.

IOACHIM, Calabriæ apud Monasterium Floris ab eo conditum Benedictinæ professionis Abbas, vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, qui tanquàm Propheta habitus, à multis etiam futura prædicere consueuerat, De septē sigillis in Apocalypsin volumen confecit. Psalterium decem Chordarum tribus voluminibus absoluit. De xv. Pontificibus Commentarios edidit. De futuris temporibus libros composuit. Lucubrationes porrò in Hieremiam & Danielem Prophetas, in Euangelium & Apocalypsin Ioannis scripsit Aliaque plura ingenij sui monimenta posteritatis memoriæ consecrauit. Tractatus autem, quem contra Petrum Lombardum Episcopum Parisiensem edidit, in Concilio generali damnatus est.

Ante Annos 398. qui fuit CHRISTI 1167.

LEO, natione Tuscus, Imperialium Epistolarum sub Emanuele Græcorum Principe magno interpres, vir suæ ætatis eloquentissimus, Philosophus clarus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Græco atque Latino instructus eloquio, de præuaricationibus Græcorum duo volumina. Aliud item contra errores Græcorum conscripsit.

Ante

Ante Annos 397. qui fuit CHRISTI 1168.

CONRADVS Dux Bauariæ, Comes Palatinus Rheni à Scheyren & Vvittelspach, Comes ab Hohenwart, Bogen, Abensperg, Dachaw & Vvolfratzhausen, ex Archimysta Salisburgensi Sanctæ Mogũtinæ Sedis Archiepiscopus, S.R.E. Cardinalis Sabinus, vir disertissimus, non minus conuersatione quàm eloquentia spectatus, Philosophus, Orator atque Poëta perfectissimus, Historicus celeberrimus, nec vlli Theologorum vt tum tempora ferebant secundus, Chronicon rerum Maguntiacarum fideliter & luculentè descripsit. Cùm in Vngariam ad reformandam inter duos fratres contendentes de regno pacem pertexerat, concordia facta, in vrbe Patauiorum ad Danubium carne solutus, vitæ debitum CHRISTO reddidit vj. Calend. Nouembr. Anno Saluatoris Mccv. Cuius corpus Vvolfherus Patauiensis Episcopus celebratis exequijs, Moguntiacum translatum, in basilicam S. Albani honorificè reposuit.

HELMOLDVS Canonicus Butzouiensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta grauis, Historicus celeberrimus, inter cætera scripturarum monimenta, Historiam conuersæ ad veram CHRISTI religionem gentis Henetæ, seu Slauicæ, ad littus maris Baltici circa Lubecam, & in ditione Ducum Megapolensium, recitat: & à Caroli Magni bellis, quibus in Saxoniam CHRISTI religio propagata est, vsque ad Friderici Barbarossæ tempora & Annum CHRISTI Saluatoris Mclxviij. peruenit, quo Rostochium octennio antè à Pribislao Henetorum Domino ædificari cœptum, vrbis priuilegia primùm accepit.

Ante Annos 396. qui fuit CHRISTI 1169.

ADELPHVS Benedictinæ professionis Abbas, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectissimus, Theologus verò absolutissimus, contra Sarracenos insigne volumen. Sermones rursus ad populum habitos scripsit.

THEO-

THEODORICVS de Dietz, Germanus, Germershaimensis ad Rhenum fluuium, Ludimoderator Collegij S. Guidonis Spiræ, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atq; Poëta celebris, inter cætera scripturarum monimenta vitam S. Guidonis, Bobiensis Abbatis, Sapphico carmine posteritati reliquit.

Ante Annos 390. *qui fuit* CHRISTI 1175.

S. IOANNES, Episcopus Carnotensis, patria Salesberiensis, B. Thomæ Canthuariensis Archiepiscopi auditor quondam atque discipulus, vir doctrina, moribus & vitæ sanctitate clarus, Theologus profundus, Orator eloquens, vitam & passionem D. Thomæ præceptoris, copiosè ac optima fide doctis Commentarijs exposuit.

Ante Annos 389. *qui fuit* CHRISTI 1176.

HENRICVS Plantagenet, secundus eius nominis Anglorum Rex, Princeps ingeniosus, grauis & ornatus moribus, numinis reuerentissimus, liberalibus Studijs sacrisque disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus, ad Hadrianum iiij. Pontificem, D. Bernardum Clareuallensem, Alexandrum iij. Pont. Max. S. Thomam Canthuariensem, Ioannem Carnotensem & Richardum Canthuariensem fidei rationibus permotus, plures scripsit Epistolas.

Ante Annos 388. *qui fuit* CHRISTI 1177.

PETRVS de Riga, Gallus, Remensis Ecclesiæ clericus, homo certè omnium qui tum fuere doctissimus, Poëta grauis, Orator eloquens, nec vlli Theologorum secundus, magnam Bibliæ partem exposuit. Euangelicam historiam doctissimo volumine complexus est. Actus quoque Apostolorum necessarijs commentationibus illustrauit.

Ante Annos 384. *qui fuit* CHRISTI 1181.

CHRISOLANVS, Mediolanensis Ecclesiæ Archimysta, natione Italus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Astronomus perfectus, Poëta grauis, Theologus

ſacrarum legum exercitatiſsimus, Græco & Latino inſtructus eloquio, contra Græcos de Spiritu ſancto doctiſsimos Commentarios. Alios rurſus de ſancta Trinitate ad Lucium iij. Romanorum Pont. Max. ſcripſit.

Ante Annos 381. *qui fuit* CHRISTI 1184.

PANDVLPHVS Piſanus, ſacræ paginę Doctor, S. R. E Subdiaconus, Presbyter Cardinalis Sanctorum xij. Apoſtolorum, vir admiratione omnium digniſsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Hiſtoricus celeberrimus, nec vlli Theologorum ſecundus, Vitas Romanorum Pontificum docto volumine complexus eſt.

Ante Annos 380. *qui fuit* CHRISTI 1185.

GOTEFRIDVS, Presbyter Viterbienſis, Germanus, patria Bambergenſis, Sacris & Scrinijs à Conrado iij. Friderico j. & Henrico vj. Imp. præfectus, ex Bambergenſi ſchola (quæ tum temporis fuit clariſsima) prodiens, ſacris literis inſtructus, Platonica diſciplina imbutus, Philoſophus, Poëta, Hiſtoricus inſignis, atque Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus euaſit, Latinæ, Grææ, Hebrææ, Chaldeæ, multarũ quoq; aliarum linguarum inſtructus eloquio: qui peregrinatione, omni terra, totoq; mari per totos xl. annos exercitatus, omnes omniũ quas vndique adijt gentium Bibliothecas excuſsit: in hoc, vt ipſe teſtatur, incumbens grato animo, vt patriæ, cui hæc omnia debebat, vicem reprehenderet, ſplendoreque ab ipſa recepto illuſtraret. Cùm Chriſtianæ profeſsionis ſtudioſiſsimus eſſet, ad Vrbanum iij. Pont. Max. carmine & ſoluta oratione mixtum opus, de Mundi principio, de vniuerſo veteri & nouo teſtamento, & ætatibus Mundi, temporibus geſtis ac hiſtorijs Rom. Pontificum, quod Pantheon inſcribi voluit, xviij. libris ad Henrici vj. Cæſ. Auguſti tempora deduxit.

BERCHTOLDVS Hochbergerus de Sacro ligno, equeſtri ordine prognatus, Campidonenſis Benedictinæ profeſsionis Abbas, Germanus, vir omni doctrinarum genere celeberrimus, Poëta grauis, & inſignis ſui ſæculi Hiſtoriographus,

riographus, de laude Martyrum insigne volumen scripsit. Moritur v. Augusti, Anno Saluatoris CHRISTI Mccviij.

Ante Annos 378. *qui fuit* CHRISTI 1187.

MAVRITIVS, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor atque professor, Episcopus Parisiensis, vir omnium doctrinarum consumatissimus, trium principalium linguarum, Hebrææ, Græcæ atque Latinæ instructus eloquio, Orator facundus, Poëta grauis & ingeniosus, cùm constanter sacræ Philosophiæ incumberet, De cura animarum ad Presbyteros volumen scripsit. Sermones ad populum habitos plures cùm elegantes tùm doctos composuit.

GILBERTVS Folioth, Anglus, Canonicorum regularium Lecestriensis Abbas, Episcopus Herefordensis atque Londinensis, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, Orator facundus, Poëta grauis, Theologus absolutissimus, vitas aliquot Sanctorum Angliæ doctissimis voluminibus complexus est.

Ante Annos 375. *qui fuit* CHRISTI 1190.

GVILIELMVS, Canthuariensis Benedictinæ professionis monachus, Anglus, doctrina & eloquentia vir clarus, Poëta, Orator atq; Theologus suæ ætatis celeberrimus, vitam, passionem atque miracula S. Thomæ Canthuariensis Archimystæ, tribus voluminibus doctè perfecit. Epistolas quoq; plures ad diuersos conscriptas reliquit.

S. ALBERTVS, Patriarcha Hierosolymitanus, vir fide Catholicus adeoq; sanctissimus, in lege DEI exercitatissimus, sacris verò scripturis doctissimus qui monachis Carmelitanis adhuc in terra sancta degentibus regulam dedit, quam illi iam in Europa constituti per Apostolicam sedem approbatam vbiq; profitentur, ad Innocentium III. Pontificem Max. de terra sancta volumen scripsit. Regulam quoq; Carmelitarum ex Patrum Decretis desumptam composuit.

Ante Annos 373. *qui fuit* CHRISTI 1192.

ADAMVS de S. Victore, Canonicus Parisiensis, Gallus, insigni spectataq; virtute præditus vir, Philosophus insignis, Historicus grauis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, Antiphona & sacra responsa quædam, rursus Missæ quas vocant Sequentias, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probatas receptasq;, posteritati reliquit.

Ante Annos 372. qui fuit CHRISTI 1193.

PETRVS, cantor Parisiensis, & post (vt ferunt) Episcopus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia clarus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, Theologus profundus, Orator eloquens, de Sacramentis libros tres, De miraculis quibusdam volumen scripsit. Rursus distinctionum & quibus verbi abbreuiati atque Grammaticæ Theologorum titulum dedit. Sermones quoque plures cùm doctos tum elegantes posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 368 qui fuit CHRISTI 1197.

EMICHO, Schonaugiensis Benedictinæ professionis, Treuerensis Diœcesios Abbas, Germanus, S. Eckberti auditor quondam atque discipulus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, de laudibus Diuæ virginis Elisabeth Abbatissæ Schonaugiensis doctissimos Commentarios perfecit. Sermones quoque plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 367. qui fuit CHRISTI 1198.

INNOCENTIVS III. Dominus Lotharius antea vocatus, natione Hernicus, patria Anagninus, ex nobilissimo genere Comitum Signiæ ortus, patrem habuit nomine Transimundum, qui ab ineunte ætate Canonicus regularis Lateranensis factus, vir miræ euasit probitatis. Cumq; etiam vir suorum temporum eruditissimus esset, nam ab incunabilis quasi in Parisiensi Gymnasio literis operam nauarat, à Cœlestino III. Diaconus Cardinalis SS. Sergij & Bacchi creatus fuit. Quo mortuo, die obitus eius, videlicet vj. Idus Ianuarij Anni Saluatoris

tis Mcxcviij. omnium Cardinalium consensu, Romæ Pontifex Maximus renunciatus, die Cathedræ S. Petri viij. calend. Martij consecratus & coronatus fuit. Sedit in Apostolica sede Annos xviij. M. vj. D. ix. Tantæ venerationis & maiestatis, tantæ eloquentiæ & doctrinæ habitus est, vt ab omnibus tanquam numen coleretur, cuius vita adeò probata fuit, vt post eius mortem nil earum rerum quæ in vita egerit, laudauerit, improbaueritque, immutatum sit. Nam & decreta pleraque retulit, quibus tam laicorum, quàm clericorum mores componerentur. Scripsit & libros de Sacramento Eucharistiæ, De Sacramento baptismi, de infœlicitate conditionis humanæ, de sacro Altaris mysterio, complexiones in vij. Psalmos Pœnitentiales. Habuit item sermones temporibus & solennibus diebus accommodatos. Improbauit præterea Abbatis Ioachimi libellum quendam, non sanam doctrinam præ se ferentem. Damnauit & errores Almerici hæretici, qui postea Parisijs cum sectatoribus suis exustus est. Vbi videret Sarracenorum potentiam in Asia concrescere, apud Lateranum maximum Concilium celebrat, cui interfuere Hierosolymitanus, Constantinopolitanus Patriarcha, Metropolitani lxx. Episcopi cccc. Abbates xij. Priores conuentuales Dccc. Græci & Romani Imperij legati: Regum verò Hierusalem, Franciæ, Hispaniæ, Angliæ & Cypri Oratores. Venere multa tum quidem in consultationem, nec decerni tamen quicquam apertè potuit, quod & Pisani & Genuenses maritimo, & Cisalpini terrestri bello inter se certabant. Eò itaque proficiscens tollendæ discordiæ causa Pontifex, Perusij moritur xvij. calend. Augusti Anno Mccxvj. cadauer eius ibidem in Ecclesia Cathedrali S. Laurentij sepelitur.

Ante Annos 366. qui fuit CHRISTI 1199.

SAXO Grammaticus Sialandicus, Rotscildensis Ecclesiæ Præpositus, Philosophus ac Mathematicus clarissimus, Rhetor insignis, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, & suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, Philippo imp. Cæs. Augusto, Danicæ gẽtis historiã ad Andreanã Episcopũ Daniæ ex vltima vetustate ad sua vsq; tempora & Regẽ Canutiũ

vj. ac

vj. ac Vnaldemarum fratrem, S. Canuti nepos ferè vſq; ad Annum CHRISTI Mcc. tanta dictionis elegantia rerumq́ue geſtarum varietate deduxit, vt cum omni vetuſtate contendere videri poſsit.

Ante Annos 365. *qui fuit* CHRISTI 1200.

S. PETRVS, Cluniacenſis Benedictinæ profeſsionis Abbas, vir non ſolùm viuens clariſsimus, ſed eum DEVS etiam cohoneſtans mirificorum operum patratorem eſſe oſtendit ſuperſtitem ſimul & defunctum, Orator eloquens, Theologorum ſuæ ætatis princeps, reuelationes multorum docto volumine conſcripſit. De conuerſatione porrò eremitica Commentarios abſoluit. Epiſtolas quoq; plures ad diuerſos dedit.

ETHELREDVS, Abbas Ciſtertienſis, Anglus, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, opuſculum religioſis viris vtiliſsimum, ſpiritualibus ſententijs inſtructum, quod inſcribitur Speculum charitatis, abſoluit. Homilias in Lucam edidit. Sermones & Epiſtolas plures ad diuerſos ſcripſit.

GILBERTVS de Hoylandia, Ciſtertienſis Monachus & Abbas, Anglus, vir doctiſsimus, & in monaſtica diſciplina exercitatus, nec vlli ſuæ ætatis Theologorum ſecundus, inter cætera ſcripturarum monimenta, Cantica Canticorum Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. Vitam porrò D. Bernardi Clareuallenſis docto volumine complexus eſt.

GVILIELMVS Epiſcopus Antiſiodorenſis, Gallus, vir in diuinis ſcripturis exercitatiſsimus, & ſcientia ſeculari doctiſsimus, Gymnaſij Pariſienſis olim Profeſſor, Philoſophus, Rhetor atq; Poëta, ſummam Theologiæ ornato deſcripſit eloquio. De officijs quoq; diuinis librum compoſuit, aliaq́; plura ſcripturarum monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

STEPHANVS Anglicus, ſacræ Theologiæ Doctor atq; Profeſſor, Rector Gymnaſij Pariſienſis, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, cùm Chriſtianæ profeſsionis

professionis studiosissimus esset, magnam Bibliæ partem exposuit, aliaque scripturarum monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento perfecit.

Ante Annos 364. qui fuit CHRISTI 1201.

S. CYRILLVS, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli tertius Prior generalis, Græcus, sanctissimæ vitæ & incomparabilis doctrinæ vir, suæ ætatis eloquentissimus, Orator facundus, Poëta grauis, Theologus verò sacrarum legum exercitatissimus, cui DEVS voluntatem suam angelico ministerio aperuisse fertur, dum argenteis tabulis digito DEI scriptis honoratur. Prophetico spiritu illustratus, de oraculo angelico volumen scripsit. De processu quoque ordinis sui librum edidit.

Ante Annos 361. qui fuit CHRISTI 1204.

S. THEODORICVS, Benedictinæ professionis Abbas, patria Vueissenburgensis, ad Rhenum principem fluuiorum Germaniæ, doctrina, conuersationis, sanctitate & eloquentia vir clarus, Poëta grauis, sacrarumq; literarum scientia nemini secundus, vitam S. Hildegardis Commentarijs quatuor doctissimè complexus est.

LETHBERTVS Anglicus, vir omni literatura doctissimus, adeoq; subtilissimus rerum diuinarum interpres, Psalterium Dauidis voluminibus illustrauit doctissimis.

Ante Annos 360. qui fuit CHRISTI 1205.

IOACHIM, Benedictinæ professionis Abbas, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, Theologus profundus, Orator eloquens, de veteris & noui Testamenti concordantia libros. Alium item in Cyrillum de magnis tribulationibus & Ecclesiæ statu scripsit. Esaiam verò Commentarijs non spernendis illustrauit.

Ante Annos 356. qui fuit CHRISTI 1209.

BENEDICTVS de Burgo Petri, Benedictinæ

professionis in eodem apud Anglos loco Abbas, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, vitam S. Thomæ Canthuariensium Archimystæ, docto volumine posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 355. *qui fuit* CHRISTI 1210.

ALEXANDER Neckham, Anglus, doctrina & eloquentia vir clarus, Poëta grauis, sacrarumque literarum scientia nemini secundus, diuinæ sapientiæ laudes, & maiorem Bibliæ partem scripto explicauit.

HENRICVS Comes à Kalvve, Augiensis Benedictinæ professionis, Constantiensis Diœcesios Abbas, Germanus, patria Sueuus, ex Ducatu Vuirtenbergensi, Protonotarius Imperatorius, Legum Doctor, cui Pontifex Innocentius III. insigne Priuilegium, in quo Romæ & in omnibus Synodis Abbas Augiensis ex speciali gratia iubetur sedere ad pedes Rom. Pontificis, & tenere in manu librum Sacramentorum, Pontificiarum legum, positionumq; & ordinationum sanctorum Patrum contulit. Vir omni literatura doctissimus, vitam S. Pirminij Meldensis Episcopi prolixis Commentarijs prosecutus est. Obijt Pontificatus Anno xxvij. CHRISTI verò Mccxxxvij. in Augiensi basilica sepultus.

Ante Annos 351. *qui fuit* CHRISTI 1214.

S. HERMANNVS, Heremitarum in Nariscis, seu Vvaldsassensis Benedictinæ professionis Abbas, vir magnæ deuotionis, & plurimæ cum sanctis DEI Angelis conuersationis, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, de Cherubin & Seraphin Potestatumq; dominatione volumen composuit. Moritur prid. caled. Octobr. Anno Domini Mccxxij. in Cistertio Burgundionum terræ potentissimo Monasterio, vbi in ambitu Ecclesiæ ante Aram S. Trinitatis honorifica sepultura donatus est.

Ante Annos 348. *qui fuit* CHRISTI 1217.

ABRAHAM Aben Ezdra, Hispanus, vir doctissimus, & diuinis scripturis exercitatissimus, in Rhodo insula

in De-

in Decalogum diuinorum præceptorum Commentarios scripsit. Exposuit & magnam Bibliæ partem Hebræo eloquio.

Ante Annos 347. qui fuit CHRISTI 1218.

IACOBVS de Vitriaco, de villa Argentolio, Diœcesis Parisiensis, Francus, Gallus, primò Presbyter Paræcialis, pòst Canonicus regularis monasterij S. MARIÆ de Oegines in Gallijs, ex Episcopo Achonensi trans mare Episcopus Cardinalis Tusculanus, sacræ paginæ Doctor eximius, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterū lectione diues, ingenio subtilis, Theologus profundus, Orator eloquens, crucem aduersus Albienses hæreticos prædicans, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, Sarracenos scriptis damnauit. Vitam S. Mariæ de Oegines tribus voluminibus complexus est. De sanctis mulieribus Leodieñ. libros perfecit. Historiam quoq; Ecclesiæ Orientalem doctis Commentarijs deduxit.

Ante Annos 346. qui fuit CHRISTI 1219.

S. IORDANVS, Ordinis Prædicatorum pòst B. Dominicum magister generalis, Germanus, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, conuersatione deuotus adeoq; sanctissimus, de ordinis institutione Commentarios. Sermones ad populum habitos. Exhortatorias quoq; ad fratres Epistolas scripsit.

CVNRADVS, Schyrensis Benedictinæ professionis monachus, Germanus, Bauarus, vir in scripturis diuinis exercitatissimus, & scientia seculari doctissmus, Historicus, Rhetor & Philosophus, sui temporis Theologorum nulli secundus, Chronicon Monasterij Schyrensis à prima sua fundatione exorsus, singulorum Abbatum successiones, & res gestas diligenter & copiose ac optima fide exposuit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Mccxxxvj.

Ante Annos 344. qui fuit CHRISTI 1221.

STEPHANVS Langion, Anglus, Archiepiscopus Cantuariēsis, Presbyter Cardinalis S. Chrisogoni, Philosophus, Rhetor atq; Theologus profundus, & Christianę fidei cultor

magnificus, vt saluti Ecclesiæ cōsuleret, inter cætera ingenij sui monimenta, de factis Mahumeti librum edidit. Vitam D. Thomæ Canthuariensis Episcopi, & Regis Anglorum Ricardi docto volumine complexus est. In Epistolas B. Pauli libros xiiij. eleganter & politè scripsit. Biblica quoq; scripta omnia & singula enarrans, Commentarijs in hunc vsque diem extantibus illustrauit. Obijt Cantuariæ Anno Saluatoris CHRISTI Mccxxviij.

CVNRADVS II. de Reysenberg ex Vuederouia, Hildessemensis Episcopus, Cathedralis Spirensium basilicæ Decanus Imperialis Moguntini templi Canonicus, eximia ingenij nobilitate conspicuus, sacræ paginæ Doctor, in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus. Gymnasij Parisiensis quōdam professor, Philosophus, Rhetor atq; Poeta, qui talem in cunctis Ecclesiæ negotijs, virum & pium pastorem egit, vt restaurator patriæ non immerito appellaretur: cùm & sacras priuatasque ædes, aut vetustate, aut belli fortuna demolitas restauraret. Sermones plures ad populum habitos, eosque non vulgares cōscripsit. Vita tandem exutus, Anno CHRISTI Mccxlviij in Schonaugiensis Cœnobij basilica, prope Haidelbergam Palatinatus oppidulo sepelitur.

S. FRANCISCVS, Ordinis Minorum institutor & princeps, natione Italus, ex Asisio ciuitate Italiæ oriundus, vir sanctitate & eruditione illustris, morum singulari moderatione fuit, à fastu & superbia maximè alienus. Et sicuti iustarum laudum preconijs minimè est ad arrogantiam sublatus, ita etiam conuicijs iniustis haudquaquam ad indignationem commotus. Mitis atque humanus vt non magis alius quisquam, & in colloquijs gratiosus maximè atque item acutus inuictusque fuit. Rerum æternarum desiderio, fortunas, quibus frui potuisset, reliquit, & ad infimæ plebis conditionem se abijciens, laboribus & iniurijs ibi ferendis ita se exercuit, ita & ieiunijs & precibus & meditationibus animum suum in opinionem traduxit: vt putarit, nihil tam esse secundum naturam, quàm viuere frugaliter, demissè, castè & sanctè. Friderico II. Imp. Cæs. Augusto regulā Minorum docto volumine politè scripsit. Quorum ordine, in quo successu temporis complures viri sancti atq; doctis-

doctiſsimi claruerunt, qui verbo & exemplo Eccleſiam magnificè illuſtrarunt, Honorius iij. Pontifex Menſe Nouembri in vigilia S. Andreæ Apoſtoli comprobauit. Moritur B. Franciſcus iiij. Non. Octobr. Anno Saluatoris CHRISTI Mccxxvj.

OLIVERIVS, Saxo, Germanus, ex Padebornenſi Antiſtite S. R. E. Epiſcopus Cardinalis Sabinus, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, Theolgus profundus, Synodales cõſtitutiones ex Iure & Patrum decretis ſumptas colligens, omni clero Padebornenſi, vt perfectius vitæ inſtitutum aſſumeret ſcripto propoſuit.

Ante Annos 343. *qui fuit* CHRISTI 1222.

S. ANTONIVS dictus de Padua, Hiſpanus, Vlixybona oriundus, Ordinis Minorum, Sacræ paginæ Doctor atque Profeſſor, vt qui Tholoſæ, Bononiæ atque Patauij ſacras ſcripturas aliquandiu publicè legit, vir omni literatura doctiſsimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus quem ob vitæ ſanctimoniam & eximiam eruditionem Arcam teſtamenti ſummus Pontifex appellare conſueuit, vt poſteritati conſuleret, Sermones doctiſsimos & elegantiſsimos conſcripſit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mccxxxj. quo D. Elizabeth, filia regis Vngariæ, cõiunx Ludouici Pij, Thuringiorũ ac Haſſonum Landgrauij quinti, mulier multarum virtutum & ſanctiſsimæ conuerſationis, in Marpurg Haſsiæ oppido deceſsit, Patauij ſepultus.

Ante Annos 338. *qui fuit* CHRISTI 1227.

CONRADVS à Liechtenavv, Vrſpergenſis Præmonſtratenſis inſtituti, Auguſtanæ Diœceſios, Sueuiæ Abbas, Germanus, ex nobili familia genus ducens, vir Reipub. conſultiſsimus, Theologorum ſuæ ætatis princeps, Hiſtoricus celeberrimus, inter omnes Germanicos Scriptores veteres, lectu vtiliſsimus. Nemo enim vnus de rebus Germanicis plura complexus eſt. Nec quiſquam diligentius, & accuratius omnium rerum geſtarum tempora annotauit; quę ab anno poſt Diluuium cc. exorſus, continua ſerie, vſque ad Friderici ij. Imp. Annum xx. qui eſt

à nato CHRISTO Annus Mccxxx.contexuit.Obijt Anno Saluatoris Mccxl. in Conuentus sui basilica sepultus.

IOANNES Algrini de Abbatis villa, Monachus Cluniacensis, Abbas S. Petri de Abbatis villa, Gallus, ex Archiepiscopo Bisuntino Episcopus Cardinalis Sabinus, Sacræ Theologiæ Doctor, atque Professor Gymnasij Parisiensis, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator facundus, Poëta grauis, sacrarumq; literarũ scientia nemini secundus, Cantica Canticorũ Salomonis doctis voluminibus illustrauit. Sermones quoque plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 329. qui fuit CHRISTI 1236.

S. GVILIELMVS, Episcopus Parisiensis, patria Aluernus, Apostolicæ vitæ vir, arcana atque mystica diuinarum scripturarum interpretatione sublimis, fidei propagator acerrimus, plena eruditionis & eloquentiæ insignia volumina, è quibus Commentarij de Sancta Trinitate. De Sacramentis. Cur DEVS homo. De fide & legibus. De animabus humanis. De bono & malo eius feruntur. De triginta remedijs rursus tentationum. De pœnitentia. De dæmonibus. De primo principio. De vniuerso. De operibus virtutum. Et claustro animæ volumina. Expositiones in Psalterium, in Ecclesiasten, in Euangelium Matthæi, in prouerbia Salomonis, & Cantica Canticorum. Sermones postremò varij ad populum habiti.

GVILIELMVS Durandi, quem Speculatorem nuncupant, Vasco, Gallus, Episcopus Mimatensis, & auditor Rotæ in vrbe Romana, Henrici Hostiensis auditor quondam atque discipulus, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, Orator facundus, Philosophus verò absolutissimus, omnis diuini humaniq; iuris consultissimus, de Cõcilio celebrando volumen edidit. Scripsitq; & ad Ottobonum Cardinalem S. Hadriani, post Summum Pontificem Hadrianum v. egregium opus, distinctum in octo partes, cui rationalis diuinorũ titulum dedit. In quarum prima parte de ecclesia & ecclesiasticis locis & ornamentis, de cõsecrationibus & de Sacramentis agitur. In secunda de Ecclesiæ ministris & eorũ officijs. In tertia de Sacerdotibus, & de alijs indumẽtis. In quarta de Missa, & de

& de singulis quæ in ea aguntur. In quinta de alijs diuinis officijs in genere. In sexta, specialiter de singulis dominicis, & ferijs, & festiuitatibus ad Dominum pertinentibus. In septima, de festiuitatibus sanctorum, & de festo & officio dedicationis Ecclesiæ ac mortuorum. In Octaua, de computo & Calendario.

Ante Annos 328. qui fuit CHRISTI 1237.

ROBERTVS Conuerton, Anglus, Ordinis Minorum, doctrina & eloquentia vir clarus, Philosophus, Orator atque Theologus suæ ætatis celeberrimus, Quatuor in Sententias libros edidit. Quodlibetorum Scholasticorum volumen absoluit.

Ante Annos 327. qui fuit CHRISTI 1238.

ALEXANDER cognomento de villa Dei, Dolensis, Ordinis Minorum, vir singularis vt tum tempora ferebant literaturæ & eloquentiæ, grauis & ingeniosus Poëta, Historicus celeberrimus, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, Sermones plures & doctissimos & elegantissimos, aliaq; scripturarum monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

ALEXANDER Episcopus Cestriensis, Anglus, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Psalterium Dauidis doctis voluminibus illustrauit. Sermones plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 325. qui fuit CHRISTI 1240.

ROBERTVS Backon, Anglus, Sacræ paginæ Doctor Gymmasij Oxoniensis, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex eloquens, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, lectiones ordinarias docto volumine complexus est. Expositiones præterea scripturarum prolixis Commentarijs absoluit.

Ante Annos 322. qui fuit CHRISTI 1243.

INNOCENTIVS IIII. Sinibaldus antea vocatus,

vocatus, natione Ligur, patria Genuensis, patre Obizzone ex nobili familia Flisca, & Lauaniæ Comitibus ortus fuit. Hic primò Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Parmensis, post à Gregorio Papa ix. cùm esset vtriusque iuris consultissimus, audierat enim Bononiæ Azonem iam senem, Accursium & Iacobum Balduinũ, auditor literarum contradictarum, & S. R. E. Vicecancellarius, demum Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Lucina creatus est. Mortuo autem Cælestino Papa iiij. Anaguiæ omnium Cardinalium consensu viij. Calend. Iul. Anni CHRISTI Mccxliij. Pontifex Maximus renunciatus, ibidem iij. Cal. Iulij consecratus & coronatus est. Sedit in Apostolica sede Annos xj. M. v. D. xiiij. Pōtificio habitu indutus, Romam veniens, prodeunte obuiā honorato quoque, magno omniũ applausu suscipitur. Petrum Veronensem Ordinis Prædicatorũ, ab hæreticis Mediolanum & Comum inter cæsum, inter sanctos CHRISTI Martyres retulit. Idem fecit de S. Stanislao Cracouiensi Episcopo, qui in vita miraculis claruit. Vt Octaua Natiuitatis B. MARIÆ virginis quotannis celebraretur instituit. Cardinalium sedes iam pridē vacuas optimo quoque in Collegium coaptato repleuit, statuitq; vt Cardinales equo in publicũ vecti, galero rubro vterentur. Multa quoque vir doctissimus in tanto rerum fastigio collocatus, edidit & compilauit. Apparatus namque Decretalium composuit, quo ipsi Canonistæ plurimum vtuntur. Edidit & alium in Concilijs approbatum, quem Hostiensis in summa sua Authenticas vocat. Scripsit & librum de iurisdictione Imperij & autoritate Pontificis, contra Petrum quendam cognomento Vineam, qui imperij & aliarum rerum omnium arbitrium Imperatori tantùm ascribebat. Obijt Neapoli vij. Id. Decembr. Anno CHRISTI Salutatoris Mccliiij. ibiq; in Cathedrali sepelitur.

GVILIELMVS de Gathādego, Parmensis, S. R. E. Vicecancellarius, Bibliothecarius Apostolicus, & Papæ Notarius, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, doctrina & eloquentia vir clarus, Historicus, Orator atque Theologus suæ ætatis celeberrimus, Vitas Romanorum Pontificum à S. Petro vsque ad Innocentium iiij. & Annum CHRISTI Mccxliij. deduxit.

Ante Annos 321. qui fuit CHRISTI 1244.

S. ALE-

S. ALEXANDER de Ales, Anglicus, Ordinis Minorum, præceptor Eustachij Cardinalis, qui iam grandis natu religionem ingressus fuerat, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, atque scientia seculari doctissimus, vita & conuersatione sanctissimus, Gymnasij Parisiensis Professor, Philosophus, Rhetor atque Poëta, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Vitam B. Thomæ Canthuariensis atque Ricardi Regis doctissimis Commentarijs absoluit. De factis Mahometi volumen edidit. In Epistolas Pauli xiiij. libros scripsit. Biblica scripta omnia & singula Commentarijs in hunc vsque diem extantibus illustrauit. Sermones rursus elegantes ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

S. HVGO Colonius, Barchinonensis, de S. Caro, Vienensis Diœcesis, Burgundus, Gallus, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Doctor, ex priore Prouinciali Franciæ Presbyter Cardinalis Sanctæ Sabinæ, vir sanctitate & doctrina, moribus, religione atque dignitate maximè illustris, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, Poëta grauis, & sacrarum literarum scientia nemini secundus, Summam de casibus absoluit. Sacros libros omnes vtriusque legis Commentarijs illustrauit doctissimis, separatimq; Psalmos exposuit, aliaq; plura Scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Obijt xiiij. Calend. April. Anno Domini Mcclxiiij. in vrbe veteri, cadauer Lugdunum translatum, ad Prædicatorum Ecclesiam sepultum est.

Ante Annos 316. qui fuit CHRISTI 1249.

RICHARDVS Vvichiensis, Pontifex Cistertiensis, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, de officijs Ecclesiæ volumen scripsit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Mcclij. in Anglia sepultus.

IOANNES de rupella, Ordinis Minorũ, Sacræ paginæ Doctor Gymnasij Parisiensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Summam virtutum & vitiorum perfecit. De anima quoque volumen scripsit.

Ante Annos 315. *qui fuit* CHRISTI 1250.

S. IOANNES, Bosſinenſis Epiſcopus in Vngaria, Ordinis Minorũ, Germanus, patria Friburgenſis ex Briſgoia, vir fide Catholicus, & in lege DEI exercitatiſsimus, in Sacris ſcripturis doctiſsimus, Philoſophus, Rhetor atque Poëta. Summam Confeſſorum notabilem quinq; libris complexus eſt. Moritur in Germania, ſepultus in conuentu ſuo Argentoratenſi.

GVALTERIVS Pictauienſis Epiſcopus, Ordinis Minorum, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus clarus, Theologus profundus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Quodlibetorum Scholaſticorum volumen abſoluit. Sermones elegantes atque doctiſsimos ad populum habitos, poſteritatis memoriæ conſecrauit.

Ante Annos 314. *qui fuit* CHRISTI 1251.

VINCENTIVS Gallus, Burgundus, Ordinis Prædicatorum, dictus Beluacenſis, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus clarus, Hiſtoricus celeberrimus, Theologus ſubtiliſsimus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, petente & ſumptus miniſtrante Rege Francorum, opus Speculorum doctiſsimum, lectu non indignum maximis laboribus lxxxj. voluminibus complexus eſt. De gratia DEI libros iiij. edidit. Alium de laudibus, geſtis, moribus & vita S. MARIÆ virginis, ex authenticis Patrum ſcriptis collectum. Rurſus de S. Ioanne Euangeliſta librum. Et quem conſolatorium de morte amici ſcripſit. In Speculo Hiſtoriali Summam totius Hiſtoriæ Mundi ab initio vſque ad Annum CHRISTI Saluatoris Mccl. libris xxxij. deduxit.

Ante Annos 312. *qui fuit* CHRISTI 1253.

ROBERTVS Groſchede, Epiſcopus Lincolnienſis, patria Sudouolcas, vir omni literatura conſumatiſsimus, Philoſophus ac Mathematicus clariſsimus, Rhetor inſignis, Poëta grauis, Theologorum ſui ſeculi princeps, inter cætera ſcripturarũ monimenta de diuinis nominibus volumen compoſuit. Aliud de

discretione Spirituum. De præceptis & Symbolo libros absoluit. Expositiones porrò in Genesim, in Psalterium Dauidis, & Lucã Euangelistam scripsit. Hierarchiam quoque Dionysij Commentarijs illustrauit doctissimis.

NERICVS, alijs Vdalricus Nerlinger à Vvurmberg, Campidonensis Benedictinæ professionis Abbas, sub quo combusta est & misero incendio perijt Cœnobij magna pars, Anno Domini Mcclxj. postridie S. Magni, vnde hi versus extant:

Annis transactis plus vno mille ducentis
Et sexaginta combusta fuit domus ista,
Post festum Magni præcelsi nocte sequenti.

Vir nobilis & pius, qui D. Thomam Aquinatem hospitio excepit, Philosophus grauis, Historicus prudens, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, studiorum & obseruator & cultor insignis, Chronicon Monasterij sui docto volumine ad Annum Saluatoris Mcclix. deduxit. Obijt xiij. Nouembr. Anno ab instaurata per CHRISTVM salute Mcclxviij.

IOANNES Christophori, Ordinis Prædicatorum, Germanus, patria Maguntinus, Philosophus, Rhetor atque Theologus profundus, & Christianæ fidei cultor magnificus, sacræ paginæ Doctor eximius, vt saluti Ecclesiæ cõsuleret, inter cætera ingenij sui monimenta sacra quatuor Euangelia & Pauli Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis.

S. HVMBERTVS de Romania, Ordinis Prædicatorum quintus Magister generalis, Gallus, patria Vienensis, Hugonis Barchinonensis Theologi auditor atque discipulus, Sacræ paginæ Doctor, vir genere quidẽ nobilis, sed virtute & doctrina illustrior, Philosophus clarissimus, Rhetor insignis, & suæ ætatis nobilissimus Scripturarum diuinarum interpres. Gesta fratrum Prædicatorum quinq; libris absoluit. De officijs sui Ordinis Commentarios scripsit. Exposuit & regulam B. Patris Augustini, aliaq; plura ingenij sui monimẽta Ecclesiæ DEI ꝑfutura reliquit.

ALEXANDER IIII. Rainaldus antea vocatus, natione Hernicus, patria Anagnin⁹, Philippi fili⁹, ex nobili Comitũ

Signiæ familia ortus, Gregorij Papæ ix. nepos, à quo Diaconus Cardinalis primò S.Eustachij, mox Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus creatus est. Mortuo verò Papa Innocentio iiij. Neapoli, cùm esset Cardinalium Episcoporum Prior, xij. Cal. Ianuarij Anno Domini Mccliiij. in eius locum Pontifex Maximus renunciatus, die Natalis Domini cõsecratus & coronatus est. Sedit in Apostolica sede Annos vj. M. v. & Dies totidem. Huius Pontificis vita ab omnibus certè mirificè laudatur. Beneficus enim & liberalis est habitus, maximè verò erga pauperes CHRISTI, & benè de religione Christiana meritos: vnde libellos quosdam contra paupertatem editos à quodam Guilielmo de sancto amore, perpetuo edicto aboleuit. Affirmabat enim vir ille perniciosus, pauperes religioni deditos, & eleemosynis viuentes, non esse in statu salutis. Combussit etiam vidente curia Romana libellum pestiferum, quo autor asserebat statum gratiæ non à lege Euangelij, sed à lege spiritus procedere. Quæ opinio ex libris Ioachimi Abbatis sumpta dicebatur. Hic autem liber à sectatoribus Euangelium æternum dicebatur. Ipse verò Alexander vbi ab externis negotijs vacuus fuit, aliquid semper quod ingenium saperet, edidit: nam & sermones elegantes atque doctissimos scripsit, & Decretales Epistolas compilauit, & viris doctis ita fauit, vt eos ad Cardinalatum vsque prouexerit, maximè verò Henricum Cardinalem Hostiensem, virum diuini humaniq; iuris peritissimum. Vsus est & magna liberalitate erga Bartholomæũ Brixianum Doctorem, qui multa in Decretales edidit: quibus ex rebus præter doctrinam singularem & sanctitatem, magnam consecutus est laudẽ. Obijt Viterbii viii. Calend. Iun. Anno CHRISTI Mcclxi. ibidem in Ecclesia Cathedrali S. Laurentij sepultus.

Ante Annos 309. qui fuit CHRISTI 1256.

S. DAVID, Ordinis Minorum, Germanus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Philosophus acutus, Orator grauis, nec vlli Theologorum secundus, de compositione hominis exterioris volumen. Aliud de compositione hominis interioris absoluit. Sermones quoq; in honorem sanctorum habitos plures scripsit. Moritur in Germania, Augustæ Vindelicorum sepultus.

Ante

Ante Annos 308. *qui fuit* CHRISTI 1255.

GVALTERVS dictus de Castellione, oriundus ex Insulis oppido Flandriæ, Magolensis Episcopus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus, Rhetor atq; Poëta, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, doctissimos in Dauidis Psalterium Commentarios scripsit.

Ante Annos 305. *qui fuit* CHRISTI 1260.

S. IOANNES de Parma, Italus, ex Bononiæ finibus oriundus, ordinis Minorum minister generalis, Gymnasij Parisiensis quondam professor, sacræ paginæ Doctor, vir non tam ob generis nobilitatem, quàm eruditionem & vitæ sanctitatem toto orbe clarus, Philosophus acutus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De conuersatione præterea religiosorum duo volumina conscripsit.

ADAMVS de Marisco, Anglicus, ex Somersetensi comitatu oriundus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, eo anno quo Confluentia Mosellæ & Rheni, ab Arnoldo Comite de Isenburg Treuirorum Archimysta muro cincta est, Biblica scripta ferè omnia Cõmentarijs illustrauit doctissimis, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 302. *qui fuit* CHRISTI 1263.

NICOLAVS Gallicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli septimus Prior generalis, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, inter alia scripturarum suarum monimenta, opus lugubre, statum ordinis sui deplorans, cùm è terra sancta fratres fuissent expulsi, confecit, cui Igneæ sagittæ titulum dedit.

Ante Annos 300. *qui fuit* CHRISTI 1265.

CLEMENS IIII. Guido antea vocatus, Fulcodij filius, natione Gallus, prouincia Narbonensi, vico S. Egidij, familiaq; mediocri, quæ Grossa appellabatur, ortus. Hic prius

vxorem & filios habuerat, qua mortua, clericus factus est. Cumque esset Iureconsultorum peritissimus, Regi Francorum à consilijs aliquandiu fuit, cuius studio Episcopus Podiensis primò, deinde Archiepiscopus Narbonensis, pòst Episcopus Cardinalis Sabinus ab Vrbano Papa iiij. creatus est. Quo mortuo, absens, rediës ex Anglica legatione Perusij Nonis Februarij anni Mcclxv. Pontifex Maximus in eius locum renunciatus, Viterbium venit, vbi viij. calend. Martij, die Cathedræ S. Petri suæ coronationis insignia suscepit. Sedit in Apostolica sede Annos iij. M. ix. D. xxv. Meritò ob vitæ sanctitatem & doctrinam Pontifex creatur, cuius vita omni ex parte laudanda est pietate, religione, humanitate, modestia, charitate in proximum & pauperes CHRISTI. Bona autem Ecclesiæ ita accuratè dispensauit, vt plus DEO quàm affinitati & cognationi tribuisse videatur. Duas habuit filias ex mortua vxore ante Pontificatum susceptas, quarum alterę in monasterium collocatæ triginta libras Turonensium paruorum dedit: alteræ autem, quæ marito suæ conditionis nupserat, trecentas libras Turonensium dotis nomine numerari iussit, hac conditione, ne quid vnquam amplius peteret. Habuit & nepotem clericum: quem vbi comperit tres præbendas habere, optionem facere compulit, vt quam vellet ex his retineret, duas relinqueret. Verùm instantibus amicis, vt non solùm quæ habebat, nepoti dimitteret, sed maiora & plura tribueret, Respondit vir sanctissimus, se DEO, non autem carni & sanguini acquieturum. DEVM ita velle, vt sua in pias causas erogarentur, nec esse dignum Petri successorem, qui plus cognationi quàm pietati & CHRISTO tribueret. Dum Viterbij esset, referreturque quotidie Ednigem Poloniæ Ducissam iam pridem mortuam, miraculis summo in precio esse, eam in sanctas retulit, eiusque vitam & miracula docto volumine conscripsit. Carolum Gallum Ludouici Regis generum Hierusalem & Siciliæ Regem inungit Romæ in basilica Lateranensi, ea lege, vt quotannis feudi nomine Ecclesiæ Romanæ xl. millia nummûm aureorum persolueret. Obijt Viterbij, iij. calend. Decembr. Anno Domini Mcclxviij. ibidem ad Prædicatores sepultus.

SIMON

SIMON Stockius, ex Cantia Anglorum Comitatu oriundus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia clarus, Theologus profundus, Orator eloquens. Sermones plures cùm elegantes tum doctos ad populum habitos posteritati consecrauit. Antiphona præterea, sacraque responsa, ad CHRISTIparam virginem, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata receptaq; scripsit.

IACOBVS Anglicus, Cistertiensis Monachus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione, atq; dignitate maximè illustris. Expositiones in Cantica Canticorum Salomonis. Sermones ad populum habitos, lecturasq; Scholasticas scripsit.

Ante Annos 299. qui fuit CHRISTI 1266.

RADVLPHVS Cicestrius, ex Sudosaxiæ Comitatu natus, vir grauis & prudens, nobilissimus rerum diuinarum interpres, vitam S. Ricardi Episcopi Cicestriensis præclaro notauit opusculo.

Ante Annos 297. qui fuit CHRISTI 1268.

S. ALBERTVS Ratisponensis Episcopus, Ordinis Prędicatorum, quem ob amplitudinē doctrinæ Magnum appellant, in Sueuia clarissimis parentibus, in agro Lauingensi, ad Danubium, ex regulis Bolstatensibus Anno CHRISTI Mcxciij. natus & ortus est. Hunc alterum, & Germanum Varronem, aut si veritas apertè dicenda est, longe Varrone doctiorem dicere licebit. Nihil eum penitus fugit, omnia perfectè nouit. Naturæ secundum Aristotelē verissimus interpres fuit. Scripsit Dialectica, Mathematica, Physica, Metaphysica, Ethica, & Theologumena adeò exquisita, haud aliter, quā si vni duntaxat operā nauasset, cætera ne attigisset quidē, adeò singula in suo genere absoluit. Primus apud Latinos in omnes Aristotelis, Euclidis, Petri Lōbardi, & aliorum huiusmodi authorū libros Cōmentaria scripsit: eloquentia summa suo seculo, eruditione etiā nostro præditus fuit. Parrhisijs insignis habitus est, vbi publicè docuit. Thomę Aquinatis pceptor extitit. Postea Coloniensis Cœnobij apud Dominicastros lector factus, vbi fama hōis eius ita aucta est, vt facilè Albert⁹

Episcopo

Episcopo Ratisbonensi deposito, in locum eius substitueretur Anno Domini Mcclx. Episcopus factus studium consuetum nõ intermisit, in castro Stauff frequẽs habitauit. Vbi & Cõmentaria in Euangeliũ Lucæ scripsit, quæ adhuc Reginoburgij apud Prædicatores ostenduntur. Administrator rei familiaris diligentissimus fuit. Episcopatus æs alienum magna ex parte breui temporis spacio dissoluit, suum defraudans genium. Postquam per annum Pontificatu functus est, tædio occupationum, vltrò cedit, ad Philosophiam & literas redit. Coloniam se rursus confert, vbi Theologiam Christianam acutissimè aperuit, Biblica scripta omnia & singula discipulis enarrans. Commentarijs ea in hunc vsq; diem extantibus illustrauit. Euangelia & Pauli Epistolas omnes doctis voluminibus exposuit. Inchoauit etiam summam Theologiæ, sed non perfecit. Quatuor libros in Sententias scripsit. Libros de spirituali vita edidit. Alios item de corpore CHRISTI. In officium Missæ volumen. Et quod de laudibus S. MARIÆ CHRISTI matris confecit. Edidit & librum de quatuor coæuis, in quo quidem res naturales Theologiæ, quantum fieri potest, persimiles ostenduntur. Circumferuntur etiam eius in Dionysium scripta. Sermones rursus in solennibus ad populum habiti. Octogesimum & septimum ætatis agens Annum Coloniæ moritur, multis discipulis qui posteritati consulerent relictis, in medio choro Conuentus sui sepultus Anno Mcclxxx. non sine opinione sanctitatis, vt qui non solùm viuens, sed & post mortem plurima patraret miracula, Guilielmus enim Hollandiæ Comes Cæsar designatus, Coloniam rediens, lautissimum instituit Principibus electoribus conuiuium, in quo (vt scriptores eius ætatis, & qui se vidisse commemorant, tradunt) quod admirandum est, mirabili opera Alberti Magni Philosophi, arbores media hyeme effloruerunt, & herbæ germinabant, ob quod factum Imperator fratribus sui ordinis in Traiecto prædium ingens cum redditibus donasse dicitur, atque Monasterium construxisse. De Nigromantia illius nugatores, & ociosi homines fabulam finxerunt, cùm virum tam bonum malis artibus studuisse, neq; credibile, neq; verisimile sit. Qui cùm in Episcopatu suo edictum aliquod publicaret, non alio exordio vsus est, quàm vt scriberet in hunc modum: Frater Albertus miseratione diuina

Ecclesiæ Ratisponensis Episcopus &c. in quo humilitatis opinionem liquido testari voluit.

HANNIBALDVS Hannibaldensis, Romanus, Ordinis Prædicatorum, lector sacri Pallatij, Theologiæ Doctor, Presbyter Cardinalis basilicæ Apostolorum, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones elegantes atq; doctissimos ad populum habitos scripsit. Obijt Romæ Anno Saluatoris CHRISTI Mcclxxij. sepultus in vrbe veteri ad Prædicatores.

Ante Annos 296. qui fuit CHRISTI 1269.

S. BONAVENTVRA, qui & Eustachius Fidanza, Ioannis filius, Balneo Regiensis, Tuscus, sacræ paginæ Doctor, ex generali ministro Ordinis fratrum Minorum Archiepiscopus Eboracensis in Anglia, pòst Cardinalis Albanus, Alexandri de Ales auditor quondam atque discipulus, Orator eloquens, Poëta grauis, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, sacrarum legum exercitatissimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, cuius ingenium, dotem naturæ, & vitæ puritatem præceptor eius contemplans, dicere solebat: In fratre Bonauentura Adam peccasse non videtur. Grauiter & copiose in primum, secundum, tertium & quartum Sententiarum librum scripsit. Breuiloquij, soliloquij, ligni vitæ, Centiloquij, passionis Dominicæ & illuminationum volumina confecit, De quinque festis infantiæ CHRISTI scriptum edidit. Aliud de septem donis Spiritus sancti. Et quod de excellentia Eucharistiæ ad fratres dedit. Præterea Compendium scripturarum. De septem gradibus contemplationis. De decem præceptis & Apostolorum sandalijs libros composuit. Euangelia Sanctorum Lucæ atque Ioannis Commentarijs illustrauit doctissimis. In Genesim visionum libros septem conscripsit, aliaque plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Obijt Lugduni iij. Idus Iulij Anno Mcclxxv. cadauer ibidem ad Minores sepultum. A Xysto verò Papa iiij. inter diuos relatus est.

NICEPHORVS Callistus, Xanthopulus, natione Græcus, patre Callisto, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Orator grauis & eloquens, Historicus celeberrimus, atque Theologus suæ ætatis nobilissimus, libris xviij. qui soli extant Historiam Ecclesiasticam à nato CHRISTO vsque ad Heraclij Imperatoris tempora & Annum CHRISTI Dcxxv. deduxit. Totius sacræ scripturæ synopsin compendiariam edidit. Scripsit præterea de rebus gestis post Machabæos ad CHRISTVM vsque & captiuitatem Hierosolymorum. Genealogiam Patriarcharum ad Dauidem vsque. De rebus Mosaicis libros. Catalogum Iudicum Israëlis. Descripsit porrò Reges Israëlis, Patriarchas Constantinopolitanos. CHRISTI genealogiam. Duodecim Apostolos. Discipulos CHRISTI septuaginta. Euangelistas & Diaconos. Discipulas CHRISTI. Miracula Saluatoris IESV CHRISTI secundum quatuor Euangelia. Et plura alia scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

S. THOMAS de Aquino, Expositor per excellentiam dictus, quo curiosior, vberior & clarior inuentus est nemo, visus cum quadam diuinitatis existimatione disputasse: quam ob rem caput meritus in picturis ille est radiatum, cum inspiratrice columba. Ordinis Prædicatorum, Alberti Magni auditor quondam atq; discipulus, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus, Rhetor & Musicus, suique temporis Poëtarum nulli secundus, qui relicta patria insigni que cognatione (originem enim è Comitibus Apuliæ ducebat.) Coloniam pergens, tantum profecit, vt post aliquot annos apud Parisios primum in doctrina locum teneret, vbi & quatuor libros in Sententias & summam Theologicam edidit. Scripsit & librum contra Guilielmum de sancto amore, virum perniciosum. Duos præterea libros edidit, quorum alter est de qualitate & essentijs, alter verò de principijs naturæ. Romam deinde ab Vrbano IIII. Pontifice accersitus, spretis dignitatibus, quæ vltro ei offerebantur, totum sese lectioni & scriptioni dedit. Nam & Scholam Romæ instaurauit, & rogatu Vrbani multa conscripsit, totam ferè naturalem Philosophiam ac moralem

ralem Commentationibus exposuit,& contra gentiles librum edidit. Contra errores Græcorum volumen. Aliud aduersus Armenos atque Saracenos. De fide & Sacramentis scriptum. Aliud aduersum detrectatores religionis absoluit. Expositiones in Esaiam, in Threnos eiusdem, in tres Nocturnos Psalmorum, In Hieremiam, in Cantica Canticorum, in Epistolas Pauli, in Euangelia, in Epistolas Canonicas, In Dionysium Areopagitam, in orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apostolorum scripsit. Libros de perfectione vitæ spiritualis. De forma absolutionis. De Sacramento Altaris. De humanitate CHRISTI. De dilectione DEI & proximi. De diuinis moribus. De beatitudine. De puritate conscientiæ. De officio Sacerdotis. De significatione Missæ & Trinitate confecit. Declarauit & Iob, catenamque auream contexuit. Composuit officium de CHRISTI corpore, quo in opere plurimæ figuræ Testamenti veteris continentur. Antiphona porrò sacraq; respōsa quædam, & Missæ quas vocant Sequentias, è quibus illa Lauda Syon Saluatoré, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probatas atq; receptas edidit. Habuit etiam Sermones satis elegantes ad populum, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura, posteritatis memoriæ cōsecrauit. Moritur in Italia Non. Martij Anno Saluatoris Christi. Mcclxxiiij. in Cœnobio Fossæ nouæ S. Saluatoris sepult⁹.

Ante Annos 295. qui fuit CHRISTI 1270.

GERARDVS Monachus S. Quintini in Insula, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Philosophus, Rhetor atque Historicus celebris, Theologus verò profundus, inter cætera scripturarum monimenta historiā translationis coronæ & partis de cruce Domini, quas reliquias Ludouicus Rex Franciæ ab Imperatore Constantinopolitano consecutus, transtulit Parisios. Miracula porrò D. Elizabeth Marpurgensis eleganti volumine descripsit. Antiphona sacraq; responsa quædam edidit, iudicio Ecclesiæ vniuersæ probata receptaq;.

RICARDVS Hannibaldus Hannibaldēsis Roman⁹, S.R.E. Archidiaconus, Cardinalis S. Angeli, Theologię Doctor atq; professor, eximi⁹ diuinarū scripturarūinterpres, qui sacras atq; profanas literas sumēdidicerat, quatuor libros in Sētētias scri-

psit, Quodlibetorum porrò volumen edidit. Pileo rubro à Gregorio Papa x. priuatus, ex animi dolore moritur Lugduni, Anno. Mcclxxxiiij.

Ante Annos 294. qui fuit CHRISTI 1271.

PETRVS Suuanyngton, Anglus, Nordouolcas, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, Orator eloquens, nec vlli Theologorum secundus. Quæstiones ordinarias & scripturarum lecturas confecit.

Ante Annos 293. qui fuit CHRISTI 1272.

RICARDVS, Archiepiscopus Remensis in Gallia, Ordinis Minorum, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis absolutissimus. Sermones plures cùm elegantes tum doctos ad populum habitos scripsit

Ante Annos 292. qui fuit CHRISTI 1273.

CONRADVS à Mure, Tigurinæ Canonicus Ecclesiæ, Germanus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia clarus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, Theologus profundus, Orator eloquens, Poëta grauis & ingeniosus. Passionem sanctorum Martyrum Fœlicis, Regulæ & Exuperantij, optima fide diligenter scripsit. Laudes B. MARIÆ virginis doctis Cōmentarijs deduxit. Catalogum Romanorum Pontificum & Imperatorum. Commentarium rursus de Sacramentis posteritati reliquit.

IOANNES Valeis, aliâs Galensis, Ordinis Minorū, Anglicus, vir admiratione omniū dignissimus, eruditione & eloquentia clarus, sacræ paginæ Doctor atque Professor Gymnasij Parisiensis, quem ob amplitudinem doctrinæ Arborem vitæ appellarunt, Poëta grauis, Orator facundus, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus. Summam collationum libris septem complexus est. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De ordinatione vitæ volumen scripsit. Manipulum florum sacræ scripturæ collegit, Apocalypsin Ioannis Commentarijs illustrauit.

illuſtrauit doctiſsimis. Sermones quoq; plures cùm elegantes tum doctos ad populum habitos ſcripſit.

Ante Annos 289. *qui fuit* CHRISTI 1276.

INNOCENTIVS V. frater Petrus anteà vocatus, natione Gallus, prouincia Burgundia, patria Tarentaſienſis, Ordinis fratrum Prædicatorum, & Magiſter in Theologia. Hic ex Priori Prouinciali Franciæ primò Archiepiſcopus Lugdunenſis, mox ante conſecrationem Epiſcopus Cardinalis Oſtienſis & Veliternus à Papa Gregorio x. Lugduni creatus eſt: à quo etiam non longè pòſt maior Pœnitentiarius factus. Quo mortuo Aretij in Tuſcia, omnium Cardinalium ſuffragijs xiij. Calendas Februarij, Anni Mcclxxvj. in eius locum Pontifex Maximus renunciatus Romam venit, vbi die cathedræ S. Petri Apoſtoli, videlicet viij. Cal. Martij, ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit. Sedit autem in Apoſtolica ſede Menſes quinque, D. ij. vir in ſacris literis doctiſsimus, in epiſtolas Pauli, & libros Sententiarum Commentaria ſcripſit. Pſalmos præterea, Cantica Canticorum quoque, doctis voluminibus expoſuit. Obijt Romæ x. Cal. Iulij. Anno Domini Mcclxxvj. in Lateranenſi baſilica ſepultus.

RVGERVS Bakon, Ordinis Minorum, Anglicus, Sacræ paginæ Doctor Oxonienſis, Philoſophus, Rhetor atque Theologus profundus, eo tempore, quo Henricus de Vinſtingen Treuirorum Archipræſul caſtrum Berncaſtell ad Moſellam conſtruxit, & villam ipſam muro circumdedit, libros Sententiarum Lombardi quatuor voluminibus illuſtrauit. De ſitu Paleſtinæ ſcriptum edidit. Compendium porrò ſtudij theologici, aliaq; plura ſcripturarum monimenta, quę eximij eius ſtudij ſatis magno ſunt documento reliquit.

Ante Annos 288. *qui fuit* CHRISTI 1277.

S. ÆGIDIVS de Roma, Ordinis fratrum Eremitarum B. Auguſtini, Archiepiſcopus Bituricenſis, D. Thomæ Aquinatis auditor quondam atque diſcipulus, vir doctrina moribus & vitæ ſanctitate clarus, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, Poëta & Orator, nec vlli Theologorum ſecundus, multa ſcripſit vt literas ſacras illuſtraret, inprimis in Epiſtolas Pauli Cōmenta-

rios non contemnendos. Laudes sapientiæ diuinæ. De corpore CHRISTI. De mensura & cognitione angelorum. De mortuis. De prædestinatione. De potestate Ecclesiastica. In Hexameron. Complexiones in Cantica Canticorum, in libros Sententiarum Lombardi, & in officium Missę. Aduersus corruptorem librorum Thomæ Aquinatis volumen. Sermones plures ad populum habitos, & multa alia scripta, Ecclesiæ DEI profutura, posteritatis memoriæ consecrauit.

BENTIVENGA de Bentiuengis de Aquasparta, Tudertinæ Diæcesis, Vmbrus, Ordinis Minorum, sacræ paginæ Doctor, Cappellanus & Confessor Nicolai iij. Rom. Pontificis, ex Episcopo Tudertino Episcopus Cardinalis Albanus, & maior Pœnitentiarius, S. Thomæ Aquinatis auditor quondam atque discipulus, vir suæ ætatis facilè omnium eloquentissimus ac celeberrimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, veritatis Theologicæ volumen edidit. Sermones quoque plures ad populum habitos scripsit. Obijt Tuderti vij. Calend. April. Anno CHRISTI Mcclxxxix. sepultus ad Minores in Ecclesia S. Fortunati.

IOANNES Segobiensis, Hispanus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, vocatis ex Hispania legis Arabicæ magistris, librum Mahometis, quem vocant Alchoram, in nostrã linguam transtulit, & ineptias eius veris ac viuis rationibus & argumentis explosit.

LATINVS Malabranca Romanus, Nicolai III. Pontificis ex sorore nepos, Ordinis Prædicatorum, I. V. Doctor, & Magister in Theologia, ex Priore S. Sabinæ Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus, vir doctissimus, qui sacras atq; profanas literas summè didicerat, orationem in caussis fidei coram cœtu Cardinalium habitam scripsit. Moritur Perusij iiij. Id. Augusti, Anno Saluatoris Mccxciiij. Cadauer Romam portatum, in Ecclesia S. MARIÆ super Mineruam Ordinis Prædicatorum sepultum est.

MARTINVS Polonus, patria Carsulanus, Ordinis Prædicatorum, Archiepiscopus Consentinus, vrbis Ro-

mæ Pœnitentiarius, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator eloquens, Historicus celebris, Theologus profundus, sacrarumque literarum scientia nemini secundus, de diuersis miraculis volumen edidit. Chronicam vniuersalem Pontificum Romanorum & Cæsarum ab ipso Pontifice IESV CHRISTO & ab Octauiano Augusto vsque ad Ioannem xxj. & Rodolphum Imperatorem deduxit. Sermones porrò non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 287. qui fuit CHRISTI 1278.

THOMAS de Cantiprato, Ordinis Prædicatorum, Germanus, patria Brabantinus, Alberti Magni auditor quondam atque discipulus, vir doctissimus adeoque humanissimus, Græco & Latino instructus eloquio, colligens omnia diuinæ scripturæ testimonia, de apibus mysticis, cui vniuersalis boni titulum dedit, volumen scripsit. Vitam porrò S. Christinæ, doctis Commentarijs absoluit.

ROBERTVS Biliberi, Anglus, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Professor, ex Prouinciali Angliæ Archiepiscopus Cantuariensis, & Primas Anglorum, Episcopus Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ, vir sacrarum literarum studijs doctus atq; inprimis eruditus, dicendi artifex & Doctor eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, S. Præsulis Anselmi vitã heroico carmine complexus est. Obijt Viterbij Anno CHRISTI Mcclxxx. ad Prædicatores sepultus.

THOMAS Suetonius, Ordinis Prædicatorum, Anglus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, inter cætera scripturarum monimenta, Compendium D. Thomæ Summam Theologiæ. Quodlibetorum quoque volumen absoluit. Exposuit & Psalterium Dauidis. Homilias verò plures ad diuersos scripsit.

GERARDVS Blancus, de villa Gainaco, Diæcesis Parmẽsis, V.I. Doctor, ex Canonico Parmẽsi Presbyter Cardi

nalis

nalis Sanctorum xij. Apostolorum, Episcopus Sabinus, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, sermones cùm elegantes tum doctissimos ad populum habitos insigni volumine scripsit. Obijt Romæ Calend. Mart. Anno CHRISTI Mcccij. sepultus in basilica Lateranensi.

Ante Annos 286. qui fuit CHRISTI 1279.

IOANNES Esculanus de Esculo, Ordinis Minorum, post S. Bonauenturam minister generalis, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimũ insignis, Philosophus clarus, Theologus profundus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, qui Constantinopolim missus à Gregorio x. Pontifice in sententiam Romanę Ecclesiæ Gręcos toties deficientes pertraxit, & secum ad Concilium venire persuasit. Sermones plures in solennibus habitos scripsit.

HAYMO Anglicus, Ordinis Minorum, Minister generalis, Sacræ paginæ Doctor, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, Sermones quoq; plures ad populum habitos, scripsit.

Ante Annos 285. qui fuit CHRISTI 1280.

IOANNES Parisiensis, Ordinis Prædicatorum, Sacræ paginę Doctor atque Professor in vrbe Lutetiarum, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Theologus profundus, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt homine libero dignæ perpolitus, quatuor libros Sententiarũ Lombardi exposuit.

GILBERTVS cognomento Magnus, ex Anglorum natione, Cistertiensis Monachus, vir tantæ doctrinæ, vt ob varietatem disciplinarũ Vniuersalis appellaretur, Poëta grauis, Orator eloquens, Historicus celebris, nec vlli Theologorum secundus, pro Christiano contra gentiles volumen confecit. Dauidis Psalterium, Oraculum quoque Cyrilli Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones plures, quorum infinitus penè est numerus, ad populum habitos scripsit.

Ante

Ante Annos 284. *qui fuit* CHRISTI 1281.

VDALRICVS, Ordinis Prædicatorum, Germanus, patria Argentoratensis, Alberti Magni auditor quondam atq; discipulus, vir Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Doctor eloquens, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Summam Theologiæ collegit. De anima quoq; volumen scripsit.

RVPERTVS de Rusia, Ordinis Minorum, Sacræ Theologiæ Doctor atque Professor illustris, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atq; Sacris scripturis absolutissimus, Orator grauis & eloquens, Haymoni Anglico ordinis sui Ministro generali, viro æquè doctissimo, expositionem regulæ B. Francisci dicauit. Sententiarũ libros exposuit. Et sermones in solennibus habitos scripsit.

S. GVILIELMVS de Samuco, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Gallus, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus Sacrarum legum exercitatissimus, Expositionem regulæ Carmelitarum, & Chronicon ordinis sui scripsit. Quatuor porrò Sententiarum libros Lombardi exposuit.

Ante Annos 283. *qui fuit* CHRISTI 1282.

BERNARDVS Compostellanus, Decretorum Doctor, Innocentij iiij. Pontificis quondam familiaris & capellanus, Presbyter Hispaniæ, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus & Orator clarissimus, apparatũ Decretalium composuit, quo ipsi Canonistæ plurimum vtuntur.

Ante Annos 282. *qui fuit* CHRISTI 1283.

IOANNES Pekam, Ordinis Minorum, Anglicus, Philosophus, Historicus & Rhetor insignis, Theologus verò profundus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Cantica Canticorum Salomonis Commentarijs illustrauit doctissimis. Statuta Synodalia collegit. De officio Trinitatis vo-

lumen ſcripſit. Aliud de perfectione Euangelica. De corpore rurſus CHRISTI Commentarium abſoluit. Moritur Canthuariæ Anno ſaluatoris Mccxcij.

HENRICVS de Gandauo, Archidiaconus Tornacenſis, Germanus, ſacræ paginæ Doctor, vir eruditione & eloquentia clarus, Philoſophus inſignis, Theologus profundus, Orator eloquens, nec vlli ſacrarum literarum ſcientia ſecundus, tantæ opinionis & authoritatis in Gymnaſio Pariſiorum extitit, vt Doctor ſolennis per vniuerſum Chriſtianum orbem nominaretur. De virginitate & pœnitentia libros conſcripſit. Summam Theologiæ perfecit. Quatuor præterea Sententiarum libros Petri Lombardi expoſuit. Obijt iiij. Calend. Iul. Anno Mccxciij ſepultus Tornaci in Eccleſia S. DEI Genitricis MARIÆ.

HENRICVS de Seguſia, Gallus, V. I. Doctor, ex Archiepiſcopo Ebredunenſi, Epiſcopus Cardinalis Oſtiēſis & Veliternus, doctrina & eloquentia vir clarus, ſacrarum literarū ſtudijs doctus & inprimis eruditus, multa in Decretales edidit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Mcclxxxv.

Ante Annos 281. qui fuit CHRISTI 1284.

IOANNES Chelmeſton, Anglicus, ex Eboracenſi Comitatu oriundus, vir omni literatura doctiſsimus, adeoq; ſubtiliſsimus rerum diuinarum interpres, Quæſtiones ordinarias, Determinationes Theologicas, atq; Sermones in ſolennibus habitos ſcripſit.

SIMON de Tornaco Presbyter, ſacræ paginæ Doctor atq; Profeſſor Pariſienſis, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator & Poëta celebris, Dialecticus acutiſsimus, Theologus Sacrarū legum exercitatiſsimus, in Symbolū D. Athanaſij Commentarios ſcripſit. Expoſitiones in Boëtium de Trinitate doctiſsimas cōpoſuit. Sententiarum quoq; ſuarum volumen abſoluit.

THOMAS de Vlleya, Sudouolcas, Ordinis fratrū B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, in cōuentu Gippeſuuicenſi, vir diſertiſsimus, non minus vita q̃ conuerſatione præclarus, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus; Apocalypſim Ioannis docta expoſitione illuſtrauit, Quæſtionū præterea Theologicarum volumen ſcripſit.

Ante Annos 279. *qui fuit* CHRISTI 1286.

MATTHÆVS de Aquasparta, Tudertinæ diœcesis, Vmbrus, Ordinis fratrum Minorum xij. Generalis minister, sacræ paginæ Doctor, ex Presbytero Cardinale S. Laurentij in Damaso Episcopus Cardinalis Portuensis S. Rufinæ, vir cùm cōfessionis gloria tum vita & cōuersatione plurimū insignis, sacrarum legum exercitatissimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Epistolam D. Pauli ad Romanos cōmentatus est. Et Sermones in solennibus habitos scripsit. Obijt Romæ Anno Mccij. sepultus in Ecclesia S. MARIÆ de Ara cœli Ordinis Minorum.

GVILIELMVS Paganherus, alijs de Pagula, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, clarus eloquio, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, quatuor libros in Sententias scripsit. Placita Theologica & ordinarias Quæstiones absoluit. Sermones quoq; ad populum habitos plures posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 278. *qui fuit* CHRISTI 1287.

HENRICVS nobilis à Klingenberg, ex Augiēsi Benedictinæ professionis Abbate, Cōstantiensis Episcopus, Prothonotarius Imperatorius, & Legum Doctor, vir cùm confessionis gloria tum vita & cōuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Poëta grauis & ingeniosus, Historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, qui S. Laurentij basilicam in vrbe sua construxit, De Angelis Quæstiones absoluit. Historiam præterea Habspurgensium Comitum scripsit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mcccvj. in Cathedrali Constantiensi basilica sepultus.

Ante Annos 277. *qui fuit* CHRISTI 1288.

NICOLAVS IIII. frater Hieronymus antea vocatus, natione Picenus, Patria Asculanus, humili loco natus, ab ineunte ætate ordinem fratrum Minorum professus, per omnium

illius ordinis magiſtratuū gradus ad Generalatum aſcēdit. Cumque eſſet eximius in Theologia Magiſter, à Nicolao Papa iij. Preſbyter Cardinalis S. Pudentianæ titulo Paſtoris primò, mox ab eius ſucceſſore Martino Papa ij. Epiſcopus Cardinalis Præneſtinus creatus eſt. Qui mortuo Honorio Papa iij. Romæ apud S. Sabinam in eius locum, omnium Cardinalium ſuffragijs viij. Calendas Martij Anni Mcclxxxviij. Pontifex Maximus renunciatus, vj. Calendas Martij coronatus fuit. Sedit autem in Apoſtolica ſede Annos iiij. M. j. & D. xiiij. Omnes pariter amabat, nec plus ſe debere affinibus & cognatis quàm cuiuis bono arbitrabatur. Vir in ſacris ſcripturis doctiſsimus, & lege DEI exercitatiſsimus, quatuor libros Sententiarum expoſuit. Biblica ſcripta ferè omnia doctis voluminibus illuſtrauit. Sermones rurſus in ſolennibus habitos ſcripſit. Obijt Romæ pridie Non. April. Anno Domini Mccxcij. ſepultus ad S. MARIAM Maiorem.

HVGO de Biliomo, de Aluernia, diœceſis Claromontanæ, Gallus, Ordinis Prædicatorum, ſacrę paginæ Doctor, lector in conuentu S. Sabinæ Romæ, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, in Threnos Hieremiæ Commentarios abſolutiſsimos, Sermones præterea ad populum ſolenniter habitos ſcripſit. Obijt Romæ iiij. Calend. Ianuar. Anno Mccxcviij. ſepultus in titulo S. Sabinæ ante Altare maius.

Ante Annos 276. qui fuit CHRISTI 1289.

THOMAS Sperman, Anglicus, Ordinis Prædicatorum, vir cùm confeſsionis gloria tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus clarus, Theologus profundus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, Cōmentarios haud vulgares in Geneſin & Pauli Epiſtolam ad Hebręos conſcripſit. Canonicam quoq; Iacobi docto volumine expoſuit.

GVILIELMVS Lamarenſis, Ordinis Minorum, vir in diuinis ſcripturis exercitatiſsimus, & ſcientia ſeculari doctiſsimus, Dialecticus, Rhetor & Philoſophus, ſuiq; temporis Theologorum nulli ſecundus, quatuor libros in Sententias edidit.

Scripsit & correctorium operum Thomæ. Additionum quoque in Bonauenturam volumen.

Ante Annos 275. qui fuit CHRISTI 1290.

ARLOTVS, Ordinis Minorum minister generalis, Hetruscus, elegantis copiosæq; elocutionis vir. Dialecticus subtilis, & acutissimus disputator, cui præclara certè laus in profana simul & sacra Philosophia, omnibus omnium præclarorum virorum calculis tribuitur, vtriusq; Testamenti Concordantias quas vocant collegisse fertur. Sermones ad populum habitos plures.

Ante Annos 274. qui fuit CHRISTI 1291.

PETRVS, Ordinis Prædicatorum, in Francia Prior Prouincialis, Gallus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarũ studijs doctus & inprimis eruditus. Sermones ad populum habitos plures, quorum infinitus penè est numerus scripsit.

RICHARDVS de Media villa, Anglicus, Ordinis Minorum, Decretorum Doctor, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Iureconsultus celeberrimus, nec vlli Theologorum suæ ætatis secundus. Quatuor libros in Sententias scripsit. Pauli Epistolas omnes, sacra porrò Euangelia Commentarijs illustrauit doctissimis. De conceptione B. MARIÆ virginis volumen absoluit. Regulam S. Patris Francisci exposuit, aliaque plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura posteritati reliquit.

Ante Annos 273. qui fuit CHRISTI 1292.

GVIDO de Baypho, Archidiaconus Bononiensis, vir in vtroq; iure peritissimus, vita & conuersatione plurimum insignis, Rhetor atque Orator sui temporis facilè omnium eloquentissimus ac celeberrimus, in Decretorum libros iij. In Decretales porrò v. libros absoluit.

Ante Annos 272. qui fuit CHRISTI 1293.

IACOBVS Genuēsis Episcopus, Ordinis Prædicatorum, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Poëta grauis, Orator facundus, multarumq; literarum & rerum peritus, qui ob frequentes sacrarum scripturarum allegationes Vorago nuncupatur, sanctorum Episcoporum, Martyrum atq; Doctorum vitas, & res præclarè gestas, insigni volumine, cui Lombardicæ Historiæ nomen inditum est, conscripsit. Chronicam Genuensium ad sua tempora deduxit. De opusculis B. Patris Augustini libros edidit. Sermones quoq; de B. virgine MARIA, & in solennibus habitos collegit.

S. LVCAS, Ordinis Minorum, Italus, ex Padua oriundus, vir sanctitate & doctrina, morib9, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, & sacrarum literarum scientia nemini secundus, Sermones ad populum habitos plures, quorum infinitus penè est numerus, aliaq; ingenij sui monimenta, quæ plurimum Ecclesiæ DEI afferunt momenti, posteritatis memoriæ consecrauit.

GVALTHERVS Reclusus, Anglicus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, inter cætera scripturarū monimenta, De mundi contemptu & vita solitaria, Meditationes præterea pias scripsit.

Ante Annos 271. qui fuit CHRISTI 1294.

PTOLOMEVS Lucensis, Ordinis Prædicatorum, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingeniosus Poëta, Historicus celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, historiam Romanorum Pontificum docto volumine complexus est.

BONIFACIVS VIII. Benedictus antea vocatus, natione Hernicus, patria Anagninus, familia Caietana nobili & honorata ortus, Luitfridi Equitis filius, & Alexandri IIII. Papæ ex nepte pronepos, Iuris vtriusque peritissimus fuit. Hic à Martino Papa II. Diaconus Cardinalis S Nicolai in carcere Tulliano, à Nicolao verò Papa IIII. Presbyter Cardinalis sanctorum Syluestri & Martini titulo Equitij creatus est. Cùm autem Cœlestinus

lestinus Papa v. spontè Pontificatu abdicasset, Neapoli in eius viuentis locum omnium Cardinalium suffragijs viij. calend. Ianuarij Pontifex Maximus renunciatus, Romam paulò pòst veniens apud S. Petrum xvj. calend. Februarij Anni Mccxcv. suæ coronationis insignia suscepit. Sedit in Apostolica sede Annos viij. M. ix. D. xix. Duplicem celebritatem, & Apostolis & Euangelistis, & quatuor Ecclesiæ Doctoribus, Gregorio, Augustino, Hieronymo, Ambrosio statuit. Idem etiam dum in vrbe veteri esset, B. Ludouicum ex regia Francorum stirpe ortum, vtpote ex Carolo secũdo ordinis S. Francisci professum, vt quidam volunt, in sanctos retulit. De Christianæ fidei & Romanorum Pontificum persecutionibus volumen scripsit. Edidit præterea sextum Pontificij Iuris Codicem, suo iussu à tribus doctissimis viris compilatũ, quibusdam decretis nouis à se additis. Cùm Imperatoribus, Regibus, Principibus, nationibus, populis, terrorem potius, quàm religionẽ inijcere conabatur: discordias inter Italos, maximè verò Genuenses & Venetos excitaret, Philippum Gallorum Regẽ excõmunicaret, captus est Anagniæ, & Romã perductus, vbi ex animi dolore perijt quinto Id. Octobr. Anno Mccciij. sepultus ad S. Petrum.

HVGO de Mancestria, Anglicus, fratrum Minorum, per Angliam prouincialis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, scripsit Philippi Francorum Regis iussu contra quendã impostorẽ Fanaticorum deliria, & Theologiæ compendium.

Ante Annos 270. qui fuit CHRISTI 1295.

ANDREAS, de Comitibus Signię, Anagninus, affinis Bonifacij viij. Pontificis, pronepos Alexandri Papæ iij. Ordinis Minorum, Presbyter Cardinalis S. Luciæ in Silice, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ętate nobilissimus, de partu virginis MARIÆ DEI Genitricis volumen scripsit.

Ante Annos 269. qui fuit CHRISTI 1296.

PETRVS de Palude, Gallus, Ordinis Prędicatorum, Decretorũ Doctor, vir disertissimus, non minus vita quã eloquentia spectatus, Orator facundus, Philosophus grauis, nec vlli Theologorũ secũd', Biblica scripta ferè oĩa Cõmẽtarijs illustrauit

docis-

doctiſsimis. Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Sermones quoq; in ſolennibus habitos ſcripſit.

HVGO, Ordinis Prædicatorum, Germanus, Argentoratenſis, vir admiratione omnium digniſsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingenioſus Poëta, tum præterea ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, Theologicæ veritatis compendium libris vj. complexus eſt. Quatuor libros in Sententias ſcripſit. Sermones quoque plures ad populum habitos confecit.

VMFRIDVS Neckton, Nordouolcas, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus atque Poëta, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, quæſtionum Theologicarum, lecturarum præterea quas vocant Scholaſticarum volumina confecit. Sermones elegantes atq; doctiſsimos ad populum habitos ſcripſit. Moritur in Anglia Anno CHRISTI Mccciij.

Ante Annos 268 qui fuit CHRISTI 1297.

CONRADVS de Halberſtat, Germanus, Ordinis Prædicatorum, ſacræ paginæ Doctor atque Profeſſor, vir diſertiſsimus, tam vita quàm eloquentia ſpectatus, Philoſophus, Rhetor atque Theologus ſuæ ætatis clariſsimus, magnam Bibliæ partem expoſuit. Sermones quoq; in ſolennibus habitos ſcripſit.

Ante Annos 267. qui fuit CHRISTI 1298.

LANDVLPHVS de Columna, Romanus, Carnotenſis Canonicus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus, Rhetor atque Theologus, Hiſtoricus celeberrimus, Romanorum Pontificum hiſtoriam à S. Petro ad ſua tempora deduxit.

GVILIELMVS Hothun, Anglicus, Ordinis Prædicatorum, per Angliam miniſter Prouincialis, vir cùm confeſsionis gloria tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus clarus, Orator eloquens, Theologus profundus, multarumque literarum & rerum peritiſsimus. Quatuor libros

Senten-

Sententiarum Lombardi exposuit, aliaque scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

GENTILIS de Monteflorís, Picenus, Ordínis Minorum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, lector sacri Palatij, Presbyter Cardinalis sanctorum Syluestri & Martini, titulo Equitij, vir doctißimus, nec vlli Theologorum secundus, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, inter cætera ingenij sui monimenta Sermones in solennibus habitos scripsit. Obijt Auinione Anno Mcccxij. Cadauer in Italiam relatum, Aßisij in Ecclesia S. Francisci sepultũ est.

Ante Annos 266. qui fuit CHRISTI 1299.

S. RAINERIVS Pisa, Italus, Ordinis Prædícatorum, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ, totiusq; bonitatis nobilißimus doctor, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, Theologus sacrarum legum exercitatißimus, summam de casibus, cui Pantheologiæ titulum dedit, duobus voluminibus ad fratres scripsit, aliaq; plura scripturarũ monimẽta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, reliquit.

S. HVGOLINVS, Patriarcha Constantinopolitanus, Ordinis fratrum eremitarum S. Augustini, sacrarũ legum Doctor eximius, Orator eloquens, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Quodlibetorum Scholasticorum volumen edidit. Sermones quoq; ad populum habitos complures scripsit.

GVILIELMVS Peralt, Ordínis Prædícatorũ, Gallus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilißimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus profundus, inter cætera scripturarum monimenta Cõmentarios prolixos de vitijs & virtutibus, qui vberem materiam concionãtibus suppeditant scripsit. De eruditione religiosorum volumen edidit. Sermones quoq; ad populum habitos plures confecit.

Ante Annos 265. qui fuit CHRISTI 1300.

GOLSCHERVS, S. Mathiæ Treuerensis, Benedictinæ professionis monachus, vir disertißimus, & in vtraque

Philosophia celeberrimus, non tantùm apud sacros, verùm & profanos scriptores celebris, De laudibus sanctorum Eucharij, Valerij atq; Materni doctissimos Commentarios absoluit. Gesta Treuirorum insigni volumine complexus est. Sermones quoque in solennibus habitos plures scripsit.

RICHARDVS Petronus, Senensis, V.I.Doctor, ex S.R.E. Vicecancellario Diacon' Cardinalis S.Eustachij, eximius veræ pietatis propugnator, Iureconsultus clarissimus, Theologus verò subtilissimus, vir sapiens & clarus ingenio, iussu Bonifacij Papæ viij. sextum Pontificij Iuris Codicem compilauit. Obijt Ianuę Año Saluatoris Christi Mcccxiiij. Auinione sepultus.

IACOBVS de Lusanna, Ordinis Prædicatorū, Philosophus insignis, Historicus celeberrimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, In Pentateuchum Mosis quinq; libros scripsit. Sermones in solennibus ad populum habitos edidit.

PHILIPPVS, Cācellarius Parisiensis, sacræ paginæ Doctor atq; Professor, vir cùm eloquentia clarus, tum sacrarum literarum quàm maximè peritus, fidei Christianæ constantissimus propagator & defensor, multa Ecclesiæ scripta reliquit, quorum duo tantùm, quæ Dominicorum sermonum expositionē inscripsit, circumferuntur. Extat & eius nomine summa Theologiæ, Romæ in basilica Lateranensi.

Ante Annos 264. qui fuit CHRISTI 1301.

HVBERTINVS de Casali, ex Franciscano monachus Carthusianus, Ioannis de Parma auditor quondā atq; discipulus, vir admiratione omnium dignissimus, CHRISTI amator & cultor insignis, Philosophus subtilis, Theologus profundus, doctissimos Commentarios, cui Arboris vitæ crucifixę titulum dedit, quinq; libris complexus est. Sermones præterea in solennibus habitos scripsit.

GERVASIVS Riccobaldus, Italus, Ferrariensis, vir tam diuinis quàm secularibus literis eruditus, Poëta, atque Orator perfectissimus, Historicus celeberrimus, vitas Romanorū Pontificum à S.Petro ad Annum CHRISTI Mccc. deduxit.

Ante Annos 263. qui fuit CHRISTI 1302.

IOAN-

IOANNES de Murro, Picenus, XIIII. Generalis minister Ordinis Minorum, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, lector sacri Palatij, Episcopus Cardinalis Portuensis S. Rufinæ, vir arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atq; sublimis, fidei propagator acerrimus, Sermones in solennibus habitos scripsit. Obijt Auinione Anno Mcccxij. ibidem ad Minores sepultus.

DYNVS Mugelanus, vtriusq; Iuris professor insignis, vir grauis & prudens, cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, iussu Bonifacij Papæ viij. post Archidiaconum apparatum solennem in Decretales scripsit. Sepultus est Bononiæ ad S. Dominici templũ, sepulchro humili quidem, sed ob tãti viri memoriam notissimo.

Ante Annos 262. qui fuit CHRISTI 1303.

IOANNES Dunso, natione Scotus, quẽ multi Doctorem subtilissimum vocant, & principem Theologorũ, ordinis Minorũ, Alexandri Alensis Anglici auditor quondã Parisijs atq; discipulus, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege Dei exercitatissimus, atq; sacris scripturis absolutissimus. De cognitione Dei volumen scripsit. Aliud Quodlibetorum confecit. Lucubrationes in sacra quatuor Euangelia & Epistolas Pauli absoluit. Quatuor libros Sententiarũ Lombardi exposuit. Sermones quoq; in honorem sanctorum habitos plures reliquit. Moritur in Agrippinatum vrbe Colonia ex apoplexia, Anno CHRISTI Mcccviij. ibidem ad Minores sepultus.

CÆSARIVS Heisterbacensis monachus, Ordinis Cistertiẽsis, Germanus, Coloniensis Diœceseos, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator perfectus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, ad imitationem D. Gregorij Pontificis, opus prolixum de miraculis & visionibus diuersis suo tempore factis in Germania, sub libris Dialogorum xij. complexus est. Sermones præterea in honorem Sanctorum habitos plures scripsit.

S. GERARDVS de Bononia, Ordinis fratrũ B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli vndecimus Prior generalis, sacræ paginæ Doctor Gymnasij Parisiensis, vir sanctus, comis, pacificus, eloquens & humanissimus, Philoso-

phus, Rhetor atq; Poëta, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, quæstiones ordinarias docto volumine complexus est. Aliud Quodlibetorum edidit. Quatuor Sententiarum libros Lombardi exposuit. Sermones præterea in honorem Sanctorum plures scripsit. Obijt Auinione Anno Saluatoris Christi Mcccxvij. ibidem ad Minores sepultus.

S. BENEDICTVS IX. frater Nicolaus Bocasinus antea vocatus, Taruisij humili ac penè sordido loco ortus, Ordinem Prædicatorum adolescens professus, per omnium dignitatum gradus ad ordinis magisterium ascendit: fuit enim primò sacræ Theologiæ lector, mox Prior localis, deinde Prouincialis, postea Doctor in Theologia, demum ordinis Magister. Ex quo Magistratu Presbyter Cardinalis à Bonifacio Papa viij. S. Sabinæ factus est, quo mortuo, cùm esset Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus, Romæ omnium Cardinalium suffragijs, in eius locum xj. calend. Nouembris Anni Mccciij. Pontifex Maximus renunciatus, vj. calendas Nouembris apud basilicam S. Petri coronatus fuit. Sedit in Apostolica sede Menses ix. D. vj. Ita vixit, vt post mortem inter sanctos meritò censeatur. Declarant hoc miracula à se post mortem edita, sanatis ægrotis, pulsisq; dæmonibus è cordibus obsessorum. Extant eius Sermones complures in solennibus habiti. Obijt Perusij Non. Iul. Anno Saluatoris Christi Mcccv. sepultus ibidem ad Prædicatores.

NICOLAVS de Prato, Tuscus, Ordinis Prædicatorum, Magister in Theologia, ex Episcopo Spoletano & Vicario Papæ in vrbe Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, cùm Sacras atq; profanas literas summè didicerat, De paradyso doctũ volumen scripsit. Obijt Auinione Anno Saluatoris Mcccxxj. sepult⁹ ibidẽ ad Prędicatores.

GVILIELMVS Anglicus, Ordinis Prædicatorum, sacræ paginæ Doctor, Confessor Regis Angliæ, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator, Theologus sacrarum legum exercitatissimus. Sermones in honorem Sanctorum & solennibus habitos plures scripsit.

Ante Annos 261. qui fuit CHRISTI 1304.

GVALTHERVS Anglus, Ordinis Prædicatorum, Theologiæ in Oxonia Magister, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, vir omni doctrinarũ genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus scripturarum diuinarum absolutissimus, Exhortationum ad Clerum volumen scripsit. Obijt Genuæ Calend. Septembr. Anni Mcccv. in itinere dum in Galliam proficiscitur. Cadauer in Angliam delatum, in Monasterio Ordinis sui sepultum est.

GVILHELMVS Guarronis, alijs de Vuarra, Anglicus, Ordinis Minorum, Ioannis Scoti præceptor, vir admiratione omniũ dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, Libros Sententiarum Lombardi exposuit. Quęstiones ordinarias, Lecturas quoq; Scholasticas conscripsit. Decrepita senectute venerandus, obijt Annum circiter CHRISTI Mcccxx.

S. DEMETRIVS Cydonius, Thessalonicensis, vir doctus æquè ac sanctus, Græca Latinaq; facundia præditus, patria decedens Mediolanum venit, vbi literis Latinis pariter & Theologiæ operam dedit. Thomæ Aquinatis libros in Græcum vertit sermonem, qui hodie in bibliotheca Vaticana cernuntur. Scripsit & contra Eunomium de diuinitate filij, postremò reuertens in Creta Alberto Augusto substitit, vbi erogatis in pauperes bonis, in quodam ibi Cœnobio persanctè, citra tamen professionem vixit pariterq; defunctus est.

RICHARDVS Clapole, Anglus, Ordinis Prædicatorum, vir disertissimus, tam vita quàm eloquentia spectatus, cùm non minus internis animi dotibus quàm externis diuitiarum opibus floreret, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Aduersus corruptorium Thomæ Commentarios quinque doctissimos scripsit. De immediata porrò DEI visione librum edidit.

Ante Annos 260. qui fuit CHRISTI 1305.

GVALTHERVS Vuinterborne, Saresbu-

rienſis, Ordinis Prædicatorum, vir admiratione omnium digniſſimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Theologus ſacrarũ legum ſcientia nemini ſecundus, Quæſtionum Theologicarum volumen ſcripſit. Sermones porrò elegantes atque doctiſsimos ad populum habitos edidit.

ALANVS de Inſulis, oppido Flandriæ, qui vniuerſalis meruit appellari, Germanus, ſacræ Paginæ Doctor, atque Profeſſor Gymnaſij Pariſienſis, vir diſertiſsimus, nõ minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Orator facundus, grauis & ingenioſus Poëta, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, inter cætera ingenij ſui monimenta, Oculum ſacræ ſcripturæ. De pœnitentia. De planctu naturæ Commentarios ſcripſit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Vtrumque Teſtamentũ doctis voluminibus illuſtrauit. Sermones præterea in ſolennibus habitos edidit. In Monaſterio Ciſtertienſi, ſarcophago marmoreo ſepelitur.

CLEMENS V. Raimundus del Goth antea vocatus, Bertrandi equitis filius, natione Gallus, prouincia Vaſconia, quæ ab antiquis Aquitania dicebatur, ex oppido Mihandran Diœceſis Burdegalẽſis ortus, à Bonifacio Papa viij. primò Epiſcopus Conuennarum, mox Archiepiſcopus Burdegalenſis creatus fuit. Qui poſt obitum Papæ Benedicti, cùm Cardinales inter ſe concordes eſſe non poſſent, vt vnum ex ſuo Collegio Pontificem orbi darent, poſt longum nouem Menſium, et dierum ſex interregnum, abſens: in Vaſconia enim ad ſuum Epiſcopatum Burdegalis commorabatur, & extra Collegium Cardinalium, Peruſij, in vigilia Pentecoſtes, videlicet Nonis Iunij, Anno Mcccv. Põtifex Maximus omnium Cardinalium ſuffragijs, & miro Cardinalis Pratenſis aſtu, Regi Francorum in hac re gratificari cupientis, renunciatus eſt: qui audita, & approbata electione ſua, Lugdunumq; ſequenti Auguſto veniens, omnes ad ſe ex Italia conuocauit Cardinales, ibiq; in Eccleſia S. Iuſti, pridie Idus Nouembris eiuſdem Anni ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit. Sedit autem in Apoſtolica ſede Annos viij. M. x. D. xvj. Coronationi Pontificis interfuere, & Philippus Rex Franciæ, eiuſque frater Carolus nuper ex Italia reuerſus, Ioannes Britanniæ Dux, qui

ruina

ruina muri oppressus moritur cum plerisque alijs, dum pompa coronationis, vt fit, per vrbem ducitur. Philippus quoque Rex ea ruina aliqua ex parte debilitatus est. Pontifex autem in tanta trepidatione ex equo deturbatus, solum carbunculum ex tiara amisit, pretij aureorum sex millium. Cœlestinum quintum, approbatis eius miraculis, in sanctos retulit, sub nomine Petri Confessoris Librum Clementinorũ à se compositum in Vienensi Cõcilio edidit, Sermones rursus ad populum habitos plures scripsit. Anno Domini Mcccxiij. duodecimo Calendas Maij in itinere Auinione Burdegalam proficiscens apud Rocam Manlam prouinciæ super Rhodanum oppidum mortuus est. Cadauer Burdegalam delatum in Ecclesia Cathedrali sepultum fuit.

THOMAS Anglus, Ordinis Prædicatorum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, Confessor Regis Angliæ Odoardi, ex prouinciali Angliæ, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, doctissimum de CHRISTI passione volumen confecit. Obijt in legationis Italicæ itinere ad Imp. Henricum vij. apud Allobroges, Anno Saluatoris Mcccxj. Cadauer in Angliam delatum, in Monasterio Prædicatorum Oxoniensi sepultum est.

Ante Annos 259. qui fuit CHRISTI 1306.

S. IACOBVS de Viterbio, Archiepiscopus Neapolitanus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ totiusq; bonitatis nobilissimus Doctor, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, & sacrarum literarum scientia nemini secundus, sanctissimæ vitæ Præsul, Quatuor Sententiarũ libros Lombardi exposuit. Quodlibetorum Scholasticorum volumen edidit. De regimine quoque Christianorum scripsit, & alia plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

NICOLAVS Farinula, Rothomagensis, Gallus, ordinis Prædicatorum, sacræ paginæ Doctor, Cõfessor Regis Francorũ Philippi, Presbyter Cardinalis S. Eusebij S.R.E. Archipresbyter, vir doctissim⁹, nec vlli Theologorũ secũdus, Philosopus subtilis,

subtilis, Orator facundus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit. Moritur Lugduni Anno Saluatoris CHRISTI Mcccxxiij. ibidem ad Prædicatores sepultus.

ROBERTVS Vualsingham, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, cõuentus Nordouicensis, Sacrarum legum Doctor eximius, Philosophus, Rhetor atque Poëta, quatuor libros in Sententias scripsit. Quæstiones ordinarias & solennes duobus voluminibus absoluit. Expsitiones in Ecclesiasten edidit. Sermones quoq; non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit.

OTTO, Heremitarum in Nariscis Ordinis Cistertiensis Abbas, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Historicus celeberrimus, Antecessorum Annales suorum doctissimis Commentarijs absoluit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Mcccviij. sepultus in Monasterio Vualdsassensi.

Ante Annos 258. qui fuit CHRISTI 1307.

THOMAS Iorsius, Anglicus, Ordinis Prædicatorum, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & orator eloquens, Poëta grauis, Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus. Quatuor libros Sententiarũ Lombardi exposuit. Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones quoq; plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, scripsit.

Ante Annos 256. qui fuit CHRISTI 1309.

GVILIELMVS Geynesburg, Anglicus, Ordinis Minorum, Vuigomiensis Episcopus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quæstionum Scholasticarum volumen, Sermones quoque in solennibus habitos scripsit.

RICHAR-

RICHARDVS Cricliaden, Ordinis Canonicorum regularium B. Patris Augustini, vir eruditione & eloquentia clarus, Theologus profundus, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus. De Connubio Iacob & Patrum testamento scripsit. Homilias porrò cùm doctas tum elegantes posteritati dicauit.

GVILIELMVS Ludlyngton, Anglicus, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimũ insignis, Philosophus clarus, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerũ peritissimus, Determinationũ Theologicarũ opus tam vtile quàm necessarium, eo anno quo Carthusiæ Cœnobium extra muros Moguntinos à Petro Archipræsule construitur, posteritatis memoriæ dicauit. Conscripsisse præterea fertur Cõmentarios haud vulgares in Euangelium Matthæi. Sermones quoque in honorem Sanctorum plures.

Ante Annos 255. *qui fuit* CHRISTI 1310.

GVALTHERVS Iorsius, Anglicus, Ordinis Prædicatorum, sacræ paginæ Doctor, vir cùm confessionis gloria tum vita & cõuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Theologus profundus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, Summam Theologiæ libris quatuor doctissimè complexus est. Scripsit & de peccato Originali volumen, aliaq; plura ingenij monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 254. *qui fuit* CHRISTI 1311.

ALEXANDER de Alexandria, Ordinis Minorum xvi. Minister Generalis, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Theologus sacrarũ legum exercitatissimus, quatuor libros Sententiarũ Lombardi exposuit.

RAYMVNDVS Lullius Eremita, & verbi diuini prædicator indefessus, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, in medicina eruditus, & diuinis literis longo studio exercitatus, Philosophus subtilis, multarumq; literarum & rerum peritissimus, De laudibus B. MARIÆ

virginis plura conſcripſit. Edidit & Prouerbiorum libros tres, in quibus varia quidem, præcipuè autem Theologica tractat.

Ante Annos 253. *qui fuit* CHRISTI 1312.

VVICHARDVS, Baro à Bolheim, Auſtriacus, ex Cathedralis baſilicæ Decano Archimyſta Salisburgenſis, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Hiſtoricus celeberrimus, multarúmque literarum & rerum peritiſſimus, Auſtriæ Hiſtoriã fideliter & luculentè ad Annum CHRISTI Mcccxij. deduxit.

GVILIELMVS Petri Godinus Baionenſis, Diœceſis Tholoſanæ, Vaſco, Gallus, Ordinis Prædicatorum, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, ex Prouinciali Tholoſano Lector ſacri Palatij, Presbyter Cardinalis S. Ceciliæ, Epiſcopus Sabinus, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm conuerſatione clarus, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Orator facundus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, De nuptijs CHRISTI & Eccleſiæ volumen ſcripſit. Obijt Auinione pridie Idus Iunij, Anno Mcccxxxvj. Cadauer in monte Peſſulano ad Prędicatores ſepultum.

GVIDO, Ferrarienſis Eccleſiæ Presbyter, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator & Poëta celebris, nec vlli Theologorum ſecundus, vtrumq; teſtamentũ doctiſsimo volumine Petrum de Riga imitatus expoſuit, cui Margaritę Bibliæ titulum fecit.

VITALIS de Furno Baſatenſis, Vaſco, Gallus, Ordinis Minorum, ſacræ paginæ Doctor, ex miniſtro prouinciæ Aquitaniæ Presbyter Cardinalis Sanctorum Syluestri & Martini, titulo Equitij, Epiſcopus Albanus, vir omni literatura doctiſsimus adeoq; ſubtiliſsimus rerum diuinarum interpres, Sermones in ſolennibus habitos ſcripſit. Obijt Auinione Anno Mcccxx. ſepultus ibidem ad Minores.

GVILIELMVS de Mandagoto, Gallus, Archidiaconus Nemauſenſis, ex Epiſcopo Auinionenſi Archiepiſcopus Ebredunenſis, Cardinalis Præneſtinus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus & Orator perfectus, Iureconſul-

tus celeberrimus, iussu Bonifacij Papæ viij. apparatum solennem in Decretales scripsit. Obijt Auinione Anno CHRISTI Saluatoris Mcccxxj.

Ante Annos 252. *qui fuit* CHRISTI 1313.

GERARDVS, Ordinis Prædicatorum, Germanus, Lector Conuentus Leodiensis, Philosophus & Rhetor insignis, Theologus profundus, volumen & doctum & necessarium de doctrina cordis perfecit. Sermones quoque plures ad diuersos scripsit.

RVPERTVS Holkoth, Anglicus, Ordinis Prędicatorum, & vitę instituto & doctrina vir clarus, cùm diuinis delectaretur scripturis, quatuor Sententiarũ libros Lombardi exposuit. In librum porrò Sapientiæ Salomonis, Prouerbia eiusdem, & Ecclesiasten scripsit. Sacra quatuor Euangelia Commentarijs illustrauit doctissimis, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

S. ODERICVS, de foro Iulij, Ordinis Minorum, vir omni doctrinarum genere & vitæ sanctitate clarus, Philosophus atque Orator eminentissimus, Theologus Sacrarum legum exercitatissimus, qui ob CHRISTI amorem Asiam & Indiam peragrauit, vbi prædicando, docendo, CHRISTI Saluatoris fidem euangelizans, multos ad semitam iustitæ conuertit, & beatorum Martyrum sacrata quatuor cadauera, ex Ormesta vrbe in Carense oppidũ honorificè transtulit, librum de diuersis ritibus & conditionibus huius mundi confecit: in quo peregrinationes suas, per multas & remotissimas Asiæ regiones describit. Sermones in honorem sanctorum habitos plures, quorum infinitus penè est numerus, aliaque ingenij monimenta posteritati consecrauit.

Ante Annos 251. *qui fuit* CHRISTI 1314.

PETRVS de Perpiniano, dictus Rimi, natione Cathalanus, Ordinis fratrũ B. MARIÆ semper virginis de mõte Carmeli, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis absolutissimus, Quæstiones Sententiarum docto volumine complexus est. Dauidis Psalterium exposuit. Sermones quoque in honorem sanctorum habitos plures edidit.

RICHARDVS Notyngham, Anglus, Sacræ Theologiæ Doctor, homo certè omnium qui tum fuere doctissimus, Orator eloquens, neq; vlli Theologorũ secundus. Quatuor Sententiarum libros Lombardi exposuit. Lucubrationes in Matthæum, Lucam & Epistolas Pauli ad Romanos, atq; Corinthios scripsit.

VOLCKMARVS, Furstenfeldensium Benedictinæ professionis Abbas, Ludouici ij. Rodolphi & Ludouici v. Bauariæ Ducum consiliarius, vir tam diuinis quàm secularibus literis eruditus, Poëta atq; Orator pfectus, Historicus celeberrimus, Annales Boiorũ ab irruptione eorũ in puincias Romanas, hoc est, ab Anno CHRISTI Dviij. ad Annũ Mcccxiiij. deduxit.

Ante Annos 250. qui fuit CHRISTI 1315.

GVILIELMVS Masset, Anglus, Ordinis Prędicatorum, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Theologus sacrarũ literarum scientia nemini secundus, in suorũ gratiam Quæstiones Ordinarias contexuit. De Angelis quæstiones vtilissimas confecit. Bibliorum expositiones absoluit. Deq; decem virginibus volumen scripsit.

S. NICOLAVS de Lyra, Anglicus, Ordinis Minorũ, Philosophus, Rhetor & Theologus, diuinus certè vir, atq; in monastica disciplina exercitatus, fide Catholicus, in lege DEI atq; sacris scripturis doctissimus, Hebręo & Latino instructus eloquio, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, religioni Christianę ac diuino honori cõsulens, ita vixit, vt vsq; ad tempora nostra vix parem habuerit, nedum superiorem, vel sanctitate vitæ, vel doctrina & scriptis, vtrumq; testamentũ Cõmentarijs illustrauit doctissimis. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Contra Iudæos scripta perfecit. De corpore CHRISTI volumen edidit. Et sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, pluraq; alia ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 249. qui fuit CHRISTI 1316.

GVILIELMVS de mõte Lauduno, Pictauiensis Benedictinæ professionis Abbas, Decretorũ Doctor, Oratorum facundissimus, sacrarumq; legum exercitatissimus. Summam de

de casibus docto complexus est volumine. De Sacramento præterea scriptum reliquit.

S. SIBERTVS de Beka, Germanus, patria Gelrensis, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior prouincialis, Germaniæ inferioris, Decretorum Doctor, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Theologus profundus, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt homine libero dignæ perpolitus, Quatuor Sententiarum libros Lombardi exposuit. Regulam Ordinis sui Commentarijs illustrauit doctissimis, aliaq; plura scripturarum monimēta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

THOMAS Chabham, Anglus, vir tam diuinis quàm secularibus literis eruditus, Orator perfectissimus, Theologus verò sacrarum legum exercitatissimus. De pœnitentia volumen. Aliud de peccatis scripsit. Sermones rursus in honorem sanctorum habitos plures absoluit.

IOANNES Canonicus, Ordinis Minorum, Ioannis Scoti in Gymnasio Parisiorum auditor quondam atq; discipulus, V. I. Doctor consumatissimus, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atq; sacris scripturis doctissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, aliaq; scripturarum monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, reliquit.

Ante Annos 248. qui fuit CHRISTI 1317.

IOANNES Glodeston, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir omni literatura doctissimus, adeoq; subtilissimus rerum diuinarum interpres, Quodlibetorum Scholasticorum duo volumina perfecit. Theologicas determinationes & Ordinarias quæstiones edidit. Euangelia Matthæi atque Ioannis exposuit. Psalterium Dauidis illustrauit. Canonicam Ioannis. Sententiarum quoq; libros Petri Lombardi Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

PETRVS de Verberia, dictus Aureoli, Ordinis Minorum, Archiepiscopus Aquensis, sacræ paginæ Doctor Gymnasij Parisiensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, sacra Biblia doctissimo abbreuiauit volumine. De conceptione B. MARIÆ semper virginis luculentum scriptum edidit. Sermones quoq; in honorem Sanctorum habitos plures scripsit.

ARNALDVS de Vetza Caturcensis, Vasco, Gallus, Ioannis xxj. Papæ sororis filius, Protonotarius Apostolic°, Diaconus Cardinalis S. Eustachij, in locũ Iacobi de Vetza Cardinalis fratris sui paulò antè mortui creatus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, in laudem B. MARIÆ virginis CHRISTI matris, multa cùm doctè tũ prudenter scripsit. Obijt Auinione Anno Mccccxxxviij.

RVPERTVS, Ordinis Prædicatorũ, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimũ insignis, sacrarum legum exercitatissimus, multarumq; literarum & rerũ peritissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones quoq; plures elegantes atque doctissimos posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 247. *qui fuit* CHRISTI 1318.

IOANNES Docreus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Historicus perfectus, De vita, passione, sepultura CHRISTI Martyris Areopagitæ Dionysij scripsit.

AVGVSTINVS de Ancona, Ordinis fratrum Eremitarũ S. Augustini, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus, Rhetor atq; Poëta celebris, Theologus profundus, ad Ioannem xxij. Pontificẽ opus cùm vtile tum necessariũ de Ecclesiastica potestate scripsit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Nouum Testamẽtum Cõmentarijs illustrauit doctissimis. De Spiritu sancto contra Græcos scriptum edidit. De potentijs animę, & introitu terrę promissio-

misśionis, aliaq; plura ſcripturarum monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 246. *qui fuit CHRISTI* 1319.

IOANNES de S. Geminiano, Ordinis Prædicatorũ, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Theologus ſacrarũ legũ exercitatiſsimus, De rerũ ſimilitudinib⁹ volumẽ ſcripſit. Collationũ diuerſarũ libros edidit. Sermones plures atq; doctiſsimos ad populũ habitos ſcripſit.

ALBERTVS de Padua, Ordinis fratrũ Eremitarum S. Auguſtini, Ægidij Romani auditor quondã atq; diſcipulus, vir omni doctrinarũ genere clarus, Philoſophus, Rhetor atq; Theologus ſuæ ætatis celeberrimus, Pentateuchũ Moſis Cõmentarijs illuſtrauit doctiſsimis, ſacra Euangelia quatuor voluminib⁹ expoſuit. Epiſtolas Pauli omnes elaboratis explicauit ſcriptis. Sermones quoq; cũ elegãtes tũ doctos ad populũ habitos ſcripſit.

PETRVS de Saxonia, Germanus, Ordinis Minorum, Decretorũ Doctor, vir ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, Orator ſui temporis facilè omniũ eloquẽtiſſimus, Summã caſuum docto volumine cõplexus eſt. Sermones preterea in honorẽ ſanctorũ & ſolennibus habitos plures ſcripſit.

Ante Annos 245. *qui fuit CHRISTI* 1320.

BERTRANDVS de Turre de Cãbolico, Caturcẽſis Diæceſis, Gallus, ordinis Minoũ, ſacrę paginæ Doctor, ex miniſtro Aquitanię Archiepiſcopus Salernitanus, Presbyter Cardinalis ſanctorũ Syluestri & Martini, Epiſcopus Tuſculan⁹, vir et moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus & Orator celebris, Theologus ſacrarũ legũ exercitatiſsimus, Quatuor libros Sententiarũ Lõbardi expoſuit. Sermones plures & doctè et eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit. Moritur Auinione Anno Mcccxxvij. ſepultus ad Minores.

GVILIELMVS de Athono, Anglicus, Ordinis Prædicatorũ, vir ſacrarũ literarũ ſtudijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac diſertus eloquio, princeps ſuæ ætatis Philoſophorũ, ſacrarumq; literarũ Doctor ſubtiliſsimus, in Eccleſiaſtẽ Cõmentarios ſcripſit. Matthęi Euangeliũ expoſuit. De virginibus decẽ volumen abſoluit.

ADA-

ADAMVS Godham, Anglicus, Ordinis Minorum, vir grauis & prudens, nobilissimus rerum diuinarum interpres, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, aliaq; plura scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 244. *qui fuit* CHRISTI 1321.

IOANNES de Alerio, Tholosanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli. xiij. Prior generalis, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Lucubrationes in Ecclesiasticum scripsit.

DAVID Obuge, Hibernus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus subtilis, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Biblia sacra Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones quoq; in honorem Sanctorum habitos plures edidit.

Ante Annos 243 *qui fuit* CHRISTI 1322.

FRANCISCVS Maronis, Ordinis Minorũ in conuentu Barchinonensi, Ioannis Scoti auditor quondam atq; discipulus, vir omni literatura doctissimus, adeoq; subtilissimus rerum diuinarum interpres, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures, elegantes atque doctissimos ad populum habitos scripsit, aliaq; plura scripturarum monimenta, Ecclesiæ DEI profutura, reliquit.

Ante Annos 242. *qui fuit* CHRISTI 1323.

RICHARDVS Fyshacker, Excestriensis Anglus, Apostolicæ vitæ vir, arcana atq; mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis, aliaq; plura scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 241. *qui fuit* CHRISTI 1324.

PETRVS

PETRVS de Casa, Lemouicēsis, Gallus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli xiiij. Prior generalis, Episcopus Basionensis, Patriarcha Hierosolymitanus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit. Sermones quoq; in honorem sanctorum habitos plures, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura, posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 240. qui fuit CHRISTI 1325.

PAVLVS de Perusio, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, sacræ paginæ Doctor, atq; Professor Gymnasij Parisiēsis, Philosoph⁹ insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, cùm sacras atq; profanas literas summè didicerat, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Quodlibetorum quoq; Scholasticorum volumen edidit.

ROBERTVS Eliphat, Anglicus, Ordinis Minorum, vir comis, pacificus, eloquens & humanissimus, Philosophus insignis, Orator facundus, tam diuinis scripturis eruditus quàm profanis literis egregiè doctus, Quatuor libros in Sententias scripsit, aliaq; plura ingenij sui monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, posteritati reliquit.

Ante Annos 239. qui fuit CHRISTI 1326.

IOANNES Vualsyngham, Nordouolcas, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atq; sacris scripturis absolutissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Commentarijs Prouerbia Salomonis illustrauit doctissimis. De cursu sacræ scripturæ volumē perfecit. De Ecclesiastica rursus potestate libros scripsit.

Ante Annos 238 qui fuit CHRISTI 1327.

IOANNES Raimundi Comes Conuennarum, Gallus, ex Episcopo Tholosano Episcopus Cardinalis Portuēsis et S. Rufinæ, vir oī doctrinarū genere clarus, Philosophus perfectus,

Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De passione Dominica volumen. Sermones quoq; plures in solennibus habitos scripsit. Obijt Auinione Mense Februario Anno Saluatoris Mcccxlix.

IOANNES Houuden, Anglicus, vir eloquētia nobilis, Apostolicaq; doctrina insignis, qui sacras atq; profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, ex vtroq; Testamento collegit flores, ac de lyra dulcissima, passione quoque Dominica Commentarios scripsit.

ANNIBALDVS de Ceccano Romanus, ex Archiepiscopo Neapolitano Episcopus Cardinalis Tusculanus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Poëta grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, vitas beatorū Petri & Pauli CHRISTI Apostolorum doctissimis Cōmentarijs heroico versu conscripsit. Obijt Mense Iulio Anno Mcccl. in Campania, legatione Neapolitana. Cadauer Romam relatum, pompa solenni ad S. Petri basilicam sepultum est.

Ante Annos 237. *qui fuit* CHRISTI 1328.

IOANNES Beleth, sacræ paginæ Doctor, atq; Professor Gymnasij Parisiensis, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Doctor eloquens, cùm diuinis delectaretur scripturis, De diuinis officijs volumen. Sermones porrò elegantes atq; doctissimos scripsit.

MATTHÆVS Vrsinus de monte Iordano, Romanus, Ordinis Prædicatorum, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, ex prouinciali Romano Episcopus Agrigentinus, pòst Archiepiscopus Sypontinus, Presbyter Cardinalis sanctorum Ioannis & Pauli titulo Pammachij, Episcopus Sabinus, insigni spectatáque virtute præditus vir, Philosophus insignis, Orator facundus, Theologus celeberrimus, multarumq́ue literarum & rerum peritissimus, De authoritate Ecclesiæ circa scripturas volumen absoluit. Moritur Auinione xv. calend. Septembr. Anno Mcccxlj. Cadauer Romam relatum, in Ecclesia Prædicatorum S.MARIÆ super Mineruam sepultum est.

IOANNES Andreas, fons & tuba Iuris Canonici, Italus, patria Bononiensis, I. V. Doctor omniũ celeberrimus, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, in Iuris Ciuilis scientia Martinum de Sulmannis audiuit, Canonici tamen longè studiosior fuit, quapropter in eo solo suis scriptis illustrando postea elaborauit. Hunc Ludouicus Romanus omnium hominum præstantissimum appellauit. De laudibus S. Patris Hieronymi quatuor libros scripsit. Apparatus solennes super Decretales, in Sextum & Clementinas confecit. Tempore pestilentissimo ingruente Bononiæ moritur, Anno Mcccxlviij. sepultus ibidem ad Prædicatores.

Ante Annos 236. qui fuit CHRISTI 1329.

GVILIELMVS, Haffligemensis Benedictinæ professionis monachus, Germanus, homo certè omnium qui tum fuere doctissimus, Poëta grauis, Orator eloquens, neq; Theologorum vlli secundus, vitam S. Lutgardis docto volumine perfecit. Visionum volumẽ scripsit. Sermones præterea in honorem Sanctorum habitos plures reliquit.

OSBERTVS Pyckenham, Anglicus, Ordinis fratrũ B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, in Lynnensi Nordouolcarum Cœnobio, vir eruditione iuxtà & eloquẽtia clarus, Orator perfectissimus, Theologus sacrarum legum absolutissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De conceptione B. MARIÆ virginis volumen confecit. Sacra Biblia Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones rursus cùm elegantes tum doctos scripsit.

Ante Annos 235. qui fuit CHRISTI 1330.

ASTESANVS de Ast, Ordinis Minorum, Decretorum Doctor, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, Philosophus insignis, Iureconsultus celeberrimus, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, inter cætera ingenij sui monimenta Summam de casibus octo libris absoluit.

S. GVIDO Perpinianus, patria Cathalanus, ordinis fratrũ B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli xij.

Prior generalis, Maioricensis Eluensisq; Ecclesiarum Episcopus, vir sanctus, tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus insignis, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus. De perfectione vitæ Catholicæ volumen. Aliud de concordantia Euangelistarum scripsit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, aliaque ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

GVALTHERVS Burleus, Anglicus, vir vndecunque doctissimus, Philosophus insignis, Poëta grauis, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, aliaq; plura scripturarum monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, posteritati reliquit.

Ante Annos 233. *qui fuit* CHRISTI 1332.

VDALRICVS à Lentzenburg, ex Anachoreta Churiensis Episcopus, Germanus, sacræ paginæ Doctor, vir genere quidem nobilis, sed virtute & doctrina illustrior, Philosophus clarissimus, Rhetor insignis, Historicus celeberrimus, & suæ ætatis subtilissimus scripturarum diuinarum interpres, sanctorum Lucij & Amisonis Pontificum vitas doctissimè perfecit. Moritur Anno Saluatoris CHRISTI Mccclv. in Cathedrali Churień. basilica sepultus.

Ante Annos 232. *qui fuit* CHRISTI 1333.

IOANNES de sancta fide, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Doctor eloquens, in Euangelia sanctorum Matthæi atq; Ioannis expositiones scripsit. Canonicam Ioannis Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones rursus cùm elegantes tum doctos, aliaq; scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Moritur Burnehamiæ Anno Saluatoris Mccclix.

S. LVDOLPHVS, Saxo, Germanus, Ordinis Carthusiensium, domus Argentoratensis, vir doctrina, moribus, & vitæ sanctitate nemini secundus, princeps suæ ætatis Philosophorum,

phorum, dicendi artifex & Doctor eloquens, Theologus sacrarū legum exercitatissimus, vitam Domini nostri Saluatoris IESV CHRISTI duobus voluminibus doctissimè complexus est. Psalterium Dauidis illustrauit, aliaque ingenij sui monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, posteritatis memoriæ consecrauit.

MONALDVS, Ordinis Minorum, sacræ paginæ Doctor, atque Iureconsultus celeberrimus, vir doctissimus & humanissimus, non minus vita quàm conuersatione præclarus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures in honorem Sanctorum habitos scripsit.

PETRVS de Lutra, Monachus Ordinis Præmonstratensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, Theologus sacrarum legum consumatissimus, inter cætera scripturarum monimenta quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Euangelium B. Ioannis Cōmentarijs illustrauit doctissimis. Ad Balduinum Archiepiscopum de prærogatiuis Ecclesiæ Treuerensis scripsit. Septenarium candelabrorum de Summi Pontificis eminentia tribus voluminibus absoluit. Contra Micaëlem Cæsenatem Minoritam & ei adhærentes, qui Pontificem impugnabant Romanum, Cōmentarium edidit. Sermones quoque plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, posteritati reliquit.

Ante Annos 231. *qui fuit* CHRISTI 1334.

GVILIELMVS Thorney, Anglus, Benedictinæ professionis Monachus, vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Vitas aliquot sanctorum doctis Commentarijs complexus est.

BENEDICTVS X. frater Iacobus antea vocatus, natione Gallus, prouincia Tholosana, ex oppido Sauarduno Diœcesis Appamiarum, familia quæ Forneria dicebatur ortus. Hic primò fuit Monachus Cistertiensis, Abbasq; Monasterij Fōtis frigidi, & Sacræ Theologiæ Magister eximius, mox factus Epi-

ſcopus Appamiarum, deinde Mirapicenſis, demum Presbyter Cardinalis S. Priſcæ à Ioanne Papa xxj. creatus, Cardinalis Albus appellabatur. Mortuo verò Ioanne Papa Auinione ad Prædicatores, omnium Cardinalium ſuffragijs xiij. Cal. Ianuarij Anni Domini Mcccxxxiiij. Pontifex Maximus renunciatus, ibidem viij. Cal. Ianuarij ſuæ coronationis inſignia ſolenniter ſuſcepit. Sedit autem in Apoſtolica ſede Annos vij. M. iiij. & D. vj. Tantæ conſtantiæ fuit, vt dimoueri à recto vel vi vel precariò vel pollicitationibus nunquam potuerit. Bonos enim diligebat, & viciſſim malos ac ſceleratos apertè odio habebat. Expoſitionem regulæ D. patris Benedicti ſcripſit. Moritur Auinione vij. Calend. Maij in Palatio Apoſtolico quod ipſe fabricauerat, Anno Domini Mcccxlij. Cadauer eius ibidē in Cathedrali Eccleſia S. MARIÆ de Donis ſepultum eſt.

Ante Annos 230. qui fuit CHRISTI 1335.

GERARDVS Odonis, Ordinis Minorū xviij. miniſter generalis, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus & Rhetor inſignis, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, quatuor libros in Sententias ſcripſit. Maiorem Bibliæ partem expoſuit. Officium quoque ſtigmatum S. Franciſci compoſuit.

BERTRANDVS de Deucio, oppido Blandiaco, Vticenſis Diæceſis, Gallus, Legum Doctor, ex Archiepiſcopo Ebredunenſi Presbyter Cardinalis S. Marci, S.R.E. Vicecancellarius, Epiſcopus Sabinus, vir admiratione omnium digniſsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingenioſus Poëta, tum præterea ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, vitam & paſsionem CHRISTI Saluatoris noſtri Sapphico carmine doctiſsimè complexus eſt. Obijt Auinione xij. Calend. Nouembr. Anno Mccclv. ſepultus ibidem in Eccleſia S. Deſiderij à ſe fundata.

Ante Annos 229. qui fuit CHRISTI 1336.

IOANNES de Blomendal, Germanus, Ordinis Minorum, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumq;

rumq; literarum & rerum peritißimus, Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ D E I profutura posteritatis memoriæ consecrauit.

LVDOLPHVS, Suchensis Ecclesiæ Pastor, insigni spectataq; virtute præditus vir, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarum literarum Doctor subtilißimus, scripsit ad Baldeuinum Comitem de Stainfort Padebornensis Ecclesiæ Episcopum librum de terra sancta, & sua ad Hierosolymitanos profectione, & de mirabilibus q̃ in mari mediterraneo conspiciuntur, in quo omnia quæ per quinquennium in Palæstina vidit, & experientia didicit, enumerat.

ALPHONSVS Bonthominis, Ordinis Prædicatorum, Hispanus, vir omni literatura doctißimus, ex Arabica lingua in Latinam transtulit Epistolam Rabbi Samuelis Iudæi missam ad Rabbi Isaac, qua Prophetarum dictis CHRISTVM IESVM verum Meßiam venisse, passum, mortuum esse, ac resurrexisse, cœlos ascendisse, secundusq; eius aduentus pulcherrimè commonstratur.

Ante Annos 228. *qui fuit* CHRISTI 1337.

IOANNES Folsham, Nordouolcas, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex atque Orator eloquens, Theologicas Quæstiones confecit. De matrimonio volumen scripsit. Sermones quoque in honorem Sanctorum plures absoluit. Obijt Nordouici Anno Saluatoris Mcccxlviij.

Ante Annos 227. *qui fuit* CHRISTI 1338.

BARTHOLOMEVS Pisanus, Ordinis Prędicatorum Sacrosanctæ Theologiæ & Decretorũ Doctor, Philosophus insignis, Iureconsultus celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, Summam quam Magistruciam inscripserat posteritatis memoriæ consecrauit.

S. SIMON de Caßia, Ordinis fratrum Eremitarum D. patris Augustini, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, princeps suæ ætatis Philoso-

Philoſophorum, Rhetor inſignis, Theologus ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, Geſta Saluatoris CHRISTI, Sacra quatuor Euangelia illuſtrando libris xv. expoſuit. De doctrina Chriſtiana ſcriptum perfecit. De diſciplina ſpiritalium volumen edidit. De patientia rurſus & ſpeculo Crucis libros ſcripſit, aliaq; plura ingenij ſui monimenta, Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 226. qui fuit CHRISTI 1339.

ALPHONSVS, Epiſcopus Hiſpalenſis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, & vitæ inſtituto & doctrina vir clarus, Philoſophus & Orator celebris, Theologus verò profundus, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit.

ALBERTVS, Comes ab Hohenberg, ex Cathedralis baſilicæ Conſtantienſis Canonico primò Herbipolenſis, pòſt Friſingenſis Epiſcopus in Bauaria, Decretorum Doctor, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, ſacrarum legum exercitatiſsimus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, vitas Sanctorum Chiliani, Colonati atque Totnati, Doctiſsimis Commentarijs complexus eſt. Obijt Friſingæ Anno Saluatoris CHRISTI Mccclix.

Ante Annos 225. qui fuit CHRISTI 1340.

IOANNES de Saxo, alijs de Saxonia, Ordinis Minorum, ſacræ Theologiæ Magiſter, Decretorum Doctor, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, veterũ lectione diues, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Iureconſultus celebris, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Summam de caſibus diſerto volumine ſcripſit. Sermones elegantes atque doctiſsimos, aliaq; plura ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

S. ALBERTVS Brixianus, Ordinis Prædicatorum, vir doctrina & vitæ ſanctitate ſpectatus, Philoſophus, Rhetor & Iureconſultus inſignis, Theologus verò profundus, Sũmam de caſibus. Sermones quoque plures in honorem Sanctorum ſcripſit.

BER-

BERNARDVS Parentinus, Ordinis Prædicatorum, vir omni doctrinarũ genere clarus, Philoſophus & Orator eminentiſsimus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, tremendum & impollutum, vitaleq; Miſſæ Sacramentum doctiſsimis Commentarijs expoſuit. Sermones quoque plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

GERARDVS Senenſis, Italus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Ægidij Bonanni auditor quondam atque diſcipulus, vir omni literatura doctiſsimus, in vtroq; iure celeberrimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atque ſacris ſcripturis abſolutiſsimus, primum librum Sententiarum Lombardi expoſuit.

Ante Annos 224. *qui fuit* *CHRISTI* 1341.

GALFRIDVS Alŋ euant, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Orator eloquens, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Commentarios in Lucam doctiſsimos. Sermones quoque plures ad populum habitos ſcripſit.

Ante Annos 223. *qui fuit* *CHRISTI* 1342.

CLEMENS VI. frater Petrus Rogerŋ antea vocatus, natione Gallus, ex prouincia Tholoſana, oppido Malmonte, Lemouicenſis Diœceſis, ex familia Monſtria originem duxit. Fuit autem profeſſus monachus in monaſterio Caſæ DEI, Claromontenſis Diœceſis, qui Lutetiæ Pariſiorum Theologiæ Magiſterium aſſumpſit, Decretorum Doctor. Primò autem Prior Conuentualis monaſterij, mox Abbas Fiſcanenſis in Nortmandia, deinde Archiepiſcopus Arelatenſis, poſtea Senonenſis, pòſt Rhotomagenſis factus fuit. Demum à Benedicto Papa x. Presbyter Cardinalis ſanctorum Nerei & Achillei creatus eſt. Quo mortuo in eius locum Auinione à Cardinalibus in monaſterio Prædicatorum Nonis Maij Anni Mcccxlij. Pontifex Maximus renunciatus ibidem xiiij Cal. Iunij. die Pentecoſtes coronatus eſt. Sedit

autem in Apoſtolica ſede Annos x. & Menſes vij. vir multæ doctrinæ compoſitæq; eloquentiæ, liberalis in omnes, comis & perhumanus. Auenionem Franciæ vrbem emit. In Canonizationem Iuonis volumen. Aliud in approbationem Caroli Regis. Sermones quoque in ſolennibus habitos ſcripſit. Obijt Auinione in Palatio Apoſtolico viij. Idus Decembris Anno Mccclij. eius Cadauer primò in Eccleſia Cathedrali Auinionenſi ſepultum fuit, pòſt ad Monaſterium Caſæ DEI, vbi religionis habitum ſumpſerat, delatum, ibidem honorificè conditum eſt.

IOANNES Calderini, Italus, patria Bononienſis, Ioannis Andreæ auditor quondam atque diſcipulus, Canonici Iuris Profeſſor, non eruditione tantùm, verùm etiam vitæ integritate celebris, vt à multis Scriptoribus Doctor magnę ſcientiæ ſanctæque vitæ appellaretur, Apparatum ſolennem in Decretales ſcripſit. De interdicto Eccleſiaſtico librum abſoluit.

S. GERARDVS, Epiſcopus Sauonenſis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, patria Bergomenſis, Sacroſanctæ Theologiæ & Decretorum Doctor, magna vir fama ſanctitatis pariter & doctrinæ, Philoſophus, Rhetor atque Poëta, cùm Chriſtianæ profeſsionis ſtudioſiſsimus eſſet, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Commentarios in Epiſtolam Pauli ad Hebræos, & Cantica Canticorum Salomonis doctiſsimos ſcripſit. Quodlibetorũ porrò Scholaſticorum volumen edidit. In vj. quoque Decre. de reli.do.libros abſoluit.

GERARDVS Domarus Lemouicenſis, ex prouincia Tholoſana, Gallus, Clementis vj. Papæ Sororis filius, Ordinis Prædicatorum xvij. Magiſter de conuentu Briuenſi, Sacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Sabinæ, vir admiratione omnium dignifsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Hiſtoricus celeberrimus, tum præterea Sacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, Sermones plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit. Obijt Tholoſæ, Anno Mcccxlv. ibidem ad Prædicatores ſepultus.

BARTHOLOMÆVS de Oſa, patria

Bergomensis, Historicus celeberrimus, Oratorum facundissimus, Sacrarumque legum exercitatissimus, Historiam Pontificum & Rom. Imperatorum splendidissimè ornatissimeque xvj. libris exposuit.

Ante Annos 223. qui fuit CHRISTI 1342.

S. THOMAS de Argentina, Germanus, Ordinis fratrum Eremitarum D. patris Augustini Prior generalis, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus & sublimis, Quatuor libros Sentētiarū Lombardi exposuit. Constitutiones porrò Ordinis sui scripsit.

BENEDICTVS Icenus, Anglus, Episcopus Cardicensis, insigni spectataq; virtute præditus vir, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarum literarum Doctor subtilissimus, Sermones plures cùm elegantes tum doctos ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 222. qui fuit CHRISTI 1343.

PETRVS Raymundi, de Insula grassa, Gallus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, xv. Prior generalis, vir disertissimus, non minus vita quàm cōuersatione clarus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit.

RICHARDVS Radulphi, Oxoniensis Gymnasij Cancellarius, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Philosophus subtilis, Orator facundus, Theologus Scripturarum diuinarum absolutissimus, in laudem B. MARIÆ virginis CHRISTI Matris multa cùm doctè tum prudenter scripsit. Quatuor rursus Sententiarum libros Lombardi exposuit. Moritur Anno CHRISTI Mccclix.

Ante Annos 221. qui fuit CHRISTI 1344.

THOMAS de Hales, Anglicus, Ordinis Minorum, vir cùm confeſsionis gloria tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, ſacrarum legum exercitatiſsimus, multarumque literarum & rerum peritiſsimus, Diſputationum Scholaſticarum volumen edidit. Vitam B. MARIÆ virginis CHRISTI matris docto volumine complexus eſt. Sermones quoque plures in honorem Sanctorum habitos ſcripſit.

HVGO Vyrley, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Nordouicenſis Collegij, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, veterum lectione diues, ingenio ſubtilis, & clarus eloquio, Theologus diuinarum ſcripturarum abſolutiſsimus, Euangelium S. Matthæi Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. Sermones porrò cùm elegantes tum doctos ad populum habitos ſcripſit.

DVRANDVS de S. Portiano, vocatus Cuno de Crobſperg, Ordinis Prædicatorum, Ananernenſis Archiepiſcopus, vir eruditione & eloquentia clarus, Philoſophus inſignis, Poëta grauis, Theologus profundus, multarumq; literarum & rerum peritus, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. De inſtructione cleri volumen edidit. Sermones quoque plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mccclviij. ſepultus Nemetum Auguſtæ Spiræ ad Prædicatores, ante Altare maius, iuxta Vualranum Comitem de Veldentz & Sara ponte, Spirenſium Antiſtitem.

Ante Annos 220. *qui fuit CHRISTI* 1345.

HENRICVS de Vrimaria, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Germanus, Sacroſanctæ Theologiæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Pariſienſis, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, Iureconſultus clariſsimus, Theologus Sacrarum legum exercitatiſsimus, quatuor libros in Sententias ſcripſit. Florum ex collatione Patrum libros xxiiij. collegit. De perfectione hominis & incarnatione verbi volu-

bi volumina confecit. De Missarum celebratione scriptum, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

S. IOANNES de Bachone, alijs Bachontorpe, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Decretorum Doctor atque Professor Gymnasij Parisiensis, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate atq; religione maximè illustris, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, Iureconsultus celebris, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De conceptione B. MARIÆ virginis volumen absoluit. Vtriusque Testamenti scripta omnia & singula Commentarijs in hunc vsque diem extantibus illustrauit. Libros de æternitate DEI. De fide & baptismo. De dignitate Ecclesiæ. Contra idololatriam. Contra Iudæos. De perfectione iustitiæ. In Canones Pontificum. Contra vanitates seculi scripsit. Expositiones porrò in Augustinum de Ciuitate DEI & Trinitate, in Anselmum de incarnatione verbi, & cur DEVS homo. De paupertate CHRISTI volumen, aliaque plura scripturarum monimenta posteritati reliquit.

IOANNES Olney, Anglicus, ordinis Carthusiensium, Philosophus insignis, Orator sui temporis facilè omnium eloquentissimus, Theologus verò consumatissimus, De miraculis diuæ virginis MARIÆ quinque libros, Meditationum porrò solitariarum volumen scripsit.

Ante Annos 219. qui fuit CHRISTI 1346.

HENRICVS Brandshavv, Anglicus, Benedictinæ professionis monachus, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, nec vlli Theologorum suæ ætatis secundus, vitam S. Vuerburgæ virginis docto volumine scripsit.

IOANNES Gualensis, Anglicus, cognomento Iunior, sacræ paginæ Doctor, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

IOANNES de Beka, Germanus, Ecclesiæ Traiectensis Canonic⁹, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, Historicus celeberrimus, carminibus & prosa laudatus, Traiectensium Pontificum & Comitum Hollandinorum historiam facundè descripsit, à tempore S. Vuillibrordi primi Pontificis, vsque ad Ioannem Episcopum, & Guilielmum Hollandiæ Ducem, ad Annum CHRISTI Mccccxlvj.

· NICOLAVS Dorhin, ex Dunelmensi Septentrionalium Angliæ partium Diæcesi oriundus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, in Conuētu Oxoniensi, sacræ paginæ Doctor, insigni spectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum literarum peritiam toto orbe clarus, fidei propagator acerrimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Contra Vuicleui doctrinam volumen scripsit

Ante Annos 218. *qui fuit CHRISTI* 1347.

HVGO de Ductona, Anglicus, ordinis Prædicatorum, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, vir disertissimus non minus vita quàm eloquentia spectatus, Disceptationum Scholasticarum volumen. Sermones quoque in honorem Sanctorum habitos plures scripsit,

IOANNES de Hisdinio, ordinis fratrū hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani, sacræ paginæ Doctor atq; Professor Gymnasij Parisiensis, Rhetor insignis, Philosoph⁹ subtilis & ingeniosus, qui sacrarū literarū studio & peritia, publicisq; scripturæ enarrationibus & disputationibus admirationem omnium promeritus est, Nouum Testamentum doctissimis illustrauit Commentarijs. Biblica scripta ferè omnia exposuit. De annunciatione Dominica volumen scripsit. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit.

S. BERNARDVS, Cassinensis Benedictinæ professionis Abbas, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarū scripturarū interpretatione altus & sublimis, Philosophus,

Orator & Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Expositionem in regulam Benedictinam. Sermones quoque & elegantes & doctissimos scripsit.

Ante Annos 217. qui fuit CHRISTI 1348.

S. PETRVS Thomas, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, primùm Episcopus Pacensis, deinde Cretensis Archimysta, & Patriarcha Constantinopolitanus, sacræ paginæ Doctor, vir vtiq; religiosus, innocentis vitæ, & bonus pastor, Philosophus & Orator celebris, Theologus profundus, non minus doctrina quàm vitæ sanctitate Pontifex clarus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones quoq; in solénibus habitos scripsit. In Cypro sepelitur, Annum circirer Saluatoris CHRISTI Mccclxj.

THOMAS Stubes, Anglus, ordinis Prædicatorum, vir doctissimus, & in monastica disciplina exercitatus, nec vlli suę ætatis Theologorum secundus, De constitutis Ecclesiæ libros edidit. De vita solitaria Commentarium. De arte quoq; moriendi volumen scripsit.

HENRICVS de Erfordia, Germanus, Philosophus insignis, Historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, De casibus conscientiæ & factis memorabilibus Commentarios edidit. Sermones quoq; plures cùm elegantes tum doctos scripsit.

HENRICVS, Isnensis Benedictinæ professionis Abbas, in Sueuia, vir omnium doctrinarum consumatissimus, Græcæ, Latinæ & Hebraicæ peritus, Orator facundus & disertus, Poëta grauis atque ingeniosus, cùm constanter sacræ Philosophiæ incumberet, De tribus custodijs monasticis volumen heroico versu doctissimè scripsit. Is cum toto Conuentu suo legitur vno die mortuus, Anno Domini Mcccl. incuria coci, qui ollam, cui Bufo aut aliud quoddam Venenosum insectum irrepserat, nec inspectam prius, nec purgatam cum iniectis carnibus foco apposuerat, quas carnes quicunque vorassent, veneni merito extincti sunt.

Ante

Ante Annos 216. *qui fuit* CHRISTI 1349.

RADVLPHVS Radiptorius Anglus, Ordinis Minorum, vir sacrarum literarum scientia consumatissimus, Philosophus & Rhetor insignis, Theologorum sui seculi princeps, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

IOANNES Dencock, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Germanus, ex Saxonia oriundus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit, Sermones quoq; plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus absoluit.

Ante Annos 215. *qui fuit* CHRISTI 1350.

HERMANNVS de Schildis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Conuentus Spirensis, Germanus, vir in monastica disciplina exercitatus, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atq; sublimis, Philosophus, Orator & Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Iureconsultus celeberrimus, multa commentatus est in primum Sententiarum Lombardi, & Cantica Canticorum Salomonis, Canonem Missæ exposuit, deq; horis Canonicis & xlij. mansionibus libros edidit. Commentarios in Genesim, in Hexameron, & aliquot Psalmos eleganter scripsit. Composuit quoq; libros de materia Canticorum. De quatuor sensibus scripturæ. Contra flagellatores. De conceptione S. MARIÆ virginis, qui non parum emolumenti afferunt Ecclesiæ CHRISTI.

PETRVS Bertrandi, Gallus, Episcopus Antisiodorensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Episcopus Ostiensis & Veliternus, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, princeps suæ ætatis Philosophorum, nec vlli Theologorum secundus, scripsit de origine iurisdictionum, seu de duabus potestatibus temporali & spirituali. Obijt ex peste Auinione iij. Idus Iulij Anno Mccclxj.

GVILIELMVS de Agrifolio, Gallus, monachus Cluniacensis, ex Priore Conuentuali S. Petri de Abbatis villa,

villa, Ambianensis Diæcesis, Archiepiscopus Cæsaraugustanus, Presbyter Cardinalis B. MARIÆ Transtyberim, tituli Calisti, Episcopus Sabinus; vir omni literatura consumatissimus, Poëta grauis, dicendi artifex, & Doctor eloquens, nec vlli Theologorum secundus, ita vt sui temporis Magistros literarum scientia, eruditione & doctrina antecelleret, Sermones plures in solennibus habitos scripsit. Obijt Viterbij iiij. Non. Octobr. Anno Mccclxix. sepultus ibidem ad Trinitatis Ecclesiam.

ROBERTVS Vuorsop Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Anglicus, ex Eboracensi Comitatu natus, Philosophus grauis, Orator facundus, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, studiorum & obseruator & cultor insignis. Primum librum Sententiarum Lombardi Cōmentarijs illustrauit doctissimis, Sermones præterea cùm elegantes tum doctos ad populum habitos scripsit.

PASTOR Prouincialis, Gallus, Ordinis Minorum, Conuentus Albenaci, sacræ paginæ Doctor, Archiepiscopus Ebredunensis, Presbyter Cardinalis sanctorum Syluestri & Martini, titulo Equitij, vir & doctrina & pietatis studio insignis, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, de factis memorabilibus suo tempore in Ecclesia scripsit. Obijt Auinione Anno Mccclijij. ibidem ad Minores sepultus.

Ante Annos 214 qui fuit CHRISTI 1351.

IOANNES de Tambacho, Germanus, Ordinis Prædicatorum, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Theologus sacrarum legum consumatissimus, opus insigne contra sæuientis aduersæ fortunæ iacula, cui consolationis Theologicæ titulum fecit, libris xv. doctissimè complexus est. Volumen de sensibilibus delitijs Paradysi. Sermones quoque plures ad populum habitos scripsit.

IOANNES de Morlandinis, Lemouicensis, ordinis Prædicatorum, de Conuentu Briuensi, Prouinciæ Tholosanæ, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, inquisitor Tholosanus, sacri

o Palatij

Palatij lector,& xx.Ordinis Magister,Presbyter Cardinalis S.Sabinæ,Philosophus, Rhetor atq; Theologus profundus, Christianæ fidei cultor magnificus, de reparatione lapsi volumen non minus doctè quàm eleganter scriptum posteritati reliquit. Obijt Auinione Anno Mccclviij.sepultus Tholosæ ad Prædicatores.

LVDOVICVS alijs Lupoldus, Baro de Bebenberg Spirensis, Moguntinus atq; Herbipolensis Canonicus, Ecclesiæ Bambergensis Antistes, Germanus, Ioannis Andreæ Bononiensis auditor quondam atque discipulus, Decretorum Doctor, vir vndecunque doctissimus, vitæ & morum conuersatione clarus, Philosophus insignis, Poëta grauis, Iureconsultus celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, Germanorum veterum Principum zelum & feruorem in Christianam religionem DEIque ministros ad Rodolphum Saxoniæ Ducem docto volumine scripsit.Obijt Bambergæ Anno Saluatoris CHRISTI Mccclxiij.

Ante Annos 213. *qui fuit CHRISTI* 1352.

S.MICHAEL de Massa,Ordinis fratrū Eremitarū B.Patris Augustini,vir fide Catholicus,in lege DEI exercitatissimus atq; sacris scripturis doctissimus,Quatuor libros Sentētiarum Lombardi exposuit, vtrunq; ferè Testamentum Cōmentarijs in hunc vsq; diem extantibus illustrauit,vitam CHRISTI Saluatoris docto volumine complexus est.De passione Dominica librum.Sermones rursus in honorem Sanctorum habitos plures scripsit.

S.GREGORIVS Ariminensis,Ordinis fratrū Eremitarum B. patris Augustini,sacræ paginæ Doctor, atq; Professor Gymnasij Parisiensis, vir doctrina,moribus & vitæ sanctitate clarus, Philosophus & Orator perfectus, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit,Pauli Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis, aliaq; plura scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

INNOCENTIVS VI. Stephanus Alberti antea vocatus,natione Gallus,patria Lemouicensis,Decretorum Doctor.

Doctor. Hic primò fuit causarum Procurator, mox delectus Iudex, cùm esset vtriusque Iuris doctissimus, postea clericus factus, Episcopatum Nouiodunensem, & paulò pòst Claromontanum adeptus est. A Clemente autem Papa VI. Presbyter Cardinalis sanctorum Ioannis & Pauli titulo Pammachij maior Pœnitentiarius, & demum Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus creatus fuit, quo mortuo, Auinione in eius locum omnium Cardinalium suffragijs xv. calendas Ianuarij Anni Mccclij. Pontifex Maximus renunciatus, x. calend. Ianuarij suæ coronationis insignia suscepit. Sedit autem in Apostolica sede Annos ix. M. viij. &. D. xxvj. vir integerrimæ vitæ, magnæque constantiæ & seueritatis. Cùm Christianę professionis studiosissimus esset. Sermones in solennibus habitos plures scripsit. Obijt Auinione pridie Idus Septembris, Anno Mccclxij. sepultus ibidem in Ecclesia Cathedrali Auinionensi S. MARIÆ de Donis, postea ad Ecclesiam Carthusianorum apud villam nouam translatus.

Ante Annos 212. *qui fuit* CHRISTI 1353.

MARQVARDVS de Vualdsassen Heremitarum in Nariscis ad Vnundrebum amnem Cistertiensis instituti monachus, vir eloquentia nobilis, Apostolicaque doctrina insignis, qui sacras atque profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, princeps suæ ætatis Philosophorum, Poëta grauis, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, ad Othonem Vurtzeburgensium Antistitem Franconiæ Ducem Tractatum xxx. Sermonum scripsit. Et alium librum de doctrina Euangelica. Tertium verò de vita contemplatiua ad Eberhardum de Mosbach, Cathedralium Spireñ. & Herbipoleñ. Ecclesiarum Canonicum.

Ante Annos 210. *qui fuit* CHRISTI 1355.

IOANNES Fust, Germanus, ex oppido Creutzennach, in Comitatu Spanheimensi oriundus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior Argentoratensis, vir eruditione & eloquentia clarus, Theologus sacrarũ legum exercitatissimus, Sermones & elegantes et doctos ad populum habitos scripsit.

IOANNES Roditon, Anglicus, Benedictinæ professionis monachus, vir tum sacrarum tum profanarum literarum peritissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit.

IOANNES nobilis eques de Vischbach, S. Vdalrici Benedictinæ professionis intra Augustanæ mœnia vrbis Abbas, vir non genere tantùm & maiorum imaginibus, sed & propria virtute & probitate conspicuus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, Musicus absolutissimus, Theologus diuinarum scripturarũ consummatissimus, De immunitate Ecclesiæ volumen scripsit. Obijt xv. cal. Febr. Anno Saluatoris Mccclxvj.

Ante Annos 209. *qui fuit* CHRISTI 1356.

PETRVS, Archiepiscopus Senonensis, eximius veræ pietatis propugnator, omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, Oratorum facundissimus, sacrarumq; legum exercitatissimus, Biblica ferè scripta omnia Commentarijs doctissimis in hunc diem extantibus illustrauit. Pauli Epistolas exposuit. Sermones in solennibus habitos scripsit.

HELIAS de sancto Heredio, Gallus, ordinis Minorũ, sacræ paginæ Doctor, Episcopus Vticensis, Presbyter Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte, & pòst Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus, Philosophus clarissimus, Rhetor insignis, & suæ ætatis subtilissimus scripturarum diuinarum interpres, De vita contemplatiua doctissimos Commentarios scripsit. Moritur Auinione iiij. Non. Octobr. Anno Mccclxvij. sepultus ad Minores.

FORTANERIVS alijs Sertorius Vasselli Valuensis, Vasco, Gallus, Ordinis Minorum xix. generalis minister, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, ex Episcopo Massiliensi Archiepiscopus Rauennas, & Patriarcha Gradensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis designatus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus absolutissimus, libros xxij. Augustini de Ciuitate DEI doctissimis voluminibus exposuit. Variaq; Biblicorum librorum syntagmata composuit. Obijt ante adeptum Pileum & titulum Mense Septembri Anno Mccclxj.

GVILIEL-

GVILIELMVS Farinerij Aquitanus, Gallus, Ordinis fratrum Minorum xx. Generalis Minister, sacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis Sanctorum Marcellini & Petri, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, grauis & ingeniosus Poëta, Philosophus celeberrimus, tum præterea Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, Sermones plures & doctè & eleganter compositos quorum infinitus penè est numerus, absoluit. Obijt Auinione ex peste viij. Calend. Septembr. Anno Mccclxj. sepultus ad Minores.

IOANNES Hildessemensis, Germanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, B. Petri Thomæ familiaris & amicus in Auinione, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectissimus, Theologus verò profundus, ad Florentium Monasteriensem Episcopum, de Sanctis tribus regibus volumen & doctum prolixum scripsit. De monstris in Ecclesia librū. Alium de Antichristo. Et quem de fonte vitæ confecit. Circumferuntur etiam eius contra Iudæos Commentarij, & sermones plures in solennibus habiti.

NICOLAVS Rossellí, Arrago, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, ex prouinciali & inquisitore Arragoniæ Presbyter Cardinalis S. Xysti, vir tam diuinis quàm profanis scripturis eruditus, Theologus profundus, De vnitate Ecclesiæ & Schismate vitando volumen scripsit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mccclxij. sepultus Maioricis ad Prædicatores.

IOANNES de Imenhusen, Germanus, Sacræ paginæ Doctor, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus scripturarum diuinarum exercitatissimus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Cōmentarios aliquot in veteris & noui Testamenti libros edidit. Sermones præterea non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 208. qui fuit CHRISTI 1357.

NICOLAVS Triuet, Anglicus, Ordinis Prædicatorum,

dicatorum, insigni spectataq; virtute præditus vir, Philosophus insignis, Orator facundus, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritißimus, Annales Anglicorum, qui à Comitibus Andegauensibus originem traxerunt, ab Anno CHRISTI Mcxxxv. vsque ad Annum Mcccvij. deduxit. B. Augustinum in libris de Ciuitate DEI exposuit. Commentarios in Genesin atque Psalterium doctißimos scripsit. De peccatis volumen, aliaque ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

PETRVS Berthorij, Gallus, patria Pictauiensis, S. Eligij Parisiensis Benedictinæ professionis Monachus, Philosophus ac Mathematicus clarißimus, Rhetor insignis, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, & suæ ætatis subtilißimus scripturarum diuinarum interpres, Ioanni de Pratis Episcopo Prænestino, S. R. E. Cardinali Dictionarium, quod vocant, vtriusque testamenti perutile prædicatoribus, cui repertorij moralis titulum fecit, tribus voluminibus dicauit. Reductorij quoq; moralis opus quatuor libris complexum, & xxxiiij. capitibus distinctum, vbi notabiliorum Historiarum ac figurarum vtriusque Testamenti præmissa compendiosa textus summa, tropologica seu allegorica, & nonnunquam anagogica subnectitur explanatione: adiectis Bibliorum concordantijs, perfecit. Sermones quoque plures & doctè & eleganter compositos, aliaq; scripturarum monimenta, quæ eximij eius studij satis magno sunt documento, posteritati reliquit.

THOMAS Branduandinus, Anglicus, Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, vir tam diuina quàm profana literatura doctißimus, Poëta grauis atque perfectus, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, De causis Dei, & de virtute DEI causæ causarum cõtra Pelagianos scripsit, aliaq; ingenij sui monimẽta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 206. qui fuit CHRISTI 1359.

IOANNES de Erfordia, Germanus, patria Thoringus, Ordinis Minorum, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, Orator facundus, Iureconsultus celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, Summam de casibus doctißimo volumine

mine eleganter conſcripſit. Sermones quoque plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

IOANNES Paſchal Anglicus, ex Sudouolcarum natus familia, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir tam diuinis quàm profanis ſcripturis eruditus, Orator facundus, Theologus Sacrarum legum exercitatiſsimus, de Dominica paſsione volumen, non minus doctè q̃ eleganter compoſitum, ſcripſit. Sermones plures ad populum habitos poſteritatis memoriæ conſecrauit. Moritur apud Landauienſes Anno Mccclxj.

Ante Annos 205. *qui fuit* CHRISTI 1360.

BARTHOLOMÆVS Anglicus, Ordinis Minorum, homo certè omnium qui tum fuere doctiſsimus, Philoſophus grauis, Orator eloquens, neque Theologorum vlli ſecundus, Sanctorum Epiſcoporum, Martyrum & Romanorum Pontificum hiſtorias, prolixo volumine deduxit. Sermones porrò in honoren Diuorum habitos plures ſcripſit.

GVILIELMVS Alnevvick, ex Northumbrię Comitatu natus, Ordinis Minorum, vir diuinarum literarum, nec non artis Oratoriæ atque Philoſophiæ egregiè peritus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Schiſmatum quoque elenchos ſcripſit.

ALEXANDER Eſſebienſis Monachus, Anglicus, vir & moribus & doctrina ſpectatus, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, De ſacris diebus volumen perfecit. Epitomen Britannicæ Hiſtoriæ contexuit. Vitas SS. Bertellini atque Cungari Eremitarum doctis Commentarijs complexus eſt.

Ante Annos 204. *qui fuit* CHRISTI 1361.

FRANCISCVS Petrarcha, natione Tuſcus, patria Florentinus, patre Petrarcha natus Anno CHRISTI Mccciiij. apud Anciſam vicum agri Florentini. Inde puer infans à patre par-

partium factione pulso, Aretium ductus est, vbi vnâ cum ætate literis, virtute & vitæ sanctitate adoleuit, studio maximè Poëtices à natura deditus. Desperato in patriam reditu Auenionem se contulit, Galliam, Germaniam, Rheniq; ripas peragrat, Nemetum Augustam Spiram, Vangionum vrbem, Moguntiacum, Coloniam Vbiorum ciuitatem, Treuerim in Germania. Lutetiam Parisiorum Augustam, Biturgium, Lugdunum in Gallijs. Venetorum oppida, regnum Neapolitanum, Siciliæ castella, Mediolanũ, Teruim, Rauennam lustrat. Romam verò cùm peruenisset, ab Vrso Anguillariæ Comite, quòd vir eloquentissimus esset, Sacrarum atque profanarum disciplinarum consumatissimus, Philosophus, Historicus, Rhetor, Poëta & Theologus, maximè autem rythmis vulgaribus excelleret, corona Poëtica donatur, adstante populo omni Romanaq; nobilitate. Amore tandẽ CHRISTI & Philosophiæ salutaris vitam solitariam ingressus est, in qua vsque ad mortem scribendo, meditando, & orando perseuerans, toto mundo eius fama ferebatur. Commentarios de vita solitaria doctissimos scripsit. Septem Psalmos Pœnitentiales exposuit. Vitas aliquot Pontificum luculenter & politè deduxit. De conflictu quoque curarum volumen, in quo de contemptu mundi disputatur, edidit. Moritur in heremitario suo agri Patauini Anno Saluatoris Mccclxxiiij. non sine opinione sanctitatis.

ANDOINVS de Roca, Burgundus, Gallus, Monachus & Abbas Cluniacensis, Sacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Marcelli, vir suæ ætatis eloquentissimus, Sacrarum legum exercitatissimus, Sermones in solennibus habitos plures scripsit. Obijt Viterbij iiij. Calend. Octobr. Anno Mccclxix in Ecclesia S. Veritatis sepultus.

GVILIELMVS Conuentre, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, Orator facundus, Poëta grauis, nec vlli Theologorum secundus, De laude religionis volumen scripsit. Laudes B. MARIÆ virginis copiosè ac optima fide, doctis Commentarijs exposuit, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 203. *qui fuit* CHRISTI 1362.

GVILIEL-

GVILIELMVS Ramesey, Anglicus, Benedictinæ professionis Monachus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus insignis, Theologus scripturarum diuinarum exercitatissimus, vitam S. Guthlaci Eremitæ, & sui Cœnobij gesta optima fide conscripsit.

VRBANVS V. Magister frater Guilielmus antea vocatus, Grimaldi Militis filius, natione Gallus, prouincia Tholosana, oppido ditionis paternæ Grisaco, Diæcesis Mimmatensis ortus, ab ineunte ætate liberalibus disciplinis imbutus Artium, Decretorum & sacræ Theologiæ Magister factus est. Fuit autem Monachus professus in Monasterio Conuentuali Chiriacensi, Mimmatensis Diæcesis, cũ Papa Innocentius vj. ex Abbate Monasterij Antisiodorensis Abbatem Cœnobij S. Victoris Massiliæ fecit. Quo mortuo omnium Cardinalium suffragijs non Cardinalis & absens v. Cal. Nouembris Anni Mccclxij. Pontifex Maximus renuntiatus Auinionem veniens viij. Idus Nouembris consecrationem simul & coronationem suam perfecit. Sedit autem in Apostolica sede Annos viij. Mensem vnum & dies xvij. Vir singularis virtutis, ingentis animi, innocentissimæque vitæ. De oratione & voto Commentarios scripsisse dicitur. Obijt Auinione xiiij. Calen. Ianuarij Anno Mccclxx. in domo Anglici Cardinalis Episcopi Albanensis nepotis sui cadauer Massiliam portatum in Ecclesia S. Victoris, cuius olim Abbas fuerat, sepultum est.

Ante Annos 202. *qui fuit* CHRISTI 1363.

PETRVS Patershull, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque Sacris scripturis absolutissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones quoq; plures cùm elegantes tum doctos scripsit.

IACOBVS de Alta villa, Germanus, patria Rinaugiensis, Moguntinæ Diæcesios, sacrarum literarum Doctor atq; Professor, vir comis, pacificus, eloquens & humanissimus, Philosophus et Rhetor insignis, Theologus verè profundus. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

PETRVS Boberius S. Auiani Benedictinæ

professionis Abbas, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Iurecōsultus celeberrimus, Theologus Sacrarum legum exercitatissimus. Regulam S. Patris Benedicti Commentarijs illustrauit doctissimis. In Speculum quoq; monachorum volumen scripsit.

IOANNES Balistarij, patria Cathalanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarū & rerū peritissimus, cùm sacras atq; profanas literas summè didicerat, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, Sermones in honorem Sanctorum habitos plures scripsit. Opus prætereа insigne de bello forti militantis Ecclesię, & Antichristi ipsam impugnantis, Gregorio Papæ xi. dicatum transmisit. Obijt Anno Saluatoris Mccclxxiiij. sepultus in Cōuentu suo Maioricarum.

IOANNES Brammart Aquensis, Germanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior, Prouincialis inferioris Germaniæ, insigni spectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures ad populū habitos scripsit.

GVALTHERVS Bederychvvorth Anglicus, Benedictinæ professionis Monachus, Philosophus grauis, Orator perfectus, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, studiorum & obseruator & cultor insignis, Quatuor libros Sententiarum Commentarijs illustrauit doctissimis.

Ante Annos 200. qui fuit CHRISTI 1365.

ANGLICVS Grimoaldi de Grisaco, Mimmatensis Diæcesis, Gallus, Vrbani v. Pontificis nepos, Canonicus regularis S. Rufi prope Valentiā, Episcopus Auinionensis, Presbyter Cardinalis S. Petri ad vincula, titulo Eudoxiæ, Episcopus Albanus, vir & doctrina & pietatis studio insignis, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, inter cætera scripturarū monimenta Antiphona sacraq; responsa quædā iudicio totius Ecclesiæ probata receptaq; reliquit. Obijt Auinione xvj. Calend. Aprilis Anno ab instaurata per CHRISTVM Saluatorem salute Mccclxxxvij.

IOANNES

IOANNES Schadlandt Ordinis Prædicatorũ, Germanus, patria Colonienſis, Sacræ paginæ Doctor, perpetuus Sedis Apoſtolicæ legatus, ex Culmenſi Hildeſſemenſis, Auguſtañ. & Vvormatieñ. Eccleſiarum Epiſcopus, vir omni literatura doctiſsimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atque ſacris ſcripturis abſolutiſsimus. De ſancta Trinitate volumen edidit, Sermones in honorem Sanctorum plures conſcripſit. Obijt Calend. April. Anno Saluatoris CHRISTI Mccclxxviii. Confluentiæ ad Prędicatores ſepultus, cui poſteritas hoc monumentũ reliquit.

HIC IACET DOMINVS IOANNES SCHADLANDT DE COLONIA, THEOLOGIÆ MAGISTER, INQVISITOR HÆRETICORVM, EPISCOPVS ECCLESIARVM CVLMENSIS, HILDESSEMENSIS, VVORMATIENSIS, ET AVGVSTANÆ, ORDINIS PRÆDICATORVM, QVI OBIIT ANNO MCCCLXXVIII. CALEND. APRIL.

Ante Annos 199. qui fuit CHRISTI 1366.

GVILIELMVS Sudre Lemouicenſis, ex prouincia Tholoſana, Gallus, Ordinis Prædicatorum, ex Prouinciali Tholoſano Lector Sacri Palatij & Epiſcopus Maſsilienſis, Presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis & Pauli, titulo Pammachij, Epiſcopus Oſtienſis & Veliternus, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator & Poëta celebris, Theologus, ſacrarum legũ exercitatiſsimus, de myſterijs Sanctæ Crucis doctè atque prolixè ſcripſit, Epiſtolas quoque plures in cauſis fidei ad diuerſos dedit. Obijt Ilerdæ in legatione Hiſpanica Anno Mccclxxiij. Cadauer Auinionẽ tranſlatum, ſepultum eſt ad Prædicatores.

Ante Annos 198. qui fuit CHRISTI 1367.

THOMAS Ryngſtede, Anglicus, Ordinis Prędicatorum, vir admiratione omnium digniſsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingenioſus Poëta, Theologus,

ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecūdus, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Lucubrationes in Dauidis Pſalterium ſcripſit. Parabolas quoque Salomonis Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis, aliaq; plura ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

GVILIELMVS de Agrifolio, Gallus, Romani Pontificis Notarius, Decretorum Doctor, Presbyter, Cardinalis S. Stephani in Cœlio monte, S. R. E. Archipresbyter, Epiſcopus Sabinus, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, multa in laudem B. virginis ſcripſit, Sermones præterea in ſolennibus habitos edidit. Moritur vj. Calend. Octobr. Anno Saluatoris CHRISTI Mccccv. Auinione ſepultus.

Ante Annos 197. qui fuit CHRISTI 1368.

THOMAS Lombe, Ordinis fratris B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Anglicus, ſacræ paginæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Oxonienſis, & vitæ inſtituto & doctrina vir clarus, Philoſophus. Orator atq; Poëta celebris, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. De incarnatione Dominica volumen abſoluit. In Lollardos Cōmentarium ſcripſit. Sermones quoque ad populum habitos plures poſteritati reliquit.

Ante Annos 196. qui fuit CHRISTI 1369.

BERTRAMVS Epiſcopus Theſelicenſis, Ordinis Prædicatorum, Germanus, Metenſium Præſulis in Pontificalibus Vicarius, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, ad Cunonem Treuirorum Archimyſtam de illuſionibus dæmonum volumen. Aliud de Schiſmate ſcripſit. Sermones quoque plures in ſolennibus habitos edidit. Moritur xiij. Calend. Febr. Anno Mccclxxxvij. ſepultus in Conuentu ſuo Confluentino.

Ante Annos 195. qui fuit CHRISTI 1370.

PETRVS Corſinus, ciuis & Epiſcopus Florentinus, Decretorum Doctor, Presbyter Cardinalis SS. Laurentij & Damaſi, Epiſcopus Portuenſis & S. Rufinæ, vir cùm confeſsionis gloria, tum vita & cōuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus

clarus,

clarus, Historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, vitas aliquot Pontificum prolixo Commentario doctè complexus est. Obijt Anno Mcccciiij. cadauer Florentiæ in Cathedrali sepultum est.

Ante Annos 194. qui fuit CHRISTI 1371.

HENRICVS de Dolendorp, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

Ante Annos 193 qui fuit CHRISTI 1372.

CONRADVS de Altzeia oppido Moguntinæ Diœcesios in Palatinatu, tribus miliaribus à Vvormatia Vangionum vrbe distante, Germanus, Philosophus, Poëta & Mathematicus suæ ætatis celeberrimus, Theologus verò profundus, de purissima DEI genitrice virgine MARIA, & redemptione humani generis volumen, cùm prolixum tum doctum, cui figurarum titulus tribuitur, metro conscripsit absolutissimè.

BERTRANDVS Lagerij de Figiaco, Gallus, Ordinis Minorum, sacræ paginæ Doctor, Episcopus Glaudacensis, Presbyter Cardinalis S. Priscæ, Episcopus Ostiensis & Veliternus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De schismate contra sui temporis hæreses volumen scripsit. Obijt Auinione vj. Id. Nouembr. Anno Mccexcij. sepultus ibidem ad Minorum Ecclesiam.

S. GERARDVS ille, cui ob vitæ sanctimoniã Magni cognomen tribuitur, Germanus, patria Dauentriensis, Diœcesios Traiectensis, magna vir fama sanctitatis pariter & doctrinæ, Philosophus, Rhetor atq; Poëta, Decretorum Doctor eximius, Theologus scripturarum diuinarum absolutissimus, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, Domum fratrum, quos de communi vita nuncupant, Dauentriæ primus instituit, De locatione curæ pastoralis librum scripsit. Alium de conuersa-

tione interna. De regimine monialium volumen. Sermones quoque plures ad diuersos. Obijt iiij. calend Febr. Anno Mccclxxxiiij. Ætatis xliiij. Dauentriæ sepultus.

GALFRIDVS Grandfelde, Anglicus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, Determinationum Scholasticarum volumen. Sermones quoq; plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 190. qui fuit CHRISTI 1375.

ANDREAS de Nouo Castro, animi magnitudine, consilio, doctrina & vitæ conuersatione cum optimo quouis conferendus, Quatuor libros in Sententias scripsit.

STRODVS Anglus, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Philosophus subtilis, nec vlli Theologorum secundus, Positiones contra Vuicleuum, aliaque scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

IOANNES Horneby, Anglicus, Ordinis fratrũ B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator eloquens, Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, pro defensione ordinis sui prolixos Commentarios absoluit. Ordinarias quæstiones. Sermones quoq; plures ad populum habitos scripsit.

IOANNES Tompson, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, in Conuentu Vvigorniensi, Apostolicæ vitæ vir, arcana atq; mystica diuinarum scripturarum interpretatione sublimis, Philosophus clarus, Rhetor facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Ecclesiasticum Salomonis atq; Ioannis Euangelium Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones rursus in honorem sanctorum & solennibus habitos scripsit.

Ante Annos 189. qui fuit CHRISTI 1376.

THOMAS Brome Londinensis, Anglus, do-

ctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Encomium scripturæ insigni volumine complexus est. Epistolam Pauli ad Romanos doctissimè exposuit. Sermones plures ad populum habitos scripsit.

HERMANNVS Bruckhen, Northusianus, ordinis Minorum, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Sermones in honorem Sanctorum habitos plures, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

Ante Annos 188. *qui fuit* CHRISTI 1377.

IOANNES Vualsgram, Anglicus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, sacræ paginæ Doctor atq; Professor Gymnasij Parisiensis, vir omni literatura doctissimus, adeoque subtilissimus rerum diuinarum interpres, Quatuor libros in Sententias scripsit, aliaq; plura ingenij sui monimenta, Ecclesiæ DEI profutura, reliquit.

IOANNES Kynyngham, Anglus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus clarus, Orator facundus, Theologus sacrarum legũ exercitatissimus. De Natiuitate CHRISTI libros. Alium de passione eiusdem & Spiritu sancto scripsit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Threnos Hieremiæ & Ezechielem Prophetam Commentarios edidit. Canonicam Iacobi lucubrationibus illustrauit. Contra propositiones Vuicleui volumen scripsit. Sermones plures ad populum habitos posteritati reliquit. Moritur iiij. Id. Febr. Anno Mccccxcix. in Eboracensi Cœnobio in Anglia sepultus.

Ante Annos 187. *qui fuit* CHRISTI 1378.

LEONARDVS de Ciffono, Regnicola, ordinis Minorum xxiiij. Generalis minister, sacrosanctæ Theologiæ Doctor, Presbyter Cardinalis SS. Syluestri & Martini, titulo Equitij, vir vita & conuersatione præclarus, cui magna eloquẽtiæ laus tribuitur, omni doctrina, illustri quoque gloria celebratus, cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Cantica Canticorum Cõmentarios scripsit. Sermones quoq; plures ad populũ habitos edidit.

Obijt

Obijt Auinione iiij. Non. Maij Anno Mccccvj. ibidem in Cathedrali sepultus.

VRBANVS VI. Bartholomæus Butillus antea vocatus, Neapoli in platea Vindi, in loco qui vulgo infernus appellatur, familia Prĝgnana, patre Pisano & matre Neapolitana vtrisque ignobilis ortus est. Fuit autem vtriusq; Iuris Doctor, & in Romana Curia post reditum Gregorij Papæ xj. ad vrbem pro Petro Presbytero Cardinale S. Anastasiæ & S. R. E. Vicecancellario absente Cancellariæ Apostolicæ in Italia regens, primò Archiepiscopus Acheruntinus, mox Barensis à Gregorio Papa xj. eius prædecessore factus. Quo mortuo vndecimo vacantis sedis die Romæ ipse à xvj. Cardinalibus tūc apud basilicam S. Petri in Conclaui existentibus, qui inter se concordes esse non poterant vt vnum ex sui Collegij corpore eligerent, non Cardinalis vj. Idus Aprilis Anni Mccclxxviij. Pontifex Maximus renunciatus, die sequenti omnium suffragijs in Apostolica sede locatus est, & xiiij. calendas Maij in die Paschę per Iacobum Cardinalem Visinum S. R. E. Archidiaconi locum tenentem, suæ coronationis omnibus Cardinalibus consentientibus insignia suscepit. Sedit autem in Apostolica sede Annos xj. M. vj. & Dies viij. Pontifex grauis & ingeniosus, Historiographus atq; Theologus suæ ætatis non infimus, Iureconsultus celeberrimus, historiam Episcoporum Barensium ad sua tempora elegantissimo volumine deduxit. Obijt Romæ in Palatio Apostolico Idib. Octob. Anno Mccclxxxix. sepultus ad S. Petrum.

Ante Annos 185. *qui fuit CHRISTI* 1380.

RICHARDVS Lauinham, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Anglicus, vir cū eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Gymnasij Oxoniensis quondam professor, Philosophus grauis, Rhetor insignis, Theologorum suæ ætatis nulli secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit: Esaiam, Tobiam, & Pauli Epistolam ad Titum Commentarijs illustrauit doctissimis. Contra Hæreticos volumen. Aliud in Vuiclefitas scripsit. De fundatione ordinis sui, & trium Magorū historiam. Sermones porrò in solennibus habitos, aliaq; ingenij sui monimenta posteritati consecrauit.

Ante

Ante Annos 184. *qui fuit* CHRISTI 1381.

GVILIELMVS Berthon, Anglicus, sacræ Theologiæ Magister, vir diuinarum scripturarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, fidei propagator acerrimus, princeps suæ ætatis Philosophorum, Positiones in Vuicleuum. De Vuicleui porrò iusta damnatione volumen scripsit.

IOANNES Gascoyne, Anglicus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Philosophus, Rhetor & Historicus absolutissimus, vitam S. Patris Hieronymi doctissimis Commentarijs complexus est. Aduersus Vuicleui rursus dogmata volumen scripsit.

HENRICVS de Hassia Iunior, Ordinis Carthusiensium, Prior domus Monachorum MARIÆ, Gymnasij Viennensis quondam in Austria plantator, sacræ paginæ Doctor, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atq; Poëta celebris, Mathematicus absolutissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, inter cætera ingenij sui monimenta, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Exodum & Genesim Commentarios scripsit. Prouerbia, Salomonis atq; Ioannis Apocalypsin lucubrationibus illustrauit doctissimis. Sermones rursus ad populum habitos plures posteritati cõsecrauit. Moritur iiij. calend. August. Anno Mccccxcvij. sepultus Viennæ in Austria.

SIMON Sothray, Anglicus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, De Ecclesiæ authoritate volumen. Aliud de Sacramentis corporis Dominici scripsit. Contra Vuicleuitas præterea libros absoluit.

Ante Annos 183. *qui fuit* CHRISTI 1382.

THOMAS Ascheborne, Anglicus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Contra Trialogum Vuicleui volumen scripsit. De identitate in Sacra-

mento Commentarios absoluit. Sacra Biblia exposuit, aliaque plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura, reliquit.

THOMAS Vnynterton, Stanfordiensis monachus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, Poëta grauis, Orator facundissimus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, inter cætera scripturarum monimenta contra Confessionem Vvicleui volumen. De Eucharistia quoq; libros, posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 181. *qui fuit* CHRISTI 1384.

THOMAS Fyle, Anglicus, Ordinis Prædicatorum, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, clarus eloquio, Disceptationum Scholasticarum volumen. Sermones quoq; ad populum habitos plures scripsit.

Ante Annos 180. *qui fuit* CHRISTI 1385.

GVILIELMVS Cockforde, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures ad populum habitos scripsit.

IACOBVS de Theramo, Canonicus Aprucinus, Archidiaconus Auersanus, vir certè omnium qui tum fuere doctissimus, Orator facundus, Iureconsultus celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, De redemptione generis humani Dialogum, cui consolationis peccatorum titulus tribuitur, aliaq; plura scripturarum monimẽta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 178. *qui fuit* CHRISTI 1387.

FRANCISCVS de Toleto, Philosophus, Rhetor atque Theologus suæ ætatis clarissimus, & cùm in disputationibus vir magnus, tum in argumentorum & demonstrationum probationibus argutus atq; subtilis, omni doctrina consumatissimus, contra Ioannem Rokizanam Boëmum, Hussi discipulum, de Eucharistia scripsit.

Ante

Ante Annos 177. qui fuit CHRISTI 1388.

RICHARDVS Maidescoñ. Anglicus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Theologus profundus, Contra Vviclefitas doctum volumen. Sermones quoq; plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 176. qui fuit CHRISTI 1389.

HENRICVS Euta, alijs Oyta, Germanus, Gymnasij Vienensis in Austria plantator, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Iureconsultus celeberrimus, Theologus verò consumatissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit: De conceptione B. MARIÆ virginis volumen. Sermones quoque plures in honorem Sanctorum habitos scripsit.

HENRICVS Bury, Sudouolcas, in Clarensi Cœnobio, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit. Sermones porrò de beata virgine, & in solennibus habitos plures, posteritatis memoriæ consecrauit.

ANTONIVS de Butrio, Italus, patria Bononiensis, æqualis Petri Ancharani, vir excellens, sanctæq; vitæ, & Doctor omni veneratione dignus, vt inquit Caccialupus, Iureconsultus omnium suo tempore facilè celeberrimus, Apparatus solennes in Decretales & Clementinas scripsit. Moritur Non. Octobr. Anno Mccccviij. Bononiæ ad S. Michaëlem in monte sepultus.

Ante Annos 175. qui fuit CHRISTI 1390.

S. HENRICVS de Kalkar, Germanus, ordinis Carthusiensium, Prior domus S. Barbaræ in Agrippinatum vrbe Colonia, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, conuersatione deuotus adeoq; sanctissimus, De initijs sui ordinis atq; progressu volumẽ scripsit. Aliud item, cui exercitatorij ad monachos titulus tribuitur, posteritati consecrauit.

GVILIELMVS Egumonde, Anglicus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Philosophus, Rhetor atque Poëta celebris, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures in solennibus habitos scripsit.

Ante Annos 174. qui fuit CHRISTI 1391.

ROBERTVS Iuorius, Londinensis, Anglus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir admiratione omnium dignissimus, Orator facundus, Theologus sacrarum literarum exercitatissimus, Enarrationes in Ecclesiasticum absoluit. Monumenta prouinciæ suæ annotauit. Sermones plures ad populum habitos scripsit.

FRANCISCVS Martini, Cathalanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Barchinonensis, vir admiratione omnium dignissimus, qui sacras atq; profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, de sancta & purissima conceptione gloriosæ DEI Genitricis & virginis MARIÆ libros vij scripsit, quibus Compendij titulus tribuitur.

GVALTHERVS Dissæ, Anglicus, Ordinis fratrũ B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, nuncius & legatus Apostolicus, vir omni literatura doctissimus qui ob dicendi copiam atq; elegantiam à Bonifacio ix. Rom. Pontifice in Angliam, Hispaniam, Portugaliam, Nauarram, Arragoniã, & in partes Vasconiæ missus, crucem contra infideles & schismaticos prædicauit. Eloquentiæ consultus, contra Vuiclefitas Cõmentarium scripsit. De schismate volumen edidit. Enarrationes in aliquot Psalmos elucubrauit. Sermones quoq; plures ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit. Obijt in Anglia vj. calend. Febr. Anno Mcccciiij.

Ante Annos 173. qui fuit CHRISTI 1392.

ROBERTVS Humbleton, Anglicus, ordinis Prædicatorũ, vir omni doctrinarũ genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus sacrarũ legum exercitatissimus, contra Vuiclefitas volumen scripsit.

MAT-

MATTHÆVS Ebroicensis, Normannus, Ordinis fratrum Prædicatorum, vir diuinarũ literarum Græcarumq; disciplinarum, necnon artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregiè peritus, Pentateuchum Mosis copiosissimis atque ornatissimis illustrauit Commentarijs. Esaiam rursus doctis voluminibus explicauit, & alios quàm plures veteris ac noui Testamenti libros exposuit.

IOANNES Tyssington, Anglicus, Ordinis Minorum, vir omni literatura doctissimus, Philosophus grauis, Orator eloquens, & suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, contra Vuicleui confessionem volumen. Aliud de Sacramentis scripsit. Edidit & de Confessione auriculari Commenarium.

Ante Annos 170. *qui fuit* CHRISTI 1395.

PAVLVS Venetus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Artium & Sacræ Theologiæ Doctor, vir Sacrarum literarum scientia consumatissimus, Philosophus clarissimus, Poëta grauis, atq; Theologorum sui sæculi facilè princeps, contra Iudæos volumen. Sermones quoq; plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, scripsit. Iuuenis adhuc decessit, Anno Mccccij. in Sacrario sui Conuentus Venetijs sepultus.

S. PHILIPPVS Riboti, Cathalanus, Ordinis fratrũ B. MARIÆ semp virginis de monte Carmeli, Prior prouincialis Cathalaniæ, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarũ interpretatione altus & sublimis, De rebus gestis Carmelitarũ, & prima eorum institutione atq; confirmatione decẽ libros absoluit. De viris sui ordinis illustribus scripsit. Sermones elegantes atq; doctissimos posteritatis memoriæ consecrauit.

CVNRADVS III. nobilis à Sultavv, ex Luneburgo, Episcopus Verdensis, sacræ paginæ Doctor, insigni spectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum maximè literarũ peritiã toto orbe clarus, De Sancta Trinitate volumẽ, diuino instructus eloquio, scripsit. Moritur Anno Mccccvij ad S. Michaëlem in Luneburgo sepultus.

S. BONAVENTVRA de Peraga, Patauînus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Prior generalis, sacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Ceciliæ, vir sanctissimus, in lege DEI exercitatissimus, & sacris scripturis doctissimus, Orator facundus, Poëta nemini secundus, atque Theologorum suæ ætatis princeps, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De vita CHRISTI Commentarium scripsit. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit. Cùm Ecclesiæ libertatem acerrimè tueretur contra Tyrannos, à Carrariensi Domino sagitta confixus, Romæ diem obijt Anno Mccccxix. sepultus in Ecclesia S. Tryphonis, pòst ad S. Augustinum in Sacellum B. Nicolai translatus.

Ante Annos 169. qui fuit CHRISTI 1396.

PHILIPPVS Ferrariensis, Tholosanus, Episcopus Pacensis Ecclesiæ in Hispania, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

SIMON de Cremona, Ordinis fratrũ Eremitarũ S. Augustini apud Venetos, Philosophus, Rhetor atque Theologus profundus, & Christianæ fidei cultor magnificus, Enarrationes in Euangelia & Pauli Epistolas conscripsit.

STEPHANVS Petringoñ. Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir eruditione & eloquentia clarus, sacræ Theologiæ Professor Oxoniensis, Poëta, Orator, & Historicus, nec vlli Theologorum secundus, contra Vvicleftas volumen, Aliud item contra Nicolaum Herforde scripsit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De functione Sacerdotali Commentarium edidit. Sermones quoque plures in solennibus habitos posteritati consecrauit. Obijt Londini vj. Calend. August. Anno Mccccxvij.

THEODORICVS à Niem, Germanus, sacræ Theologiæ & Decretorũ Doctor, quem aliqui in Verdensem

& Cameracensem Episcopum propter eximiam doctrinam & vitæ honestatem electum confirmatumq́; scribunt, vir cùm sacrarum tum profanarum literarum peritissimus, Iureconsultus celeberrimus, Vitas Romanorum Pontificum fideliter & luculentè descripsit.

GVILIELMVS Vvoderfrode, Anglus, Ordinis Minorum, eximius veræ pietatis propugnator, omni genere doctrinæ & sapiētiæ clarus, Philosophus, & Orator celebris, Theologus, sacrarum legum consumatissimus, Vvicleui assimulatam ac dæmoniacam opinionem scripto refutauit. Aduersus Galterũ Britte Commentarios edidit. Feruntur præterea varij eius de conformitate nostra ad CHRISTVM libri, Et quos pro cōseruādis cleri possessionibus absoluit. Scripsit quoque de Eucharistia librum. Alium item de Vvicleuo damnando. Sermones verò ad populum habitos plures.

CONRADVS Hailpronnensis in Suetia, Cistertiensis instituti Monachus, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus clarus, Rhetor insignis, & suæ ætatis subtilissimus scripturarum diuinarum interpres, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones porrò elegantes atque doctissimos & alia ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 168. qui fuit CHRISTI 1397.

PHILIPPVS de monte Galerio, Ordinis Minorum, Conuentus Spirensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, & Orator celebris, Theologus diuinarum scripturarum exercitatissimus. Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

S. HENRICVS de Cosueldia, Germanus, Ordinis Carthusiensium, Prior domus S. MARIÆ prope montem D. Gertrudis in Hollandia, Philosophus, Rhetor, Poëta atq; Theologus suæ ætatis clarissimus, diuinus certè vir atque in monastica disciplina exercitatus. In Exodũ Cōmentarios cōscripsit. In Epistolā Pauli ad Romanos volumē. Libros itidē de tribus votis substātialibus. Cōtra vitiũ proprietatis & Annunciatione Dominica.

Eulogium

Eulogium rursus D. Pauli Eremitæ perfecit, & de tribus custodijs monasticis tomum absoluit. Scripsit & de Sacramento Altaris, aliaq́; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Moritur in domo Vallis gratiæ prope Brugas vij. Id. Iul. Anno Mccccx.

Ante Annos 167. qui fuit CHRISTI 1398.

GVILIELMVS de Oppenbach, Germanus, Sacræ Theologiæ Doctor atque Professor Gymnasij Parisiensis, vir tam diuinis quàm p̄fanis scripturis eruditus, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

Ante Annos 166. qui fuit CHRISTI 1399.

PETRVS Stockes, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum consumatissimus. Contra Vuicleuum volumen. Aliud item in Philippum Repyngadum scripsit. Aduersus Nicolaum quoq; Herforde Commentarium edidit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit, & Biblica scripta ferè omnia Commentarijs in hunc vsque diem extantibus illustrauit.

SIMON Haffligemensis, Benedictinę professionis Monachus, insigni spectataq́; virtute præditus vir, Philosophus subtilis, Theologus profundus, multarumq́ue literarum & rerum peritissimus, Moralia B. Gregorij Pontificis decem voluminibus complexus est. Cantica Canticorum Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones quoque plures in honorem Sanctorum habitos scripsit.

CONRADVS de Saxonia Ordinis Minorū, vir disertissimus, Theologus, Sacrarum legum exercitatissimus, eloquentiæ studijs legitimè imbutus, quatuor libros in Sententias scripsit. Orationem Dominicam atque Angelicam Salutationem exposuit. Biblica scripta ferè omnia doctissimis Commentarijs illustrauit. Sermones porrò ad populum habitos plures, posteritatis memoriæ consecrauit.

DVRANDELLVS, Ordinis Prædicatorum, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, aduersus Durandum D. Thomæ impugnatorem Commentarios scripsit.

Ante Annos 165. qui fuit CHRISTI 1400.

HENRICVS de Langenstein, dictus de Hassia, Germanus, Canonicus Vvormatiensis, sacræ Theologiæ Doctor atq; Professor Gymnasij Parisiensis, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus & Rhetor, suiq; temporis Theologorum nulli secundus, vt sacras scripturas illustraret, multa ingenij sui monimenta posteritati reliqt, inprimis in Genesin Commentarios non contemnendos. De Antichristo & Schismate. De eruditione Sacerdotij & anima cōtemplatiua. Expositiones in orationem Dominicam, Salutationem angelicam, atque Symbolum Apostolorum. Complexiones in Cantica Canticorum. De horis Canonicis volumen. Aliud de contemptu mundi. Contra quendā Vvicleſitam Cōmentarium. Et cui Speculi animæ titulus tribuitur volumen. Sermones quoq; plures cùm doctè tum eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

IOANNES Maronis, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Professor Gymnasij Oxoniensis, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus perfectus, Orator facundus, Theologus sacrarum legū exercitatissimus, contra Vvicleffitas volumen scripsit.

IOANNES Castellensis, Benedictinæ professionis in Diœcesi Aichstattensi Monachus, Germanus, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atq; sacris scripturis absolutissimus, Expositionē super regulam Benedictinam. Sermones rursus elegantes atque doctissimos scripsit.

PETRVS de Ancharano, Italus, patria Bononiensis, Baldi Perusini auditor quondā atq; discipulus, vir in vtroque iure peritissimus, Philosophus insignis, Orator facundus, Solennes Apparatus in Decretales & Clementinas, Sextum quoque Decretalium scripsit.

ARNOLDVS de Auſtria, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemp virginis de monte Carmeli, Conuentus Vienenſis, vir comis, pacificus, eloquens et humaniſsimus, tã diuinis ſcripturis eruditus quàm profanis literis egregiè doctus, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Sermones in honorem Sanctorum habitos plures ſcripſit.

BLASIVS Andernatius, Gallus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de mõte Carmeli, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, quatuor libros in Sententias ſcripſit.

FRANCISCVS de Bachone, patria Cathalanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Conuentus Gerundenſis, ſacræ Theologiæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Pariſienſis, qui tantum animi magnitudine conſilio & doctrina valuit, vt Doctor Sublimis cognominaretur, vir omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atq; Poëta celebris, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Sermones plures ad populum habitos poſteritati conſecrauit.

Ante Annos 164. *qui fuit* CHRISTI 1401.

IOANNES Gluel, Germanus, Aquiſgranenſis patria, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Conuentus Colonienſis, vir admiratione omniũ digniſſimus, dicendi artifex & Orator eloquens, grauis & ingenioſus Poëta, Theologus ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, De origine & profectu Ordinis ſui, cui ſpeculi carmelitarũ titulum dedit, volumen ſcripſit. Sermones quoq; non minus doctè q̃ eleganter ad populum habitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit. Obijt in Agrippinatum vrbe Colonia iiij. Id. Octobr. Anno CHRISTI Mccccxij.

IOANNES Marce, Anglicus, ex Eboracenſi Comitatu natus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli doctrina & eloquentia vir clarus, Philoſophus inſignis, Orator facundus, ſacrarumq; literarũ ſcientia nemini ſecũdus, quatuor libros Sententiarũ Lõbardi expoſuit. Cõtra Vuicleſitas volumẽ ſcripſit, Obijt Dõcaſtrij Calẽd. Maij Añо Mccccvij.

Ante

Ante Annos 162. qui fuit CHRISTI 1403.

THOMAS Gualensis, Ordinis Prædicatorum, Anglicus, sacræ paginæ Doctor Oxoniensis, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, in Augustinum de ciuitate DEI libros x. conscripsit. In Psalterium Dauidis volumen. Expositiones quoque in Cantica Canticorum & Prouerbia Salomonis.

Ante Annos 161. qui fuit CHRISTI 1404.

MICHAEL Herbrant de Duren, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Germanus, sacræ Theologiæ Professor, Prior Conuentus Crucennacensis, in Diœcesi Maguntina, vir omni literatura doctissimus, Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, posteritati consecrauit.

INNOCENTIVS VII. Cosmatus antea vocatus, ex ꝓuincia Apulia, patria Sulmonensis, Valuensis diœcesis, familia mediocri quæ Meliorata dicebatur, vtriusq; parẽtibus honestæ conditionis ortus est. Fuit autem vtrisque Iuris Doctor, & sub Vrbano Papa vj. Clericus Cameræ Apostolicæ, à quo etiam collector redditVũ eiusdẽ Cameræ in regno Angliæ est missus, postea ab eodem Vrbano Archiepiscopus Rauennas in locum Pilei Cardinalis priuati, mox Bononiensis Episcopus cum cõmenda Rauennatis Ecclesiæ, deinde Romanæ Ecclesiæ Thesaurarius & Vicecamerarius creatus fuit. Demũ à Bonifacio Papa ix. in principio sui Pontificatus Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hierusalẽ factꝰ, aliquot annis pòst, mortuo Stephano Palosio S.R.E. Camerario, Camerariatus munus obtinuit. Mortuo aũt Bonifacio Papa ix. Romæ in eius locũ in Schismate, omniũ Cardinalium in conclaui existentiũ suffragijs xvj. Cal. Nouembris Anni Mcccciij. Põtifex Maximus renunciatus, iiij. Nonas Nouembris suæ coronationis insignia suscepit. Sedit aũt in Schismate contra Benedictũ Annos ij. & D. xxij. Erat natura comis & blandus, adeoq́ue Pontificij ciuilisq́ue Iuris peritus, vt facilè homines tum rationibus tum suauitate dicendi in suiipsius sententiam alliceret, De Ecclesiastica vnione orationem grauissimam in consessu Cardinalium

dinalium Romæ habuit. Moritur in Palatio Apostolico viij. Id. Nouemb. Anno Mccccvj. sepultus in basilica S. Petri.

Ante Annos 160. *qui fuit* CHRISTI 1405.

THOMAS de Edvvarston, Anglus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Determinationum Theologicarum volumen. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

Ante Annos 159. *qui fuit* CHRISTI 1406.

THOMAS de Haselbach, Germanus, sacræ Theologiæ Doctor atq; Professor Gymnasij Vienēsis in Austria, vir vita & conuersatione insignis, cui magna eloquentiæ pars tribuitur, omni doctrina, illustri quoq; gloria celebratus, ingenio præstans, & sermone scholasticus, sed nimis diffusus & prolixus, vt qui viginti vno Annis in Esaia Propheta legens, ad finem primi capituli non peruenit, quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Esaiam commentarijs illustrauit doctissimis De decem præceptis volumen edidit. Aliud de quinq; sensibus hominis absoluit. Sermones verò plures, quorum infinitus penè est numerus, posteritati consecrauit.

THOMAS Colbius, Nordouicensis, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, fidei propagator acerrimus, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarumque literarum Doctor subtilissimus, Præceptorum diuinæ legis volumen edidit. Expositiones in Orationem Dominicam, & Psalmum quinquagesimum scripsit. De Ecclesiæ sinceritate Commentarium absoluit, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

MICHAEL Angrianus, Bononiensis, Italus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Decretorum Doctor, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atq; Poëta celebris, Theologus sacrarum legum consumatissimus, ad Cardinalem S. MARIÆ trans Tyberim insigne volumen de conceptione S. MARIÆ virginis scripsit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Euangelia SS. Lucæ atq; Matthæi, Psalterium

terium quoq; Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. Obijt calend. Decembr. Anno Mccccxvj. ante maius Altare Conuentus sui Bononiensis sepultus.

S. GERARDVS Zutphaniensis, Germanus, Professor Gymnasij Coloniensis, sacrarum legum Doctor eximius, Orator eloquens, Poëta grauis, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De reformatione interiori seu virium animæ Commentarium edidit. De ascensione spiritali volumen scripsit. Sermones elegantes atq; doctissimos posteritati consecrauit.

Ante Annos 158. *qui fuit* CHRISTI 1407.

PETRVS Episcopus Nouæ ciuitatis, Italus ex oppido Brunquelli, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, homo certè admiratione omnium dignissimus, Philosophus acutissimus, & in disputationibus publicis adeò subtilis, vt à nemine penitus vinceretur, Theologorum suæ ætatis celeberrimus, Biblica scripta ferè omnia doctissimis Commentarijs illustrauit. Quatuor libros in Sententias scripsit.

S. THOMAS de Kempis, Germanus, ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, montis Diuæ Martyris & virginis Agnetis prope Zwollis in Diœcesi Traiectensi, vir omni doctrinarum genere clarus, vitæ sanctitate conspicuus, Philosophus insignis, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, Theologorum sua ætate nulli secundus, multarumque literarum & rerum peritissimus. De imitatione CHRISTI & contemptu mundi libros quatuor absoluit. De vita solitaria scripsit. De vera compunctione & consolatione pauperum volumina composuit. Sermones in honorem Sanctorum habitos plures aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura, reliquit.

IOANNES Vvrotham, Londinensis, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus, & inprimis eruditus, cùm tam soluta quàm ligata polleret oratione, Quatuor libros in Sententias scripsit. Cantica Canti-

corum Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones rursus plures cùm doctè tum eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

Ante Annos 157. *qui fuit* CHRISTI 1408.

IOANNES Dominici, Florentinus, Ordinis Prædicatorum, ex Prouinciali Romano Archiepiscopus Ragusinus, Presbyter Cardinalis S. Xysti, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, inter cætera scripturarum monimenta, De amore charitatis volumen, Expositiones quoq; in Ecclesiasten, Cantica Canticorum, Euangeliũ Matthæi & Epistolam ad Romanos scripsit. Obijt Budæ in legatione Hungarica iiij. Id. Iun. Anno Mccccxix. Cadauer ibidem in suburbio in Ecclesia fratrum S. Pauli primi Eremitæ sepultum est.

MATTHÆVS Polonus, patria Cracouiensis, Episcopus Vvormatiensis, sacræ paginæ Doctor, Rector Gymnasij Parisiensis, pòst Pragensis, Orator Imperatoris Ruperti, Presbyter Cardinalis S. Cyriaci in Thermis, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus, Rhetor, atq; Theologus, De prædestinatione & quod DEVS omnia benefecerit volumẽ, cui rationalis diuinorum operum titulum fecit, libris vij. complexus est. De celebratione Missæ volumen, aliaq; plura ingenij sui monimenta, quæ in Collegio disciplinæ regularis, quod inter Vvormatiã Vangionum vrbem & Spiram Nemetum Augustam situm, vulgo Franckhentall vocitari solet, reseruantur, edidit. Moritur v. Martij Anno CHRISTI Mccccx.

Ante Annos 156. *qui fuit* CHRISTI 1409.

IORDANVS, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Germanus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Orator facundus, Theologus sacrarum legũ exercitatissimus, De passione Dominica volumen absoluit. In Apocalypsin Ioannis expositiones scripsit. Sermones in honorem Sanctorum & solennibus habitos plures scripsit.

S. LAVRENTIVS Iustinianus, Venetus,

Ordinis

Ordinis Cœlestinorum, Patriarcha Venetus, vir sanctitate & doctrina, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, Philosophus, Rhetor atq; Theologus, De connubio verbi & animæ, De interiori conflictu & Sacramento Altaris Commentarios absoluit. De contemptu rursus mundi & cura pastorali volumina contexuit. Porrò & de gradibus perfectionis. De disciplina monastica. De agone CHRISTI. De complanctu Ecclesiæ. De vita solitaria & obedientia libros edidit. Opus rursus cùm vtile tum necessarium, cui Ligni vitæ titulum dedit, posteritatis memoriæ consecrauit. Sepultus est Venetijs in Ecclesia Cathedrali, ad cuius monumentum multa miracula diuinitus fiunt.

S. ALEXANDER V. frater Petrus Philareti antea vocatus, natione Græcus, & patria Cretensis, ordinis fratrũ Minorum, & sacræ Theologiæ Doctor eximius, Gymnasij Parisiensis quondã Rector atq; Professor. Primò fuit Episcopus Vicentinus, pòst Nouariensis & Patriarcha Gradiẽsis, deinde Archiepiscopus Mediolanensis, demum Presbyter Cardinalis basilicæ SS. xij. Apostolorũ ab Innocẽtio Papa vij. creatus, qui priuatis Nonis Iunijs in Concilio Pisano ab vtriusq; obedientiæ Cardinalibus numero xxiij. ex Synodi Sententia Gregorio xij. & Benedicto xv. in vtriusq; locum, in eodem cõcilio, omnium Cardinalium vtriusq; obedientiæ qui Synodo interfuerunt suffragijs, vicesimo vacantis sedis die, videlicet vj. cal. Iulij. Pontifex Maximus renunciatus, Non. Iul. suæ coronationis insignia, in Ecclesia Cathedrali Pisana suscepit. Sedit in Apostolica sede menses x. & D. viij. vir doctrina & vitę sanctitate pręclarus, in libros Sententiarum doctè & acutè scripsit. Obijt Bononię v. Non. Maij Anno Mccccx. cadauer ibidem ad Ecclesiam fratrum Minorum sepultum est.

NICOLAVS Bayarde, Anglus, vir & moribus et doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Distinctionum Theologicarum volumen, Sermones elegantes atq; doctissimos scripsit.

Ante Annos 155. *qui fuit* CHRISTI 1410.

BARTHOLOMÆVS de Vrbino, ordinis fratrũ Eremitarum S. Augustini, Episcopus Vrbinas, vir cùm cõfessionis gloria tum vita & cõuersatione plurimum insignis, Philosophus

losophus clarus, Orator facundus, Theologus suæ ætatis celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, ex Commentarijs sanctorum Ambrosij & Augustini singulari studio secundum ordinem Alphabeti milleloquia comportauit. De bello quoq; spiritali volumen, aliaque plura scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura, reliquit.

REINHARDVS de Fronthouen, Germanus, Ordinis Prædicatorum apud Confluentiam Rheni & Mosellæ, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Theologus profundus, Sermones plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 154 *qui fuit* *CHRISTI* 1411.

GVILIELMVS Vuellis, Anglicus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ętate nobilissimus, Disputationum Theologicarum volumen, Enarrationes quoq; in Euangelia & Dauidis Psalterium scripsit. Obijt Linnæ v. calend. Febr. Anno CHRISTI Mccccxxj.

Ante Annos 153. *qui fuit* *CHRISTI* 1412.

PETRVS de Alliaco, Gallus, sacræ paginæ Doctor, Parisiensis Gymnasij Cancellarius, Præceptor Ioannis de Gersone, Episcopus Cameracēsis, Presbyter Cardinalis S. Chrysogoni, Legatus ad Concilium Constantiense, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, Theologus sacrarum legum consumatissimus, De laude scripturæ sacræ & stabilitate Ecclesiæ Commentarios confecit. Speculum considerationis doctissimis voluminibus contexuit. Compendium contemplationis scripsit. De spiritali scala volumen edidit. Opus præterea cùm vtile tum necessarium de Sacramentis posteritatis memoriæ consecrauit. De legibus & sectis, De electione summi Pontificis, de exercitio spiritali & Concilio generali libros edidit, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Lucubrationes in principium Marci, in Psalmum lxx. Cantica Canticorum, & septem Psalmos pœnitentiales composuit. Commentatus quoq; est in Orationem

Dominicam

Dominicam, Salutationem Angelicam, Cantica Zachariæ atq; Simeonis, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Obijt v. calend. Ianuar. Anno Mccccxxv.

IOANNES cognomento Grossus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior xix. Generalis, patria Tholosanus, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, de primordijs & ordinis sui progressu Commentarios scripsit, cui Viridarij titulus tribuitur.

IOANNES Golein, Normannus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior Conuentus Rhotomagensis, insigni spectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum literarum peritiam toto orbe clarus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In tremendum porrò, impollutum, vitaleque Missæ sacrificium Commentarium edidit.

Ante Annos 152 *qui fuit* CHRISTI 1413.

IOANNES Zacharias, Germanus, patria Erfordiensis, vir doctissimus, Philosophus insignis, nec vlli suæ ætatis Theologorũ secundus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, in Concilio Constantiensi Pentateuchum Mosis Commentarijs illustrauit doctissimis. Pauli Epistolas omnes exposuit. Quatuor præterea libros in Sententias scripsit.

MATTHÆVS Aulæ Regiæ monachus, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, Orator facundus, Theologus sacrarum legũ exercitatissimus, Christianæ fidei professor acerrimus, vt qui sæpe cũ Ioanne Husio & sectatoribus eius Pragę disputauit, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Psalterium Dauidis Cõmentarijs illustrauit doctissimis. Expositiones in Matthæum scripsit, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 151. *qui fuit* CHRISTI 1414.

BAPTISTA prima, Galeazi Malatestæ Pisauri Flanimeæ vrbis Principis filia, & Guidoni Montefeltrensi Vrbinatium Comiti matrimonio copulata, miræ eruditionis qua

prædita erat perſæpe periculum fecit. Nam & cum doctiſsimis viris ſæpe non ſine laude diſputauit, & Latinè de humana fragilitate atque de vera religione luculentos quoſdam libros edidit. Habuit & orationem ad Martinum Pontificem Maximum, in qua ſuum Pontificatum ab omnibus optatum mirificè laudat, & illius Sacerdotij fœlicitatem ipſa ſua oratione exquiſitiſsimis laudibus proſequitur. Cuius tantus fuit orationis ornatus, talesque ſententiæ, vt ab ipſo Pontifice Martino magnificentiſsimè fuerit laudata & commendata.

Ante Annos 150. *qui fuit* CHRISTI 1415.

IOANNES Vvitlich, Germanus, ex Agrippinatum vrbe Colonia, doctrina & eloquentia vir clarus, Poëta, Orator atque Theologus ſuæ ætatis celeberrimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Pauli rurſus Epiſtolas omnes Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis.

IOANNES Capreolus, ordinis Prędicatorum, patria Tholoſanus, Philoſophus & Rhetor inſignis, Dialecticus ſubtilis, atq; Theologorum ſui ſeculi princeps. Quatuor libros in Sententias ſcripſit. Sermones plures cùm doctos tum elegantes, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

IOANNES Beſton, Anglicus, ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Conuentus Lynnenſis, vir diſertiſsimus, nō minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Theologus profundus, Compendium Theoſophiæ moralis docto volumine complexus eſt. Sermones elegantes atque doctiſsimos ad populum habitos ſcripſit. Obijt v. calend. Auguſt Anno Mccccxxviij.

S. NICOLAVS de Dinckelſpull, Germanus, Magiſter in Theologia, Vienenſis Gymnaſij in Auſtria Rector, Legatus ad Concilium Conſtantienſe, Philoſophus grauis, Hiſtoricus prudens, Orator facundus, atq; ſuæ ætatis nobiliſsimus rerum diuinarum interpres, ſtudiorum & obſeruator & cultor inſignis, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. De ſeptem donis Spiritus ſancti volumen doctè compoſitum edidit. Aliud prætere a de decem præceptis. Rurſus de octo beatitudinibus &

bus & tribus partibus pœnitentiæ Commentarios reliquit. De septem quoq; peccatis mortalibus librũ. Alium de præcepto charitatis. Et quem de peccatis linguæ cõposuit. Expositiones in Orationem Dominicam & Angelicam salutationem. Sermones quoq; in solennibus habitos plures posteritati consecrauit.

PETRVS de Rosenheim, Mellicensis Benedictinæ professionis in Austria monachus, Germanus, vir & doctrina & pietatis studio insignis, Philosophus clarus, Poëta grauis, Theologus profundus, cùm ad diuinæ cognitionẽ doctrinæ profanas etiã disciplinas adiecerat, ad Dominum Brandã Castellionem Mediolanensem, Episcopum Placentinum, & Presbyterum Cardinalem S. Clementis, opus metricum, cui Rosei memorialis diuinorum titulum dedit, super totius Bibliæ capita scripsit. Sermones quoque plures in honorem Sanctorum habitos posteritati consecrauit.

Ante Annos 149. *qui fuit* CHRISTI 1416.

ROBERTVS Rose, Anglicus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Nordouicensis, Philosophus, Rhetor atq; Theologus, Christianæ fidei cultor magnificus, Commentarios in Genesin, Exodum atque Leuiticum scripsit. Lucubrationes in Ecclesiasten edidit. Pauli Epistolam ad Titum exposuit. Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

S. IOANNES de Palomar, Barchinonensis Ecclesiæ Archidiaconus, Decretorum Doctor Gymnasij Viennensis in Austria, vir tùm sacrarum tùm profanarum literarum peritissimus, De abstinentia carnium ad Ioannem Scotorum Benedictinæ professionis Abbatem Viennensem scripsit. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ DEI profutura, posteritatis memoriæ consecrauit.

IOANNES Bate, Anglicus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de mõte Carmeli, doctrina & eloquẽtia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Philosophus, Rhetor, atque Poëta celebris, vt literas sacras

illuſtraret, Theoſophiæ Encomium abſoluit. Ad Clerum Oxonienſem volumen dedit. De Aſſumptione beatiſsimæ virginis MARIÆ Commentarium ſcripſit. Sermones elegantes & doctiſsimos poſteritati conſecrauit. Obijt vj. calend. Auguſti Anno Mccccxxix.

S. LVPVS de Oliueto, Hiſpanus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Hieronymi Prior generalis, B. Vincentij Ferrarij de Valentia frater, vir vndecunque doctiſsimus, vitæ & morum ſanctitate clarus, Philoſophus inſignis, nec vlli Theologorum ſecundus, cùm eloquentia vi polleret, diuinæque gratiæ nemis validus eſſet, ex dictis ſancti patris Hieronymi regulam ordinis ſui doctiſsimo volumine ſcripſit. Sermones plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus abſoluit.

Ante Annos 148. *qui fuit* CHRISTI 1417.

GABRIEL de Spoleto, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atq; ſcripturis ſacris doctiſsimus, aduerſus hęreſes libros cùm vtiles tum neceſſarios ſcripſit. Inuectus quoque eſt in fratricellos pro Catholica decertans religione.

VINCENTIVS Gruner, Germanus, Lipſenſis Gymnaſij primus Decanus, Philoſophus, Rhetor atque Poëta, ſuæ ætatis ſubtiliſsimus ſcripturarum diuinarum interpres, Expoſitiones in officium Miſſæ tribus voluminibus abſoluit.

NICOLAVS de Suſato, Germanus, ſacrę Theologiæ Doctor, Orator atq; Legatus Ludouici Comitis Palatini Rheni Bauariæq; Ducis ad Concilium Conſtantienſe, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Græco & Latino inſtructus eloquio, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Quæſtiones Sententiarum docto volumine cōplexus eſt. Sermones plures in honorem Sanctorum habitos ſcripſit.

Ante Annos 147. *qui fuit* CHRISTI 1418.

IOANNES Hofmannus, Epiſcopus Miſnēſis, ſacroſanctæ Theologiæ Doctor, Legatus ad Concilium Conſtantienſe,

tiense, Præsul ingeniosus, grauis & ornatus moribus, numinis reuerentissimus, liberalibus studijs sacrisq; disciplinis deditus, priscæ sanctitatis æmulus, De officio Missæ & omnium actionum in Missa libros sex, ad illustres Principes Dominos Marchiones Misnenses scripsit.

FRANCISCVS Zabarella, Patauiensis, V.I. Doctor, electus Episcopus Florentinus, Diaconus Cardinalis SS. Cosmæ & Damiani, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus, Orator atq; Poëta, Iureconsultus celeberrimus, Apparatus solennes in Decretales & Clementinas conscripsit. De horis quoque Canonicis volumen absoluit. Obijt Constantiæ in Concilio generali vj. Cal. Octobr. Mccccxix. Cadauer Patauium translatũ ibidem in Ecclesia Cathedrali sepultum est.

S. IOANNES de Gersone, Cancellarius Parisiensis, Petri de Aliaco Cardinalis Cameracensis auditor quondã atque discipulus, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis doctissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, De concordantia Euangelistarum Commentarium perfecit. Cõpendium Theologiæ, quod complectitur aliquas materias communes, ad fidem & doctrinam Catholicam spectantes, doctissimis voluminibus contexuit. De potestate Ecclesiastica scripsit. De modo se habẽdi tempore Schismatis volumen scripsit. Commentarios præterea de vnitate Ecclesiastica. De statibus Ecclesiasticis. De modo viuendi omnium fidelium. De schismate. Contra Petrum de Luna. De susceptione humanitatis CHRISTI. Et contra Ioannem Ruiszbroich posteritatis memoriæ consecrauit. Quæ veritates sint de necessitate salutis credendæ proposuit. De protestatione circa materiã fidei contra hæreses. De communione laicorum sub vtraq; specie. De probatione spirituum. De examinatione doctrinarum. De libris quorundam cautè legendis. Et distinctione verarum visionum à falsis libros edidit. Propositiones de sensu literali sacræ scripturæ, & de causis errantium composuit. In S. Marcum Commentaria scripsit. Opusculum tripartitum, De præceptis Decalogi, De confessione & arte moriendi perfecit. De potestate ligandi atq; soluendi Dia-

di Dialogum reliquit. De contemptu clauium & materia excommunicationum, indulgentijs quoque libros composuit. Alios de præparatione ad Missam, & pollutione nocturna. De cœlibatu Ecclesiasticorum. Cōtra impugnantes ordinem Carthusiensium, & centum alia ingenij sui monimenta Ecclesię DEI profutura reliquit. Cùm in concilio Constantiensi pro hæresum extirpatione gloriosè laboraret, patria, domo, cognatione, dignitatibus, rebusque proprijs priuatus, & multis insidijs expetitus, moritur iiij. Id. Iul. Anno CHRISTI Mccccxxix. Ætatis lxvj. Lugduni in Cœlestinorum basilica sepultus.

S. MAPHÆVS Vegius, patria Laudensis, insigni spectataq; virtute præditus vir, Philosophus insignis, Poëta grauis & ingeniosus, Historicus celeberrimus, tū præterea Theologorum suæ ætatis princeps, Septem Psalmos Pœnitentiales Cōmentarijs illustrauit doctissimis. Vitam S. Monicæ matris D. Augustini eleganti volumine complexus est. Antonij quoque Anachoritæ vitam, & alia plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

S. VINCENTIVS Ferrarius de Valentia, Ordinis Prædicatorum, legatus ad Concilium Constantiense, vir sanctitate vitæ & Monachorum studijs ab adolescentia exercitatus, Theologus profundus, Orator eloquens, Sermones plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 146. qui fuit CHRISTI 1419.

RICHARDVS Hampole, ex Eboracensi Anglorum Comitatu oriundus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator perfectus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Commentarijs librum Iob & Threnos Iheremię doctissimis illustrauit. Elogium nominis IESV absoluit. Regulam bene viuendi tradidit. Expositiones in Cantica Prophetarum Esaiæ, Ezechielis, Annæ matris Samuelis, Moysi, Abacuc, Danielis, Zachariæ, MARIÆ, Symeonis, in Orationem Dominicam, in Symbola tria Apostolicum, Ambrosianum, & Athanasianum scripsit.

S. THQMAS Vvalden, Ordinis fratrum, B. MA-
RIÆ

RIÆ semper virginis de monte Carmeli, Anglicus,& Prior prouinciȩ Anglicanȩ generalis,Henrici v. Anglorum Regis olim Cōfessor & Secretarius, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis absolutissimus, pro fide contra Vuiclefitas & Husitas prolixis voluminibus scripsit, quibus doctrinalis Ecclesiæ titulum dedit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Extant eius & in Genesim, Exodum, Leuiticum, in Salomonis Sapientiā, in Paulum ad Romanos, Acta Apostolorum, & primam Petri Canonicam Commentarij. Fasciculum Zizaniorum Vuicleui collegit. De corpore CHRISTI librum absoluit. Rursus de præscientia & prædestinatione. De fide & indulgentijs libros reliquit. Obijt Rhotomagi iij. Non. Nouembr. Anno Mccccxxx.

IOANNES de Bromyard, Ordinis Prædicatorum,Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, cùm sacras atque profanas literas summè didicerat, Sermones plures cùm doctè tum eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

IOANNES Rhodius, Germanus, patria Treuerensis, Metensis templi Canonicus, S. Symeonis Decanus, atque Curiæ Treuerensis Officialis, Regularis obseruantiæ Bursfeldensis per totam Germaniā instaurator, & vtriusq; sexus Monasteriorū per totā Rhenensem prouinciā reformator celeberrimus, sacrȩ Theologiȩ Baccalaureus,& Pontificiorū Canonum Licenciatus Haidelbergensis,altius cogitationes suas in DEVM Opt. Max. collocans,abiectis dignitatibus secularibus,se DEO deuouit,factusq; Monachus,grates CHRISTO Saluatori ꝑ beneficijs acceptis persoluturus Carthusiā extra Treuerim ingreditur, verū ab Ottone eiusdē Sedis Archimysta ReuerendissimoMaximi Pōtificis permissu euocatus, sanctiq; Mathiæ Benedictinæ professionis Cœnobij Abbas Treueris designatus, diuinis se scripturis totū & contemplationi dedidit, vitamq; fœlicem ad Annos lxx. amplius traduxit, in quibus multa scripsit vt literas sacras illustraret, inprimis pro reformatione Monachorū cōstitutiones vtiles librū vnū.De qualitate Abbatis volumen.In Genesin librū imperfectū. Obijt extra Monasteriū in oppido Monthabur Calend, Decemb.

Anno.

Anno Mccccxxxix. ſepultus in Monaſterio ſuo S. Mathiæ Apoſtoli Treueris ante Aram D. Stephani.

Ante Annos 145. *qui fuit* CHRISTI 1420.

ALANVS de Lynna, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir in monaſtica diſciplina exercitatus, Philoſophus atque Theologus ſuæ ætatis clariſsimus, De vario ſcripturæ ſenſu volumen, Sermones elegantes atque doctiſsimos ſcripſit.

S. HERMANNVS Petra de Sutdorp, Ordinis Carthuſienſium, Germanus, Rector Domus Sanctimonialium D. Annæ iuxta Brugas in Flandria, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, de regimine monialiũ volumen ſcripſit. Expoſitionem orationis Dominicæ reliquit. Sermones elegantes ad populum habitos, & plura alia Eccleſiæ DEI profutura poſteritatis memoriæ conſecrauit. Moritur ix. Calend. Maij Anno CHRISTI Mccccxxviij.

Ante Annos 144. *qui fuit* CHRISTI 1421.

IOANNES de Schonhouen, Germanus, Ordinis Canonicorum regularium S. Auguſtini in Gronedall, Cameracenſis Diœceſis, vir doctiſsimus, & in monaſtica diſciplina exercitatus, nec vlli ſuæ ætatis Theologorum ſecundus, De curſu monachi volumen. Aliud de profectu monachi abſoluit. Sermones quoque in honorem Sanctorum habitos plures ſcripſit.

ANTONIVS de Parma, Ordinis Camaldulenſis Prior generalis, legatus ad concilium Conſtantienſe, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumq́; literarum & rerum peritiſsimus, Sermones plures cùm doctè tum eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

Ante Annos 143. *qui fuit* CHRISTI 1422.

IOANNES Tylney, Nordouicenſis, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir ingenioſus, grauis & ornatus moribus, Chriſtianæ religionis obſeruantiſsimus, Orator facundus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſ-

ercitatissimus, Commentarijs Apocalysin Ioannis illustrauit doctissimis. Compendium in libros Sententiarum Lombardi scripsit.

GVILIELMVS Lugdunensis, Ordinis Prædicatorum, Philosophus & Rhetor insignis, atque Theologorum sui sæculi facilè princeps, quatuor libros Sententiarum Lombardi Commentarijs illustrauit doctissimis.

Ante Annos 142. *qui fuit* CHRISTI 1423.

IOANNES Nider, Ordinis Prædicatorũ, Germanus, hæreticæ prauitatis inquisitor, sacræ paginæ Doctor, insigni spectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continẽtiã & sacrarũ maximè literarum peritiam toto orbe clarus, De præceptis Decalogi librum. Alium de consolatione conscientiæ scripsit. Tũ porrò cui speculi perfectionis titulus tribuitur pfecit. De formicis quoque vitã considerans Christianam, diuino instructus eloquio Cõmentarios composuit. Sermones elegantes atq; doctissimos posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 141. *qui fuit* CHRISTI 1424.

BERTRAMVS Fetzalen, Anglicus, vir omni literatura consumatissimus, dicendi artifex & Orator facũdus, nec vlli Theologorũ secundus, Quartũ librum Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones & elegantes & doctos scripsit.

Ante Annos 140. *qui fuit* CHRISTI 1425.

IOANNES Pole, Anglicus, Philosophus grauis, Historicus prudens, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, studiorum & obseruator & cultor insignis, vitam atque miracula S. Vvalpurgæ virginis, cùm doctè tum eleganter conscripsit.

GERARDVS de Castris, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & doctrina & pietatis studio insignis, cùm ad diuinæ cognitionẽ doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, De passione Dominica Commentarios, Sermones rursus in honorem Sanctorum habitos plures scripsit.

Ante Annos 139. *qui fuit* CHRISTI 1426.

PETRTS Paulus Vergerius, Iustinopolitanus, Chrysoloræ Bizantini Philosophi apud Venetias Græcas literas docentis quondam auditor, Legatus ad Concilium Constantiense, vir suæ ætatis Theologorum nobilissimus, Græco atque Latino instructus eloquio, Rhetor insignis Iureconsultus celeberrimus, Diui patris Hieronymi vitam doctis Commentarijs, optima fide posteritatis memoriæ consecrauit.

HENRICVS de Eimbeckh, dictus Magister Engelus, patria Saxo, sacræ Theologiæ Doctor, Philosophus, Rhetor atq; Theologus, Christianæ fidei cultor magnificus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Moritur in Saxonia vij. Calend. Nouembr. Anno Mccccxxx.

IOANNES Gritsch, Germanus, patria Basiliensis, Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Baccalaureus, Decretorũ Doctor, vir cùm sacrarum tum profanarum literarum peritissimus, De passione Dominica Commentarium. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

IOANNES Plaeth, Germanus, Decretorum Doctor, atq; Professor Gymnasij Heidelbergensis, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, contra Boëmos libellos doctè compositos scripsit. Quæstionum Sententiarum volumen edidit.

Ante Annos 138. *qui fuit* CHRISTI 1427.

AMBROSIVS Florentinus, Ordinis Camaldulensis generalis Abbas, oriundus è Porticu oppido Flaminiæ, dilectus inprimis Cosmæ Medici. & Politiani Chrysoloræ Byzantini Philosophi, Græcas literas apud Venetias docentis auditor, Eugenij iiij. Pontificis Orator & Legatus ad Conciliũ Basiliense, vbi pro eo solennem orationem habuit ad patres, vir diuinarũ literarum Græcarumq; disciplinarum, nec non artis Oratoriæ atq; Philosophiç egregiè peritus, princeps suç ætatis Theologorũ, multarumq; literarum & rerum peritissimus, vir sanè ita vtraq; lingua doctus, vt è Græco in Latinum & vitã B. Ioannis Chysostomi, & Quatuor libros B. Dionysij Areopagitæ, Basilium quoq; de virginitate trãstulerit. Sed & tres libros D. Ioannis Chrysostomi ad Stagirium

girium Monachum Arrepticium, luculento & ornato conuerterit eloquio. Vertit & è Græco Ioannem Climacum, vitas Sanctorum Patrum, Ephręm Syrum, Librum Chrysostomi cõtra eos qui vitã monachorũ vituperant. Scripsit de Sacramentis, de sancto Spiritu, & plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura.

CONRADVS Baro de Zimbern, Diuitis Augiæ Benedictinæ professionis in Cõstantiensi Diœcesi Monachus, Germanus, patria Sueuus, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianę religionis obseruantissimus, Orator facũdus, Poëta grauis, Musicus absolutissimus, multa in laudem Beatissimæ virginis MARIÆ doctissimo carmine scripsit. Deplorauit & statum Augiæ Heroico versu.

Ante Annos 137. qui fuit CHRISTI 1428.

IOANNES Hayton, Anglus, insigni spectataq; virtute præditus vir, princeps suæ ætatis Philosophorũ, sacrarũ literarum Doctor subtilis, doctissimos in Euangelia SS. Matthæi, Lucæ atq; Ioannis Commentarios absoluit. Expositiones in Epistolas Pauli ad Hebræos & Corinthios, Canonicam Ioannis & eius Apocalypsin scripsit.

Ante Annos 136. qui fuit CHRISTI 1429.

S. HENRICVS Gulpen, B. Ægidij apud Noribergenses Benedictinæ professionis Abbas, Decretorũ Doctor, Philosophiæ Magister, Legatus ad Conciliũ Constantiense, Philosophus insignis, Theologus profundus, Iureconsultus celeberrimus, multarumq; literarũ & rerum peritissimus, cùm sacras atq; profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politã, super septem distinctionibus volumẽ confecit. Aliud de pœnitentia scripsit. De passione rursus Dominica librum edidit. Et eum cui cõsecrationis titulus tribuitur posteritati consecrauit. Obijt Norinbergæ iiij. Non. Iunij Anno CHRISTI Mccccxxxv.

Ante Annos 133. qui fuit CHRISTI 1432.

RVDOLPHVS De Brussella, oppido Sueuię, Spirẽsis Diœcesios, Germanus, sacræ Theologiæ Doctor atq; Professor Gymnasij Haidelbergẽsis, elegãtis copiosęq; elocutiõis vir, sacrarũ

literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Quæstionum Sententiarum volumen absoluit. Orationes plures ad Patres habitas confecit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

IOANNES Dieppurg de Francofordia, Germanus, sacræ paginę Doctor, atq; Professor Gymnasij Heidelbergensis, à sacris & cõfessione Ludouico Bauariæ Duci Comiti Palatino Rheni, in arduis causis & negotijs sæpe Orator atq; Legatus, vir admiratione omnium dignissimus, Philosophus subtilis, Orator facundus, Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, contra Hussitas volumen & doctum & prolixũ. Aliud contra Faymoros scripsit. De prędestinatione librũ edidit Sermones in honorem sanctorum habitos plures posteritati reliquit.

HENRICVS Vuichyngham, Anglus, vir cùm confessionis gloria, tum vita & cõuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Theologus profundus, multarumq; literarũ & rerum peritissimus, De quadruplici aduentu CHRISTI Commentarium absoluit. De conceptione B. MARIÆ semper virginis libros edidit. Expositiones in Esaiam Prophetam & Ioannis Apocalypsin scripsit. Sermones rursus non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos posteritati reliquit. Decessit Nordonici v. Calend. Febr. Anno Mccccxlvij.

PHILIPPVS Otterburgensis, instituti Cisterciensis, Vvormatiensis Diæcesios Abbas, Germanus, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, Cantica Canticorum Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones doctos & elegantes, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

PETRVS de Colle, Ordinis Minorum, Germanus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus sacrarum literarum exercitatissimus, De Concilij authoritate volumen cõscripsit doctissimum. Quatuor libros Sententiarũ Lombardi exposuit. Sermones ad populum habitos plures posteritati reliquit.

Ante Annos 131. *qui fuit* CHRISTI 1434.

PAVLVS de S. Maria, genere Iudęus, fide Christianus, ex Episcopo Carthaginẽsi Burgensis in Hispania Antistes,

sacræ

ſacræ Theologiæ Magiſter, Archicancellarius Regis Caſtellæ & Legionis, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus & Orator celebris, nec vlli Theologorum ſecundus, ad filiũ ſuũ Alphonſum Decanum Compoſtellanum Legum Doctorem, in libros Nicolai de Lyra Additionum volumen ſcripſit. Opus præterea cùm vtile tum neceſſarium, cui Scrutinij ſcripturarum titulus tribuitur, duobus Commentarijs abſoluit.

Ante Annos 130. qui fuit CHRISTI 1435.

NICOLAVS Simonis, Hollandus, ordínis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir arcana & myſtica diuinarum ſcripturarum interpretatione altus atque ſublimis, fidei propagator acerrimus, Iureconſultus celeberrimus, De poteſtate ſummi Pontificis, Imperatoris & Concilij, volumen ſcripſit. Sermones rurſus plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

GEORGIVS Trapezontius, Secretarius Apoſtolicus, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Rhetor atque Theologus ſuæ ætatis clariſsimus, Græcæ pariter & Latinæ doctus, Romæ illum Euangelij locum: Si volo eum manere donec veniam, quid ad te? & quòd S. Ioannes Euangeliſta nondum ſit mortuus opuſculum conſcripſit. De veritate fidei Chriſtianæ Commentariolum abſoluit. Tranſtulit è Græco in Latinum eloquium Cyrilli Commentarios in Euangelium Ioannis, & eiuſdem de Trinitate libros xiiij. Chryſoſtomi Homilias in Matthæum lxxxj. poſteriores. Et Gregorij Nyſſeni myſticam Moſaicæ vitæ enarrationem.

HENRICVS de Gauda, Germanus, Heidelbergenſis Gymnaſij Profeſſor, vir doctiſsimus, nec vlli Theologorum ſecundus, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illuſtris. In libros Sententiarum volumen. Aliud de celebratione Miſſarum ſcripſit.

Ante Annos 129. qui fuit CHRISTI 1436.

PETRVS de Herenthall, monachus, ordinis

Præmonstratẽsis, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis.

VVINANDVS de Stega, Bacheracensis Ecclesiæ Pastor in Ducatu Vvirtenbergensi, vir diuinarum literarum Græcarumq; disciplinarum, nec non artis Oratoriæ atq; Philosophiæ egregie peritus, Pentateuchum Mosis diligenter & copiosè ac optima fide exposuit.

NICOLAVS Lackman, Germanus, Ordinis Minorum minister generalis Saxoniæ, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Oratorum suæ ætatis eloquentissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

Ante Annos 128. *qui fuit* CHRISTI 1437.

NICOLAVS Cantilepus, Britannus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir omni literatura doctissimus, adeoq; subtilissimus rerum diuinarum interpres, Historicus grauis & prudens Primum librum Sententiarum exposuit. Encomium sui ordinis scripsit. Rerum gestarum historiam ab exordio mundi vsque ad sua tempora optima fide oculis conspectuque omnium proposuit. Obijt vj. Non. Septembr. Anno Mccccxlj.

S. BERNARDINVS Senensis, Italus, Ordinis Minorum, vir non solùm viuens clarissimus fuit, sed eum DEVS etiam cohonestans, mirificorum operum patratorem esse ostendit superstitem simul & defunctum. Et fama obtinet, quod viuo non euenit, id mortuo accidisse, vt scilicet dæmonibus agitati multi ad sepulchrum eius accedentes plaga ea liberarentur, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis doctissimus, spretis opibus, posthabitis voluptatibus, non sibi ipsi sed Ecclesiæ ac diuino honori consulens, ita vixit, vt vsq; ad tempore nostra vix parem habuerit, nedum superiorem vel sanctitate vitæ, vel doctrina & scriptis. Nam vt increméta sua caperet Ecclesia, prædicando, docendo, monẽdo, castigando, factiones Italiæ Guelpham scilicet & Gibellinã magna ex parte extin-

xit,

xit,& Christianis hominibus benè beateq; viuēdi viam ostendit: cumq; doctrina & dicendi copia præclaram consecutus famam, De Euangelio æterno libros. Alium item de Christiana religione, composuit. Edidit quoq; de conceptione B. MARIÆ semper virginis librum. Et alium de passione Dominica. Rursus expositionem in Apocalypsin Ioannis, Sermones elegantes atq; doctissimos scripsit. Moritur apud Aquiliam Aprucij vrbem xiij. calend. Iunij Anno CHRISTI Mccccxliij. Ætatis verò lxiij. vbi corpus eius magna cum veneratione inuisitur.

Ante Annos 128. qui fuit CHRISTI 1437.

S. ANTONINVS, Italus, ordinis Prædicatorum, auditor Rotæ in vrbe Roma, Archiepiscopus Florentinus, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus & Rhetor, suiq; temporis Poëtarum nulli secundus, omni literatura & sanctitate conspicuus, Historiam Ecclesiasticā ab initio mundi deductam vsq; ad Annū CHRISTI Saluatoris Mccccclx. composuit, diuisam in titulos xxiiij. In quibus sanctorum præcipuè Episcoporum, Martyrum, Doctorum & Pontificum Romanorum historias recitat. Scripsit & summam casuum conscientiæ. Instructorium Confessorum. De censura Ecclesiastica. Et sermones plures ad populum habitos. Obijt Florentiæ mense Maio, Anno Mccccclix. ad D. Marcum sepultus.

IOANNES Gavver, Germanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Maguntinēsis, sacræ paginæ Doctor atq; Professor, vir doctissimus, & in monastica disciplina exercitatus, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Exodum Commentarijs illustrauit doctissimis, Sermones quoq; in honorem Sanctorum habitos plures edidit.

IOANNES Campolus, doctrina & eloquentia vir clarus, Poëta, Orator atque Theologus suæ ætatis clarissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

Ante Annos 127. qui fuit CHRISTI 1438.

NICO-

NICOLAVS Vvigelt, Germanus, qui indulgentias pro reductione Græcorum per Concilium Basilienſe datas promulgauit Friburgi, De Indulgentijs, Commentariolum & vtiliſsimum & neceſſarium ſcripſit.

THOMASINVS, patria Ferrarienſis, ordinis Prædicatorum, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Eccleſiæ DEI profutura poſteritatis memoriæ conſecrauit.

HEYMERICVS de Campo, Germanus, Gymnaſij Colonienſis Vicecancellarius, Legatus ad Concilium Basilienſe, vir omni literatura conſumatiſsimus, dicendi artifex & Orator facundus, Philoſophus ſubtilis, nec vlli Theologorum ſecundus, cùm ſui temporis Magiſtros literarum ſcientia, eruditione & doctrina antecelleret, libros plurimos compoſuit, Compendium quæſtionum abſoluit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Compendium diuinorum quatuor libris conſcripſit. De authoritate Concilij Commentarium perfecit. Sermones plures & doctè & eleganter compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, poſteritati reliquit.

IOANNES Erneſti, Germanus, Heidelbergenſis Gymnaſij Rector, Philoſophus grauis, nobiliſsimus ſuæ ætatis rerum diuinarũ interpres, ſtudiorum & obſeruator & cultor inſignis, Quæſtionum Sententiarum volumẽ ſcripſit. De authoritate Concilij Commentariolum edidit. Sermones elegantes atque doctiſsimos compoſuit.

BONIFACIVS Ferrarius de Valentia, natione Cathalanus, Ordinis Carthuſienſium Prior xxv. B. Vincentij frater, inſigni ſpectataq; virtute præditus vir, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, ſacrarum literarum Doctor ſubtilis, cur in ordine Carthuſienſium pauci canonizati ſint, & miracula publicè non faciant, Ad Bonifacium eiuſdem ordinis ſcripſit. De approbatione quoq; ordinis ſui volumen abſoluit.

IOANNES de Raguſio, ordinis Prædicatorum, Legatus

Legatus ad Concilium Basiliense, vir omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, Philosophus, Rhetor atq; Theologus, Hussitarum hæresim tùm vigentem oppugnauit, cùm falsas eorum opiniones ad verbum refellens, tum vitam & mores authorum eius erroris describens.

BARTHOLOMÆVS, ordinis Carthusiensium, Prior domus Bethlehem in Ruremunda oppido Gelriæ, Germanus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Theologus profundus, Exercitium deuotionis docto volumine scripsit. De abstinentia carnium Commentarium edidit. De voto quoq; & iuramento libros absoluit. Moritur iiij. Id. Iul. Anno Saluatoris CHRISTI Mccccxlvj.

Ante Annos 126. qui fuit CHRISTI 1439:

NICOLAVS de Gorran, ordinis Prædicatorũ, vir in diuinis scripturis exercitatissimus, & scientia seculari doctissimus, Philosophus, Rhetor & Theologus, Quatuor libros Sẽtentiarum Lombardi exposuit. Vtriusq; Tastamenti scripta ferè omnia Commentarijs in hunc vsq; diem extantibus, illustrauit.

BESSARION Trapezuntius, Græcus, Asiaticus, monachus S. Basilij, Archiepiscopus Nicænus, Patriarcha Cõstantinopolitanus, Episcopus Cardinalis Tusculanus basilicæ SS. xij. Apostolorum, Gemisti auditor atq; discipulus, vir doctissimus, qui primam ætatem Græcorum disciplinis docendis consumpsit, magnamque in eis laudem est consecutus, Philosophus, & Orator eminentissimus, Theologus sacrarum literarum exercitatissimus, contra Marcum Episcopum de Spiritu sancto more Græcorum malè sentientem, in Concilio Florentino insigne & præclarum volumen scripsit. Edidit & librum de Eucharistia. Obijt Rauennæ, rediens è Gallica legatione xiiij. calend. Decembr. Anno CHRISTI Mcccclxxij. Cadauer Romam portatum ad S. Apostolos sepultum est.

S. IOANNES de Teneramunda, ordinis Carthusiensium, Prior domus Sillimaci in Sabaudia, vir sanctissimus, in lege DEI exercitatissimus, & sacris scripturis doctissimus,

Philoſophus clarus, Orator facundus, volumen de notitia DEI doctiſsimè confecit. Compoſuit & de reparatione lapſi librum. Alium item de gaudio hominis. Ædidit rurſum de fide Christiana. De cōceptione glorioſa B.MARIÆ ſemper virginis. De natura & lapſu hominis. De amore & honore DEI Comentarios. De Sacramento prætęrea Altaris ſcripſit, aliaq; plura ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

S. IOANNES de Capiſtrano Aprucij oppido, non longè ab Aquila vrbe, Ordinis Minorū, S. Bernardini Senenſis auditor atq; diſcipulus, vir doctrina, moribus & vitæ ſanctitate nemini ſecundus, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, dicendi artifex & Orator eloquens, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, De cupiditate libros tres abſoluit. De paſsione Dominica Commentarium edidit. Contra Huſsitas ſcripſit. Sermones quoq; plures & eleganter & doctè ad populum habitos, poſteritatis memoriæ conſecrauit.

Ante Annos 125. qui fuit CHRISTI 1440.

HERMANNVS Monachus in Campo inſtituti Ciſtertienſis, in Diæceſi Monaſterienſi, Germanus, patria Vveſtphalus, vir eruditione et eloquentia clarus, Orator perfectiſsimus, Iureconſultus celeberrimus, nec vlli Theologorum ſecundus, De poteſtate Papæ & Concilij volumen. Alium de ſchiſmate. Et quē de vocibus diffinitiuis in Concilio ſcripſit, aliaq; ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

IOANNES Thorpe, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir cùm ſacrarum tum profanarum literarum peritiſsimus, Apocalypſin Ioannis Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis.

Ante Annos 122. qui fuit CHRISTI 1443.

GERARDVS Stredam, Germanus, Ordinis Carthuſienſium, Prior domus SS. Apoſtolorum iuxta Leodium, doctrina & eloquentia vir clarus, ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, ad Abbatem S. Hadriani de Giraldi monte, De paſtorali cura volumen ſcripſit. Aliud de ſeptem Sacramentis

cramentis

cramentis edidit. Commentarios de vitijs & virtutibus. De decē præceptis, & quibus ſpeculi religioſorū titulus tribuitur, abſoluit.

Ante Annos 121. *qui fuit* CHRISTI 1444.

IOANNES Noblet, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de mone Carmeli, Gallus, ſacræ paginæ Doctor & Profeſſor Gymnaſij Pariſienſis, Philoſophus clariſsimus, Rhetor inſignis, Hiſtoricus celeberrimus, & ſuæ ætatis ſubtiliſsimus ſcripturarum diuinarum interpres. Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit: Biblica ſcripta ferè omnia Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. In Epiſtolas Canonicas libros vij. conſcripſit. Sermones quoq; plures & doctè & eleganter cōpoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

Ante Annos 120 *qui fuit* CHRISTI 1445.

ANDREAS de Traiecto, Germanus, Spanheimenſis Benedictinæ profeſsionis in Diæceſi Maguntina inter Rhenum & Herciniam ſyluam monachus, diuina & humana literatura inſtructus, vir ſuæ ætatis eloquentiſsimus, Orator facundus, Poëta grauis, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Soliloquiorum hominis ad DEVM edidit volumen. Aliud de profectu virtutum ſcripſit. De abſtinentia carnium Commentarium, & plura alia ſcripturarum monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

LEONARDVS de Vtino, Ordinis Prædicatorum, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, Sermones elegantes atq; doctiſsimos ſcripſit.

Ante Annos 118. *qui fuit* CHRISTI 1447.

OSVALDVS Anglicus, Ordinis Carthuſienſium, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, De remedijs tentationum volumen. Aliud meditationum ſolitariarum ſcripſit.

Ante Annos 117. *qui fuit* CHRISTI 1448.

IOANNES Barnynghā, Anglus, ex Gippenſuicenſi Sudouolcarum Comitatu, Ordinis fratrum B. MARIÆ

ſemper virginis de monte Carmeli, vir omni literatura doctiſsimus, ſuæ ætatis nobiliſsimus rerum diuinarum interpres, athleta pro CHRISTI fide inuictus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. De peccato Commentariolum edidit, aliaq; plura ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura, reliquit.

NICOLAVS de Cuſa, Germanus, Treuerenſis Diœceſios, ex Canonico regulari Archidiaconus Leodienſis, & Prothonotarius Apoſtolicus, ſacræ paginæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ, Brixinenſis Epiſcopus, doctrina & eloquentia vir clarus, ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, Græcæ, Latinæ & Hebrææ linguæ peritiſsimus, Philoſophus, Rhetor, Aſtronomus, Poëta, Muſicus & Mathematicus abſolutiſsimus, Hiſtoricus celeberrimus, qui tantum diſciplinarum doctrina excellebat, vt de viſione DEI volumen. Aliud de pace fidei conſcriberet. In Boëmos ſcriptis inueheretur. De Geneſi Commentariolum ederet. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Eccleſiæ DEI profutura poſteritatis memoriæ conſecraret. Obijt Tuderti in Vmbria, pridie Idus Auguſti, Anno Mccccclxiiij. Ætatis lxiij. Cadauer Romam relatum in titulo ſuo ſepelitur.

Ante Annos 116. qui fuit CHRISTI 1449.

GABRIEL Byel, Germanus, ſacræ Theologiæ Licentiatus, atque Profeſſor Gymnaſij Tubingenſis, Cathedralis Nemetum templi quod Spirenſe vocant Presbyter, ordinis fratrum de vita communi, Philoſophus, Orator atq; Poëta, & ſuæ ætatis nobiliſsimus rerum diuinarum interpres, Canonem Miſſæ Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. De paſsione Dominica volumen. Aliud de obedientia ſedis Apoſtolicæ ſcripſit. Sermones plures Moguntiæ in Eccleſia Metropolitana S. Martini ad populum habitos compoſuit. Epitomen quoq; in libros Sententiarum conſcriptum poſteritatis memoriæ conſecrauit.

GEORGIVS de Gemmyngen, Germanus, Sueuus, Præpoſitus & Canonic' Cathedralis baſilicæ Spirenſis, vtriuſque Iuris Doctor & celeberrimus interpres, vir ſacrarum legum exercitatiſsimus, Philoſophus celebris, Rhetor inſignis, Orator facundus,

facundus, Poëta grauis & ingeniosus, Græco atq; Latino instructus eloquio, Orationes quasdam in Synodis & alibi habitas edidit. Obseruationes pro confessoribus scripsit. Obijt Spiræ, in ambitu Cathedralis basilicæ sepultus.

Ante Annos 115. qui fuit CHRISTI 1450.

HENRICVS de Boyo, Brito, sacræ Theologiæ Doctor, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & doctrina & pietate studio insignis, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, Quatuor libros in Sententias scripsit.

ALBERTVS Sigebergensis, Benedictinæ professionis Monachus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, vtrūq; Testamentum optima fide Commentarijs illustrauit doctissimis.

Ante Annos 113. qui fuit CHRISTI 1452.

PETRVS de sancta fide, Anglicus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Nordouicensis, Philosophus, Rhetor atque Theologus, Christianæ fidei cultor magnificus, Petri Apostoli Canonicam exposuit. Epitomen Sententiarum confecit. Præconia Petri Lombardi composuit. Alphabetum Theologiæ absoluit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

ÆGIDIVS Fabri, vir tum sacrarum tum profanarum literarum peritissimus, Quatuor libros Sententiarū Lombardi exposuit. Sermones ad populum habitos plures scripsit.

IOANNES Stanbery, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, sacræ paginæ Doctor Oxoniensis, Bangorensis Episcopus, ac Heresfordensis Præsul, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarū studijs doctus & inprimis eruditus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De Symbolo fidei docto volumine scripsit. De Dote Ecclesiæ. De sanctionibus Ecclesiasticis & potestate Pōtificia libros. Alium item de prærogatiua Ecclesiastica composuit. Edidit quoque de vigore scripturæ Sacræ librum, Et alium de vario scripturę

 sensu.

ſenſu. Item alium de viſitatione infirmorum. Et quem de cura pro mortuis agenda ſcripſit. Porrò de laude charitatis volumen. Et aliud de diſciplina Chriſtiana confecit. Expoſitiones in aliquot Auguſtini opera ſcripſit. Sermones plures ad populum habitos, & alia ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit. Moritur Ludlouuiæ vij. Calend. Octobr. Anno Mccccclxiiij.

Ante Annos 112. *qui fuit* CHRISTI 1453.

ISOTA Nouarola, virgo Veronenſis, Philoſophiam verbo & opere profeſſa eſt, literarum ſtudijs ac perpetuæ virginitati ſe dicauit. Orationes permultas ad Nicolaū v. Pium ij. Pontifices viros doctiſsimos ſcripſit, præcipuęq; in eo Conuentu quem Mantuæ egiſſe Pium ij. conſtat. Suadebat & hortabatur validiſsimis argumentis & probationibus, non ſine maxima exemplorum copia, tum Pontificem tum Reuerendiſsimos ſanctæ Eccleſiæ Cardinales & Chriſtianorum Principes in bellum aduerſus Turcum, qui Chriſtianum nomen & Chriſtianam religionem conabatur euertere. Confecit rurſus Dialogum quo diſputatur vter grauius peccauerit Adam ne an Eua. Moritur apud Veronam vrbem ſuam Anno Mccccclxvj.

Ante Annos 111. *qui fuit* CHRISTI 1454.

NICOLAVS Kenton, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Philoſophus & Rhetor inſignis, ſuæ ætatis ſubtiliſsimus ſcripturarum diuinarum interpres, Expoſitiones in Orationem Dominicam, & Cantica Canticorum ſcripſit: Hiſtoriam Eliſæi Prophetæ confecit. Vitam S. Cyrilli Græci abſoluit. De pœnitentibus præterea ſuſcipiendis Commētariolum edidit. Moritur Londini iij. Non. Auguſti Anno Mccccclxviij.

Ante Annos 110. *qui fuit* CHRISTI 1455.

DAVID Boys, Anglus, Glouceſtrienſis Cœnobij Monachus, vir tam diuina quàm profana literatura doctiſsimus, Philoſophus inſignis, Orator verò omnibus ijs artibus quæ ſunt libero homine dignæ perpolitus, Theologus ſacrarum diſciplinarum exercitatiſsimus, De duplici hominum immortalitate volumen.

volumen. Aliud aduersus Agarenorum insidias scripsit. De vera innocentia librum edidit. De doctrina Spiritus Cōmentarios absoluit. Sermones quoque plures ad populum habitos posteritati consecrauit.

Ante Annos 109. *qui fuit* CHRISTI 1456.

IOANNES de Turre cremata, Hispanus, Ordinis Prædicatorum, sacræ Theologiæ Doctor, Magister sacri Palatij, Presbyter Cardinalis S. Xysti, pòst Calisti, Episcopus Albanus & Sabinus, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, Iureconsultus celeberrimus, Theologus sacrarum literarū scientia nemini secundus, Expositionem regulæ Benedictinæ scripsit. Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. Lucubrationes in Sacra quatuor Euangelia composuit. De aqua benedicta & Animæ salute Commentarios edidit. Sermones cùm doctos tum elegantes posteritatis memoriæ consecrauit. De authoritate rursus Ecclesiæ volumen absoluit. Obijt Romæ vij. Calend. Octobr. Anno Mccccixviij. sepultus ad S. MARIAM super Mineruā.

Ante Annos 108. *qui fuit* CHRISTI 1457.

GOSVINVS de Hex, Brabantinus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Episcopus Ieropolitanus, Traiectensis Episcopi in Pōtificalibus Vicarius, Poëta grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, de decem præceptis volumen, & quibus directorij perturbatæ cōscientiæ titulus tribuitur composuit. Obijt iij. Calend. Febr. Anno Saluatoris CHRISTI Mcccclxxv.

NICOLAVS de Orbelli, Ordinis Minorū, prouinciæ Thuronensis, Gymnasij Pictauiensis Professor, Homo certè omnium qui tum fuere doctissimus, Philosophus grauis, Orator eloquens, neq; Theologorum vlli secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

Ante Annos 107. *qui fuit* CHRISTI 1458.

PIVS II. Æneas Syluius antea vocatus, natione Tuscus, patria Senensis, familia nobili sed populari Picolominea ortus Corsiniani, quod oppidum est Senensis agri, patre Syluio & matre

& matre Victoria natus eſt. Fuit autem vir bonarum Artium peritiſsimus atque à Secretis primò Dominici Capranici Cardinalis, pòſt Nicolai Albergati Cardinalis S. Crucis, demum Friderici iij. Imperatoris. A Nicolao autem v. ex Canonico Tridentino abbreuiatore & Subdiacono Apoſtolico Epiſcopus Tergeſtinus, & paulò pòſt Senenſis deſignatus eſt. Eum Caliſtus Papa iij. Diaconum Cardinalem S. Euſtachij, mox Presbyterum Cardinalem S. Sabinæ creauit. Qui mortuo eodem Caliſto, Romæ in eius locum à Cardinalibus xiij. Cal. Septembris Anni Mccccclviij. Pontifex Maximus renunciatus iij. Nonas Septembris coronatus eſt. Sedit autem in Apoſtolica ſede Annos v. M. xj. & D. xxvj. Chriſtianã religionem ita coluit & obſeruauit, vt omnem prorſus hypocriſis ſuſpicionem à ſe remoueret. Ad tria millia variorum verſuum ſcripſiſſe dicitur. Libros edidit de poteſtate Concilij Baſilienſis De fato. De præſcientia DEI. De hæreſi Boemorum. Reliquit Dialogum imperfectum contra Turcas inchoatum pro defenſione fidei Catholicæ. Extat eius Epiſtola ad Turcam, qua hominem adhortatur vt poſthabita Mahometana perfidia veram CHRISTI IESV religionẽ ſequatur. Conciones habuit ſplendidas & rei accommodatas. Obijt Anconæ in Piceno xix. Cal. Septembris Anno Mccccclxiiij. Cadauer Romam portatum in baſilica S. Petri ſepulcũ eſt, prope ſepulchrum S. Gregorij Papæ.

IOANNES de Indagine, Germanus, Ordinis Carthuſienſium, domus montis S. Saluatoris prope Erfordiam, Prior in Yſennach & Stetin, Decretorũ Doctor, Philoſophus grauis, Orator facundus, atque ſuæ ætatis nobiliſsimus rerum diuinarum interpres, ſtudiorum & obſeruator & cultor inſignis, quæ fidem Chriſtianam mirificè iuuant ſcripta plurima reliquit: De laude enim paupertatis. De vita religioſorum. De caſu religionis. De humilitare & ſuperbia. De gratia & libero arbitrio. De correptione & gratia DEI. De natura & gratia. De perſeuerantia libros compoſuit. Maximam Bibliæ partem expoſuit. Contra errores Boëmorum ad Epiſcopum Ratiſponenſem ſcripſit. De ſpiritu, corpore & anima libros edidit. Alios item de mandatis prælatorum. De charitate. De dilectione DEI. De meditatione. De inquiſitione ſummi boni. De cauendis doctrinis peregrinis. De cognitione futurorum & viſione Tundali cõfecit. Expoſitionem in

regulam

regulam sancti Patris Benedicti scripsit. Commentarios de visione Danielis. De apparitione cuiusdam defunctæ. De futuris prodigijs. De planctu solitarij. De authoritate Summi Pontificis in Concilio. De potestate Ecclesiastica. De correctione fraterna reliquit. Alios item de paruulis non baptizatis. De Iudice contra conscientiam iudicante. Contra flagellatores An sine professione religiosus, De Ieiunio Quintæ feriæ. De doctrina Ecclesiæ. De Sacrificio missæ. De vita spiritali. De vera & falsa pœnitentia De modo confitendi. De quatuor Sensibus scripturæ. De interdicto. De falsis Prophetis, atque communione sub vtraq; specie absoluit. Et plura alia ingenij sui monimenta, nam plus quàm trecenta volumina conscripsisse fertur, posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 106. qui fuit CHRISTI 1459.

IOANNES Beetz, Germanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir diuinarum literarum nec non artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregiè peritus, Epistolam Pauli ad Romanos Commentarijs illustrauit doctissimis. De Sacramento Altaris librum absoluit. Et eum cui Præceptorij diuinæ legis titulus tribuitur. Sermones quoq; plures ad populum habitos scripsit. Moritur xv. Calend. August. Anno CHRISTI Mcccclxxvj.

IOANNES de Mechlinia, Germanus, Sacræ Theologiæ Doctor atque Professor in Agrippinatum vrbe Colonia, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros Sententiarũ Lombardi exposuit. Psalterium rursus Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis.

IACOBVS de Iunterbruck, Germanus, Ordinis Carthusiensium, Vicarius Domus montis S. Saluatoris prope Erfordiam, Philosophus grauis, Orator facundus, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, quæ fidem Christianam mirificè iuuant scripta plurima reliquit. De moribus enim Christianorum. De consolatione malorum huius seculi. De modo seruandi interdictum. De arte moriendi. De refrenatione

cogitationum, & dignitate Prælatorum libros composuit. Apologeticum religiosorum proposuit. De statu securioris vitæ. De profectu vitæ spiritalis. De obedientia & stabilitate monachorum. De septem peccatis mortalibus, & de potestate dæmonum libros edidit. Soliloquiorum hominis ad animam Commentariolum absoluit. Commentarios de dignitate Sacerdotij. De Sabbato & indulgentijs scripsit. Moritur viij. Calend. Nouembr. Anno Mccccclxvj.

BRVNO de Vvaltershusen, sacræ paginæ Doctor atque Professor Gymnasij Lipsensis, insigni spectataq; virtute præditus vir, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, Canonem diuini, mystici & salutaris Missæ Sacrificij exposuit, mysterii omnium maximè horrendum verendumque lucubrationibus describens doctissimis.

Ante Annos 105. *qui fuit CHRISTI* 1460.

BENEDICTVS Stendel, oriundus ex Hallis oppido Saxoniæ, sacræ Theologiæ Doctor atq; Professor Gymnasij Erfordensis, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Philosophus clarus, dicendi artifex & Orator eloquens, cùm diuinis delectaretur scripturis, Pentateuchum Mosis Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones quoque plures ad populum habitos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

DOMINICVS Monachus Carthusianus, Domus S. Albani prope Treuerim, natione Pruthenus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, scripsit volumen cui titulus tribuitur Sonus epulantis, eò quòd ipsum comedendo fermè & ruminando in solitudine cellæ suæ ediderit. Aliud rursus Coronæ B. MARIÆ, in quo vitam ipsius lapidibus pretiosis comparat, Item librum experientiæ, in quo varias reuelationes sibi diuinitus factas interserit.

HENRICVS de Herph, Germanus, Ordinis Minorum, prouinciæ Coloniensis, Decretorum Doctor, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, nec vlli Theologorum

gorum ſecundus, De præceptis Decalogi librum. Alium item de tribus partibus pœnitentiæ confecit. Sermones plures elegantes atque doctiſsimos ſcripſit.

FRANCISCVS Diedus, nobilis Patricius Venetus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus ſubtilis, Iureconſultus celebris, Hiſtoricus grauis, & Theologus profundus, vitã & res geſtas S. Rochi Confeſſoris docto volumine optima fide complexus eſt. Moritur Veronæ v. Calend. Auguſt. Anno Mcccclxxxiij.

Ante Annos 104. *qui fuit* CHRISTI 1461.

IOANNES de regno, Gallus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Conuentus Tholoſani, vir eloquentia nobilis, Apoſtolicaq; doctrina inſignis, qui ſacras atque profanas literas ſummè didicerat, linguam habens vſu loquendi & maiorum lectione politam, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Euangelium Matthæi Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. Sermones plures & eleganter & doctè compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

Ante Annos 103. *qui fuit* CHRISTI 1462.

DIONYSIVS Rykel, alijs de Leevvis, Germanus, Ordinis Carthuſienſiũ, Domus Bethlehem in Ruremunda, inſigni ſpectataq; virtute præditus vir, Philoſophus inſignis, Hiſtoricus grauis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritiſsimus, ad quem Nicolai de Cuſa Cardinalis viri eruditiſsimi plures extãt Epiſtolæ, tot ac tanta volumina ſcripſit, vt præter Auguſtinum apud Latinos parem habuerit neminem, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit, vtrumq; Teſtamentum Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis. In Sacroſancta & auguſtiſsima Miſſæ myſteria expoſitiones abſoluit. Lucubrationes in Areopagitam Dionyſium edidit. De celebratione, communione & Euchariſtiæ Sacramento libros. Alios item de fide Catholica. Donis Spirituſſancti, & laudibus B. MARIÆ ſemper virginis cõpoſuit. Scriptis inuectus eſt in Magos, Vualdenſes & Sarracenos. De poteſtate & iuriſdictione Romani Pontificis

 tificis

tificis. De authoritate Papæ atque Concilij. De virginitate & vita solitaria Commentarios absoluit. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, & plura alia Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit.

LANDVLPHVS, Ordinis Minorum, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus profundus, Secundum librum Sententiarum Lombardi exposuit.

Ante Annos 102. *qui fuit CHRISTI* 1463.

IOANNES Sonneman, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Philosophus & Orator clarissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De decem præceptis Commentarium, Sermones cùm elegantes tum doctos scripsit.

GVALTHERVS Hunte, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir eloquentia nobilis Apostolicaq; doctrina insignis, qui sacras atque profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, Libros Sententiarum Lombardi exposuit. Lucubrationes in Sacra quatuor Euangelia doctissimas composuit. De præcellentia Petri volumen. Aliud de religiosorum dignitate perfecit. Commentarios rursus de Ecclesiæ autoritate. Pontificum iurisdictione. Contra errores Græcorũ. De processu Sacri Concilij. De vniuersali Pontificum Dominio. Ecclesiæ symbolo, & Mendicantium statu edidit. Summam præterea totius historiæ Mundi ab initio vsque ad sua tempora xij. libris deduxit. Obijt Anno Mcccclxxviij. decrepita ætate venerandus, sepultus in Conuentu Oxoniensi.

HVGO Selestadianus, Germanus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Quatuor libros in Sententias scripsit.

HENRICVS Kaltysen, Germanus, patria Confluentinus Ordinis Prædicatorum, Lector Sacri Palatij. Sanctæ crucis Prædicator & hæreticæ prauitatis inquisitor, Archiepiscopus

pus Ecclesiarum Nydrosiensis & Cæsariensis, sacræ paginæ Doctor, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Philosophus grauis, Orator facundus, Theologorũ suæ ætatis princeps, Expositiones in Canticum D. virginis MARIÆ doctissimas scripsit. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit. Moritur vj. Non. Octobr. Anno Mcccclxv. sepultus in Conuentu suo Confluentino.

STEPHANVS Hoëst, Laudenburgensis, Germanus, Spirensis Ecclesiæ Canonicus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, inter cætera ingenij sui monimenta, Sermones cùm elegantes tum doctos scripsit. Obijt Nemetum Augustæ Spiræ Anno Mcccclxxj.

Ante Annos 102. qui fuit CHRISTI 1463.

NICASIVS de Voerda, Germanus, patria Brabãtinus, vtriusq; Iuris & sacræ Theologiæ Doctor Louaniensis, Legum Professor Coloniensis, post singulari quadam Apostolicæ sedis dispensatione Aggrippinatũ vrbis Presbyter, Mechliniæ Scholæ sacrarum disciplinarum præfectus, non modò laudem in ea facultate promeruit, verùm etiam & omne genus alterius sapientiæ summo excoluerat studio, à tertio ætatis suæ anno oculis captus, & ob id etiam primarum literarum ignarus, Poëticam & Oratoriam perfectissimè didicerat, omnibus sui miraculum præbens, vtriusq; Iuris Commentarios quos nunquam vidit auditu didicit. Sacerdos ordinatur, prædicat publicè, audit confessiones, ad Altare miniſtrat, Euangelium cæcus coram omnibus (mente vtens pro libro) recitat, tantum ad Altare per se diuina non celebrat. Et cùm Christianæ professionis studiosissimus esset, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exponit. Sermones cùm elegantes tum doctos scribit. Moritur in Agrippinatum vrbe Colonia vij. calend. Decembr. Anno Mccccxcij in Cathedrali S. Petri basilica sepultus.

Ante Annos 101. qui fuit CHRISTI 1464.

PAVLVS de Hæredia, Hispanus, ex Iudæo Christianus de omnibus ferè mysterijs librum scripsit.

HENRICVS de Hachenburg, Germanus, ordinis Prædicatorum apud Confluentiam Mosellæ & Rheni, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Sermones plures cum elegantes tum doctos scripsit.

IOANNES Capgraue, Anglus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, sacræ paginæ Doctor, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta grauis, Theologus profundus, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Vtrumque ferè Testamentum Commentarijs illustrauit doctissimis, vitas præterea sanctorum Angliæ elegantissimis voluminibus absoluit.

Ante Annos 100. *qui fuit* CHRISTI 1465.

IACOBVS de Gruytrode, Germanus, ordinis Carthusiensium, Prior domus SS. Apostolorum iuxta Leodium, & vitæ instituto & doctrina vir clarus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De veris virtutibus libros tres absoluit. Commentarios de quatuor nouissimis. De vita Saluatoris IESV. De præparatione ante Missam. Contemplationis S. MARIÆ. De nomine IESV & MARIÆ, & cui coronulæ S. MARIÆ titulus tribuitur conscripsit. Moritur Id. Febr. Anno Mcccclxxij.

ALANVS de Rupe, Germanus, Ordinis Prædicatorum, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, B. MARIÆ semper virginis cultor & amator præcipuus, hinc ab ea etiam singulari dono supernæ consolationis aliquoties meruit recreari, Compendium Psalterij DEIPARÆ virginis CHRISTI matris eleganter & doctè scripsit. De miraculis rosarij volumen edidit. Sermones plures ad populum habitos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit. Moritur in Conuentu suo Zwollensi Anno Mcccclxxiiij.

ANGELVS Saxo de Brunsuico, Germanus, sacræ Theologiæ Doctor, atq; Professor Gymnasij Erfordensis, sanctæ Moguntiacensis Ecclesiæ Presbyter, vir & moribus & doctrina

ctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Canonem spiritalis & diuini Missæ sacrificij exposuit. Sermones plures Moguntiæ in Metropolitana ad populum habitos, Ecclesia scripsit. Moritur Argentorati, Anno CHRISTI Mccccclxxxj. in Cœnobio pœnitentium sepultus.

RODERICVS Episcopus Zamorensis, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Theologus profundus, multarumque literarum & rerum peritissimus, speculum humanæ vitæ de humanorum studiorum vanitate scripsit. Commentarium de paupertate CHRISTI Saluatoris edidit. In defensionem Ecclesiastici status volumen absoluit.

Ante Annos 99. qui fuit CHRISTI 1466.

RVDOLPHVS de Rudeshaím, Episcopus Vratislauiensis, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Biblica scripta ferè omnia Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones elegantes ad populum habitos scripsit.

HENRICVS Gorrickhem, Germanus, sacræ paginæ Doctor atque Professor Gymnasij Coloniensis, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De superstitionibus volumen. Aliud contra Hussitas composuit. De festorum prætereà celebratione librum scripsit.

IOANNES Basolus, vir certè omnium qui tum fuere doctissimus, Orator facūdus, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

Ante Annos 98. qui fuit CHRISTI 1467.

IOANNES Episcopus Lombariensis, Germanus, patria Basiliensis, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Philosophus grauis, Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures ad populum habitos scripsit.

NICO-

NICOLAVS Stoër, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Gymnasij Lipsensis, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Poëta grauis, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, De officio Missæ ad Marchiones Misnenses scripsit.

Ante Annos 97. qui fuit CHRISTI 1468.

GEORGIVS Molitoris, Germanus, patría Norinbergensis, sacræ Theologiæ Doctor atq; Professor Gymnasij Erfordiensis, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, cùm tam soluta quã ligata plurimum polleret oratione, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De passione Dominica volumen composuit. Sermones elegantes atq; doctissimos scripsit. Obijt v. calend. Nouembr. Anno CHRISTI Mccccclxxxiiij.

S. IOANNES Soreth, Normannus, Ordínis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli xxv. Prior generalis, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ totiusq; bonitatis nobilissimus Doctor, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, & sacrarum literarum scientia nemini secundus, sanctissimæ vitæ vir, speculum & norma monasticæ cõuersationis, angelicæ puritatis imitator, virtutum custos, vitiorum hostis acerrimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Expositionem regulæ Carmelitarum scripsit. Sermones plures & doctè & eleganter compositos absoluit. Moritur Andegauis viij. calend. Augusti Anno CHRISTI Mccccclxxj.

IONNES de Duren, Germanus, ordínis Minorum, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, De septem peccatis mortalibus librum. Alium de vitijs occultis edidit. Et quem de confessione absoluit. Sermones quoq; plures ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 96. qui fuit CHRISTI 1469.

RVDOLPHVS Agricola Groningensis, Friso, Ioannis Camerarij de Dalburg Vangionum Antistitis præceptor, Haidelbergensis Gymnasij professor, trium principalium linguarum Hebrææ scilicet simul & Chaldeæ, Græcæ pariter & Latinæ

Latinæ interpres, Philoſophus, Rhetor, Poëta atque Theologus, Orator facundus, in laudē & honorem S. Annæ matris CHRISTIPARÆ MARIÆ virginis varia & elegantiſsima carmina edidit, quibus ingenium ſuum propè diuinum oſtendit. Tranſtulit ex Hebraico Pſalterium, & ex Græco Dionyſij Areopagitæ volumina traducere incipiens, morte immatura præuentus, imperfecta reliquit. Moritur Haidelbergæ v. calend. Auguſt. Anno Mcccclxxxv. Sepultus apud Minores.

TILMANNVS de Hachenberg, Germanus, ex Diœceſi Treuirorum, Ordinis Minorum apud Confluentiam Moſellæ & Rheni, vir admiratione omnium digniſsimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Theologus ſacrarum literarum ſcientia nemini ſecundus, Sermones plures & doctè & eleganter compoſitos ſcripſit.

CONRADVS de Rodenberg, Germanus, ex S. Mathiæ Apoſtoli Treueris, & D. Martini in Agrippinatum vrbe Colonia monacho, S. Ioannis Baptiſtæ Rinaugienſis Moguntinæ Diœceſios, Benedictinæ profeſsionis Abbas, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atq; Poëta celebris, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, multa in laudem Parthenices MARIÆ virginis conſcripſit. De præparatione ante Miſſam, & cura paſtorali Commentarios edidit. Moritur viij. calend. Ianuar. Anno Mcccclxxxvj. ſepultus in abſide dextera Chori ante Altare S. Benedicti aduerſus ambitum.

HENRICVS cognomento Prudens, Ordinis Carthuſienſium, Prior domus Vallis iuxta Brugas in Flandria, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Orator facundus, multarumq; literarum & rerum peritus, Tetralogum deuotionis tribus Commentarijs abſoluit. Moritur in noua domo S. Sophiæ Conſtantinopolitanæ prope Brugas & Buſcum Ducis Anno Saluatoris Mcccclxxxiiij.

HENRICVS de Geilnhauſen, Spanheimenſis Benedictinę profeſsionis monachus, Gymnaſij Erfordienſis Baccalaureus, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta grauis, Theologus profundus, Hiſtoricus celeberrimus, nec vlli ſacrarum

literarum ſcientia ſecundus, ad Nouitios monaſterij portæ MARIÆ Ordinis S. Guilielmi longam & inſtructam Epiſtolam de profectu & inſtitutione ſpiritali ſcripſit. Vitam S. Benedicti Abbatis elegiaco carmine complexus eſt. Sermones elegantes atque doctiſsimos poſteritatis memoriæ conſecrauit. Obijt Non. Febr. Anno Mcccclxxxviij.

IOANNES de Aurbach, Germanus, Bambergenſis Eccleſiæ Presbyter, cùm vitæ inſtituto tum doctrina vir clarus, Philoſophus & Orator celebris, Theologus profundus, De Sacramentis Eccleſiæ volumen ſcripſit.

LVDOVICVS Donatus, Patricius Venetus, Epiſcopus Bergomenſis, doctrina & eloquentia vir clarus, ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Obijt Anno Saluatoris CHRISTI Mccccclxxxiiij. ſepultus Bergomi in Eccleſia S. Vincentij Martyris.

Ante Annos 95. qui fuit CHRISTI 1470.

SIFRIDVS Epiſcopus Cirenſis, Archimyſtæ Moguntini Theodorici in Pontificalibus Vicarius, Germanus, Ordinis Prædicatorum, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Hebræo atque Latino inſtructus eloquio, Philoſophus & Orator celebris, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Sermones plures cùm elegantes tum doctos, aliaq́; ſcripturarum monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

BERNARDINVS Gadolus, Brixianus, Camaldulenſis Abbas, vir omni literatura doctiſsimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atque ſacris ſcripturis doctiſſimus, Biblica ſcripta omnia & ſingula doctè atque prolixè expoſuit. De fugiendo ſeculo & amplexanda religione volumen abſoluit. Aliud contra ſuperbiam & ambitionem ſcripſit.

GODESCALCVS de Meſchede, Germanus, patria Vveſtphalus, ſacræ Theologiæ Doctor & Profeſſor Gymnaſij Erfordienſis, vir tam diuinis quàm ſecularibus literis eruditus, Philoſo-

Philoſophus atq; Orator perfectiſsimus, Theologus verò conſumatiſsimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit.

HENRICVS de Piro, Germanus, ex Agrippinatum vrbe Colonia, Ordinis Carthuſienſium, vtriuſque Iuris Doctor, homo certè omnium qui tum fuere doctiſsimus, Philoſophus grauis, Orator facundus, nec vlli Theologorum ſecundus, Sermones elegantes atq; doctiſsimos ſcripſit.

BAPTISTA cognomento Platina, patria Cremonenſis, Secretarius Apoſtolicus, Sixto IIII. Pontifici Maximo ob eximiam vtriuſque linguæ eruditionem cæteraſque perſpicuas animi & corporis dotes inprimis charus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus & Orator eminentiſsimus, Hiſtoric⁹ abſolutiſsimus, multas à Paulo Papa II. calamitates ſuſtinuit, adeò vt bonis omnibus & dignitate ſpoliat⁹, poſt equulei ſuſpenſionem in carcerem crudeliſsimè detruſus, vſque ad mortem ipſius Pauli detentus ſit. Qui à Sixto mox liberatus, vitas Romanorum Pontificum à S. Petro vſq; ad Sixtum IIII & Annum CHRISTI Saluatoris Mcccclxxij. deduxit. Obijt Romæ ex peſte Anno Mcccclxxxj.

SIXTVS IIII. Franciſcus à Ruuere antea dictus, genere Ligur, vrbe Sauona oriundus, Ordinis fratrum Minorum, ex generali miniſtro ſui Ordinis Presbyter Cardinalis creatus à Paulo Papa II. poſt cuius mortem in eius locum Romæ v. Idus Auguſti Anno Domini Mcccclxxj. omnium Cardinalium ſuffragijs Pontifex Maximus renunciatus xv. calend. Septembris ſuæ coronationis inſignia ſuſcepit. Sedit autem in Apoſtolica ſede Annos xiij. & D. v. vir certè non minus arte quàm ingenio clarus, quod facilè produnt nonnulla eius opera, non minus doctè quàm eleganter ſcripta, ſcilicet de potentia DEI. De ſanguine CHRISTI. De conceptione B. MARIÆ. De reſurrectione mortuorum, & aliorum innumera propè ſuppellex. Obijt Romæ febrili calore correptus in palatio Apoſtolico pridie Id. Auguſt. Anno Domini Mcccclxxxiiij. cadauer in baſilica S. Petri ſepultum eſt.

Ante Annos 94. *qui fuit* CHRISTI 1471.

ARNOLDVS de Busco, ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De viris illustribus ordinis sui & Monasterij Vnindeshaimensis volumen scripsit. Epistolam quoque prolixam de modo proficiendi in religione edidit.

IACOBVS Zenus, Patricius Venetus, Episcopus Ecclesiæ Patauinæ, vir cùm confessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, Romanorum Pontificum successiones & res gestas diligenter & copiosè ac optima fide exposuit. Moritur Anno Mccccclxxvij.

IONNES de Lutria, Germanus, sacræ paginæ Doctor atq; Professor Gymnasij Erfordiensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones plures & elegantes atque doctissimos, Moguntiæ in Ecclesia Metropolitana S. Martini habitos, scripsit.

AMBROSIVS Choriolanus, ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini Prior generalis, patria Romanus, vir eruditione & eloquentia clarus, Philosophus grauis, Theologus profundus, Expositionem regulæ D. patris Augustini scripsit. De laudibus eiusdem sancti Commentarios edidit. Orationem de conceptione MARIÆ virginis habitam coram Sixto Pontifice Maximo posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 93. *qui fuit* CHRISTI 1472.

HENRICVS de Andernaco, Germanus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Coloniensis, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquêtia spectatus, Orator facundus, Theologus profundus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit.

IOAN-

IOANNES Abbas Niuicellensis, Decretorum Doctor, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Orator facundus, Iureconsultus celeberrimus, tum verò Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, Bibliæ & Canonũ quas vocant Cõcordantias scripsit. Sermones elegantes atque doctissimos ad populum habitos edidit.

Ante Annos 92. qui fuit CHRISTI *1473.*

GERARDVS de Elten, sacræ paginæ Doctor atq; Professor Gymnasij Coloniensis, Ordinis Prædicatorum, hæreticæ prauitatis inquisitor, vir admiratione omniũ dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Philosophus celeberrimus, tũ præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, Quæstionum Sententiarum volumen edidit. Sermones plures & doctè & eleganter compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

LAVRENTIVS Calcaneus, Brixianus, vir nobilis, eques auratus, & legum Doctor celeberrimus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus, Rhetor, Poëta, Historicus atq; Theologus, De septem peccatis mortalibus volumen. Aliud item de Conceptione B. MARIÆ semper virginis scripsit. Moritur v. Calend. August. Anno Mcccclxxviij.

Ante Annos 91. qui fuit CHRISTI *1474.*

ALEXANDER Hessus, sacræ paginæ Doctor, Philosophus, Rhetor atque Poëta, De Sacrosancta CHRISTI Saluatoris incarnatione libros quatuor scripsit.

GVILIELMVS Forleon, Brito, Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Doctor atque Professor Gymnasij Parisiensis, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Quatuor libros in Sententias scripsit.

FRANCISCVS de Platea, Ordinis Minorũ, Philosophus, Rhetor atque Orator sui temporis facilè omnium eloquentissimus, Theologus profundus, De Ecclesiastica censura

volumen. Aliud de restitutionibus edidit. Sermones in honorem Sanctorum habitos plures scripsit.

IOANNES de Dorpen, Germanus Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Professor Gymnasij Erfordiensis, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Orator perfectus, nec vlli Theologorum secundus, Sermones plures & eleganter & doctè compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

THEODORICVS de Herxen, Germanus, Ordinis fratrum Clericorum in communi viuentium, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio fidei propagator acerrimus, princeps suę ætatis Philosophorum, Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. Orationem Dominicam & Angelicã Salutationem exposuit. De moriendi desiderio volumen. Aliud de passione Dominica scripsit.

Ante Annos 90. qui fuit CHRISTI 1475.

HERMOLAVS Barbarus, alijs Marcus Barbus Patricius Venetus, Pauli ij. Romani Pontificis Patruelis, Episcopus Vicentinus, Patriarcha Aquileiensis, Presbyter Cardinalis S. Marci, Episcopus Prænestinus, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Græci ac Latini sermonis peritissimus, Philosophus grauis, Rhetor insignis, Poëta ingeniosus, Astronomus & Geometer celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, De cœlibatu duo volumina doctè scripsit. E Græco in Latinum vertit eloquium Patriarchæ Costantinopolitani responsum de fide Catholica, ad quæstiones Mahumetis magni Turcæ. Ad Arnoldum Bostium Carmelitam Gandensem quoddã Dionysij Areopagitæ opusculum. Obijt Romæ vj. Non. Martij Anno Mccccxcj. sepultus in titulo S. Marci.

Ante Annos 89. qui fuit CHRISTI 1476.

HENRICVS Arnoldi, Saxo, Ordinis Carthusiensium,

ſienſium, domus Baſilienſis, Decretorum Doctor Sacroſancti Baſilienſis Concilij Notarius & Scriba, vir grauis atque prudens, Philoſophus celebris, Orator facundus, Hiſtoricus perfectus, nobiliſsimus rerum diuinarum interpres, Hiſtorias aliquot Sanctorum doctis Commentarijs complexus eſt. Concordantias Euangeliſtarum de dominica Paſsione prolixo volumine oſtendit. De conceptione B. MARIÆ ſemper virginis librum edidit. Meditationum Crucis & vitæ CHRISTI Commentariolum abſoluit. Sermones elegantes atq; doctiſsimos ſcripſit. Obijt Baſileæ vj. Calend. Feb. Anno Saluatoris Mcccclxxxvij.

MICHAEL de Mediolano, Ordinis Minorum, vir doctiſsimus, nec vlli Theologorum ſecundus, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illuſtris, Sermones plures & eleganter & doctè compoſitos, quorum infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

Ante Annos 88. *qui fuit* CHRISTI 1477.

NICOLAVS de Vvachenheim, Germanus, ſacræ paginæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Haidelbergenſis, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia clarus, veterum lectione diues, ingenio ſubtilis, Theologus ꝓfundus, Orator eloquens, Quæſtionum Sententiarum volumen. Sermones rurſus elegantes atque doctiſsimos ſcripſit.

PETRVS Scotus, Germanus, patria Argentoratenſis, Canonicus S. Petri Iunioris, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ętate nobiliſsimus, Philoſophus, Rhetor & Poëta celeberrimus, Hiſtoricus abſolutiſsimus, de SS. Ioanne Baptiſta & Chryſoſtomo elegiaco carmine doctum & prolixum volumen edidit. Ioannis rurſus Gerſonis laudes conſcripſit. Moritur Anno Mccccxcj. Ætatis ſuæ xxxj. Argentorati in Eccleſia S. Petri ſepultus.

TILMANNVS Dulmanienſis, Vveſtphalus, Ordinis Canonicorum regularium S. Auguſtini, Præpoſitus Cœnobij D. Chriſtophori in Rauengirsburg, Moguntinæ Diœceſios, doctrina & eloquentia vir clarus, ſacrarum literarum

ſtudijs.

ſtudijs doctus & inprimis eruditus, De laudibus B. MARIÆ ſemper virginis volumen conſcripſit. Aliud de vinea ſpiritali edidit. De inſtitutione nouitiorum libros compoſuit. Et verba illa Saluatoris CHRISTI, Niſi quis conuerſus fuerit ſicut paruulus, prolixo exopſuit Commentario. Moritur ſenex & plenus dierum Anno Mccccclxxxv.

IODOCVS de Calvve, Germanus, patria Sueuus, ex Ducatu Vvirtenbergenſi, ſacræ paginæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Haidelbergenſis, Apoſtolicæ vitæ vir, arcana atque myſtica diuinarum ſcripturarum interpretatione ſublimis, Sermones Haidelbergæ in Collegiata S. Spiritus Eccleſia & eleganter & doctè ad populum habitos ſcripſit.

IOANNES Erghon, Anglus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, doctrina & eloquentia vir clarus, Philoſophus inſignis, Orator facundus, ſacrarumq; literarum ſcientia nemini ſecundus. Sermones cùm elegantes tum doctos ad populum habitos ſcripſit.

IOANNES Venetus, Ordinis Carthuſienſium, domus D. Andreæ Apoſtoli de littore apud Venetias, vir ſacrarũ literarũ ſtudijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus ac diſertus eloquio, De patientia & humilitate Commentarios ſcripſit. Libros tres quibus Speculi morientium titulus tribuitur abſoluit. Senum coronam compoſuit. Sermones elegantes atque doctiſsimos poſteritatis memoriæ conſecrauit.

LAMBERTVS de Legia, Benedictinæ profeſſionis Monachus, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator facũdus, Poëta grauis, ſacrarumq; literarum ſcientia nemini ſecũdus, De vita atque miraculis SS. Mathiæ Apoſtoli & Agricij heroico verſu doctiſsimos Commentarios ſcripſit.

Ante Annos 87. *qui fuit* CHRISTI 1478.

NICOLAVS de Creutzennach, Germanus, ex Diœceſi Maguntina, & Spanheimenſi Comitatu, ſacræ paginæ Doctor atq; Profeſſor Gymnaſij Vienenſis, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, multa de conceptione B.

MARIÆ

MARIÆ semper virginis scripsit, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones præterea elegantes atque doctissimos plures posteritati cõsecrauit. Moritur vj. Calend. Nouemb. Anno Mccccxcj.

PHILIPPVS Kersbel Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & doctrina & pietatis studio insignis, Philosophus grauis, Theologus ꝓfundus, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, contra væsaniam Vincentij de nouo castro, aduersus purissimam conceptionem B. MARIÆ virginis latrantem scripsit. Obijt Parisijs vj. Calend. August. Anno Mccccclxxxv.

Ante Annos 85. *qui fuit* CHRISTI 1480.

GERARDVS de Monte, Artium & Philosophiæ Professor in Agrippinatum vrbe Colonia, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De concordia S. Thomæ Aquinatis & venerabilis Alberti in multis in quibus dicuntur esse contrarij volumen scripsit.

IOANNES de Mylbach, Germanus, sacræ paginæ Doctor atque Professor Gymnasij Erfordiensis, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq́; literarum & rerũ peritissimus, cùm sacras atq; profanas literas summè didicerat, de laudibus Beati patris Hieronymi, in Epistolas pręterea Pauli prolixos Commentarios scripsit. Sermones non minus doctè quàm eleganter ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit. Moritur Erfordiæ in Ecclesia S. Petri sepultus.

Ante Annos 83. *qui fuit* CHRISTI 1482.

NICOLAVS Ricardus, Pictauiensis, Gallus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Philosophus grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, De indulgentijs animarũ in purgatorio scripsit.

IOANNES Pheffer de Vvidenberg, Germanus, Francus Orientalis, sacrę Theologię Doctor Haidelbergensis,

Professor Friburgensis, vir doctissimus, atque innocentissimus, Philosophus, atque Poëta suæ ætatis clarissimus, Pauli Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis.

Ante Annos 82. *qui fuit* CHRISTI 1483.

ANDREAS S. Michaelis Bambergę Benedictinæ Professionis Abbas, quod montis Monachorum Cœnobiũ vocant, Germanus, Francus Orientalis, ex oppido Staphelstein, vir morum probitate & bonorũ operum meritis clarus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator atque Poëta celebris, Historicus perfectus, nec vlli Theologorum secũdus, magnum opus Canonizatorum ex ordine D. Benedicti Pontificum, Archiepiscoporum, Antistitum, Abbatum & Abbatissarum, cum singulorum rebus gestis conscripsit. Historiam item & vitam S. Othonis Episcopi quatuor libris ad Illustrissimum Principem Pomeranorum Boguslaum, De conceptione virginali B. MARIÆ CHRISTI matris. Obijt Bambergę x. Calend. Nouemb. Anno MDII. sepultus ante Chorum ad Aram S. Vvolffgangi à se conditam.

IOANNES de Fonte, Ordinis Minorũ in monte Pessulano, vir eruditione & eloquentia clarus, Philosophus atq; Orator perfectissimus, Theologus verò absolutissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit.

FOELIX Fabri, Ordinis Prędicatorum Conuentus Vlmensis, Germanus, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, Historicus celeberrimus, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus, peregrinationis suæ Hierosolymitanæ volumen edidit.

BAPTISTA Trouamala, Ordinis Minorum Cõuentus Louaniensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, scripsit Summam ad vtilitatem simplicium Confessorum ordine Alphabeti, quæ nominatur Rosella casuum conscientiæ.

STEPHANVS Bruleffer, Gallus, Parisiensis, sacræ paginæ Doctor, Ordinis Minorum, Conuentus Moguntiacensis, pòst Metensis, Guilielmi Forleonis auditor atque discipulus,

lus, vir tam diuina quàm profana literatura doctißimus, Poëta grauis, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. De timore seruili & alijs donis omnipotentis DEI Cōmentarios perfecit. De paupertate CHRISTI & Apostolorum scripsit. Sermones elegantes atque doctißimos posteritatis memoriæ consecrauit.

PETRVS de Aquila, Ordinis Minorum, Conuentus Spirensis, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantißimus, disciplinis omnibus perceptis, sacrarum maximè literarū in quibus conquieuit scientia enituit, & cùm Bibliothecæ diuinæ diligentißimus inuestigator esset, Quatuor libros in Sententias scripsit.

PETRVS de Spira, Ordinis fratrum Eremitarū S. Augustini Cōuentus Spirensis, doctrina & eloquētia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Sermones plures cùm doctè tum eleganter cōpositos posteritatis memoriæ consecrauit.

PETRVS Numagen, Presbyter Ecclesiæ Treuerensis, vir tum sacrarū tum profanarum literarum peritißimus, de S. Nicolao Subsyluanô Heluetio, qui longo tempore sine cibo solitarius sanctè vixit, Cōmentarios præterea de spirituum apparitionibus ac phantasmatibus scripsit.

Ante Annos 81. *qui fuit* CHRISTI 1484.

DOMINICVS Bolanus, Venetus, Philosophus, Rhetor atq; Theologus, Christianæ fidei cultor magnificus, contra MARIANÆ puritatis detrectatores volumen doctißimum, ad Nicolaum Marcellum lxxi. Ducem Venetorum de conceptione B. MARIÆ semper virginis scripsit.

Ante Annos 80. *qui fuit* CHRISTI 1485.

GVILIELMVS de Aquisgrano, Germanus, sacræ Theologiæ Doctor atque Professor Gymnasij Erfordiensis, Philosophus grauis, Historicus prudens, atque suæ ætatis nobilis-

ſimus rerum diuinarum interpres, ſtudiorũ & obſeruator & cultor inſignis, Euangelium Ioannis Cõmentarijs illuſtrauit doctiſsimis. De paſsione Dominica volumen. Aliud de peregrinatione Hieroſolymitanę poſteritatis memorię conſecrauit. Viuifici & incruenti Miſſæ Sacrificij Canonem expoſuit. Sermones elegantes atque doctiſsimos in Cathedrali Baſilieñ. Eccleſia ad populum habitos ſcripſit.

Ante Annos 79. qui fuit CHRISTI 1486.

HVGO de Prato florido, Ordinis Prędicatorum, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Sermones plures & elegantes & doctos ad populum habitos, quorũ infinitus penè eſt numerus, abſoluit.

AMBROSIVS Spiera, Taruiſinus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, inſigni ſpectataq; virtute prædirus vir, ob vitæ continentiam & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, Sermones elegantes atq; doctiſsimos poſteritatis memoriæ conſecrauit.

CONRADVS Summerhart, Calvvenſis, Suenus, ſacræ paginæ Doctor, Gymnaſij Tubingenſis primarius fundator atq; Profeſſor, Philoſophus clariſsimus, Rhetor inſignis, atq; Theologorum ſui ſæculi princeps, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Orationes plures ad patres Hirſaugieñ. Cœnobij, inprimis autem quòd DEVS homo fieri voluerit, quodque Meſsias in lege Prophetis promiſſus ſcripſit. Obijt in Schutterano Cœnobio Anno MDI.

S. THEODORICVS de Oſenbruck, Germanus, Ordinis Minorum prouinciæ Colonienſis, Apoſtolicæ vitæ vir, arcana & myſtica diuinarum ſcripturarum interpretatione altus atq; ſublimis, Philoſophus, Orator & Theologus, De paſsione Dominica volumen. Aliud de exercitio interiori abſoluit. Scripſit & librum cui Manualis ſimplicium titulus tribuitur.

Ante Annos 79. qui fuit CHRISTI 1486.

THOMAS Scrope, Anglus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Epiſcopus Dromorienſis, doctrina & eloquentia vir clarus, Hiſtoricus, Orator atque

atque Theologus suæ ætatis clarissimus. de Carmelitarum primordijs & dignitate ad Eugenium Pontificem scripsit. Vitas aliquot Sanctorum diuino instructus eloquio absoluit. Præcepta rursus Decalogi Commentarijs illustrauit doctissimis. Obijt viij. calend. Septembr. Anno Mccccxcj.

TILMANNVS Aquensis, Germanus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, sacræ Theologiæ Doctor atque Professor Gymnasij Coloniensis, Biblica scripta ferè omnia Commentarijs illustrauit doctissimis, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Euangelium Matthæi Commentarios scripsit. Sermones plures cùm elegantes tum doctos posteritatis memoriæ consecrauit.

ROBERTVS Caracholi de Licio, Episcopus Aquilæ Marsorum seu Aprucij vrbis, ordinis Minorum, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, De pœnitentia atq; peccatis Commentarios edidit. Sermones elegantes atq; doctissimos scripsit.

RVPERTVS Gallus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir doctissimus, & in monastica disciplina exercitatus, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Epistolas Pauli omnes Commentarijs illustrauit doctissimis, Sermones plures & elegantes & doctos scripsit.

PETRVS Brutus Venetus, Episcopus Catharensis, Philosophus insignis, Historicus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, Hebrææ & Latinæ linguæ peritus, multa contra perfidos Iudæos pro confirmatione fidei Christianæ disputationum certamina semper victor exegit, scripsit ad Senatum Vicentinum opus celeberrimum & insigne sanctarũ scripturarum authoritatibus copiosè instructum aduersus Iudæos.

S. NICOLAVS Ritzonis, patria Tholosanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior Prouincialis in regno Siciliæ, vir omni literatura & sanctitate conspicuus, in diuinis scripturis exercitatissimus, Orator atq; Philosophus, Sermones ad populum in solennibus habitos plures, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

Ante Annos 78. qui fuit CHRISTI 1487.

MACARIVS Mutius eques de Camers, vir disertissimus, nō minus vita quàm eloquentia spectatus, De crucis victoria seu de triumpho CHRISTI volumen scripsit.

IONNES de Arundine, Germanus, Episcopus Vsbitensis, Dauidis de Burgundia Traiectensium Episcopi in Pontificalibus vicarius, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, insigni spectataque virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, librum Sapientiæ & Pauli Epistolam ad Romanos Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones porrò cùm elegantes tum doctos ad populum habitos scripsit.

IOANNES Alcock, Anglus, Elygensis Episcopus, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, Historicus celeberrimus, carminibus & prosa laudatus, de monte perfectionis librum edidit. Psalmos pœnitentiales Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones ad populum habitos scripsit.

LAVRENTIVS Burellus, Diuionensis, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, opus celeberrimum quod Heliadem inscribi voluit, in laudem Heliæ Patriarchæ Carmelitarum confecit. De illustribus quoque viris ordinis sui scripsit.

Ante Annos 76. qui fuit CHRISTI 1489.

ANTONIVS Geraldinus, Protonotarius Apostolicus, vir omni literatura doctissimus, Theologus profundus, Poëta grauis & ingeniosus, Bucolica sacra xij. Eclogis complexus est, in quarum nouem prioribus vitam CHRISTI, in reliquis missionem Spiritus sancti, vltimum iudicium, & sacra mystica versibus heroicis posteritati consecrauit.

DOMINICVS Mancinus, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Orator facundus, Poëta grauis, De passione Dominica diligenter & copiosè scripsit.

IACO-

IACOBVS de Stralen, Germanus, sacræ paginæ Doctor atq; Professor Gymnasij Coloniensis, vir cùm eloquẽtia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Apocalypsin Ioannis Commentarijs illustrauit doctissimis. Obijt ætatis suæ Anno lxxxvij.

Ante Annos 75. qui fuit CHRISTI 1490.

GABRIEL Vracensis, Germanus, Sueuus, ex Ducatu Vvirtenbergensi, vir diuinarum literarum, nec non artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregiè peritus, Sermones elegantes atque doctissimos scripsit, sed is potissimum laudatur, quem de passione Dominica confecit.

HENRICVS de Vverlis, Germanus, ordinis Minorum minister generalis prouinciæ Coloniensis, vir cùm cõfessionis gloria, tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Theologus profundus, multarumque literarum & rerum peritissimus, Quatuor libros in Sententias scripsit. De potestate Ecclesiastica volumen edidit. Sermones cùm elegantes tum doctos ad populum habitos scripsit.

PAVLVS Æmilius Veronensis, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator facundus, grauis & ingeniosus Poëta, Historicus celeberrimus, à Pharamundo primo Frãcorum Rege in Gallijs circa Annum CHRISTI ccccxx. vsq; ad Philippũ & Carolum fratres Ludouici filios & annũ CHRISTI Saluatoris Mccccl xxxviij. perspicua & eleganti oratione res Francicas contexuit. Obijt Anno MDxxx. tertio Non. Iulij.

Ante Annos 74. qui fuit CHRISTI 1491.

IOANNES Tacesphale, Anglicus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, sacræ paginæ Doctor, Philosophus insignis, Orator facundus, multarumque literarum & rerum peritissimus, doctissimos in Apocalypsin Ioannis Commentarios edidit. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

Ante Annos 73. qui fuit CHRISTI 1492.

HVBER-

IODOCVS Beisselius, regiæ vrbis Aquensis Patricius, Germanus, vtriusque Iuris clarissimus interpres, Philosophus insignis, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, De Christiano ambitu Commentarium confecit. Rosaceam B. MARIÆ virginis coronam eleganti volumine contexuit. De rosarij mysterijs scripsit. De rosario quoq; Sacramenti Altaris volumen edidit.

BERNARDVS de Legnitz, Germanus, ordinis Carthusiensium, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, De miraculis B. MARIÆ semper virginis Dialogum, & rerum copia & compositione politum scripsit.

BAPTISTA Ferrariensis, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Orator facundus, Historicus celeberrimus, nec vlli Theologorum secundus, Græco atq; Latino instructus eloquio, vitã S. Mechtildæ virginis tribus voluminibus doctissimè complexus est. De monte Synai Commentarium absoluit. Chronicam sui ordinis scripsit. Conuertit è Græco in Latinum eloquium sermones B. Ioannis Chrysostomi complures, & alia quæ plurimum Ecclesiæ DEI afferunt vtilitatis.

Ante Annos 71. qui fuit CHRISTI 1494.

IOANNES de Dusseldorp, Germanus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Prior Argentoratensis, sacræ paginæ Doctor, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus. De obseruatione dierum festorum volumen. Aliud de locis terrę sanctæ composuit. Sermones cùm doctos tum elegantes ad populũ habitos aliaq; ingenij sui monumenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

IACOBVS Philippi, sacræ Theologiæ Doctor Gymnasij Friburgẽsis, & vitæ instituto & doctrina vir clarus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legũ exercitatissimus, De reformatione Sacerdotũ volumen. Sermones rursus cõplures ad populũ habitos scripsit.

IOANNES Picus, Italus, Comes Mirandulæ & Concordiæ Dominus, qui egregiè instructum atque copiosam Bibliothecam librisque affatim omnigenis refertam habuit, de vita & Philosophia permulta grauiter & copiosè protulit, tanta enim in eo viro & vocis suauitas & rerum omnium cognitio affuit, vt facilè omnes populos atq; homines suis sermonibus caperet, oblectaret atque afficeret, magna familiæ omnigenum artium stipatus caterua, cum quibus literis & studijs Latinis pariter, Hebraicis & Græcis palæstram exercebat, princeps suæ ætatis Philosophorum, Rhetor insignis, & sacrarum literarum scientia nemini secundus, Heptuplum de opere sex dierum Geneseos absoluit. Deprecatoriā ad DEVM elegiaco carmine scripsit. Psalterium Dauidis Cōmentarijs illustrauit doctißimis. De CHRISTI regno & vanitate huius mundi volumen edidit Orationem elegantißimam de hominis dignitate habuit. Epistolas plures, quarum aliæ sunt familiares tùm per ætatem teneram tùm prouectiorem scriptæ, aliæ postquam totū pectus DEO dicarat sanctißimis refertæ monitis, posteritatis memoriæ consecrauit.

IOANNES Phernandus, frater Caroli Phernādi, Germanus, vir eruditione & eloquētia clarus, Philosophus insignis, Orator facundus, Poëta grauis & ingeniosus, nec vlli Theologorum secundus, quem Rex Gallorum perpetuo stipendio donans, sibi in Musicum desumpsit, De S. Ioanne Baptista Commentarium absoluit & doctum & prolixum. Scripsit etiam horas S. Crucis & Compaßionis B. MARIÆ virginis eleganti carmine Parisijs.

IOANNES Eques Germanus, dictus vō Stein/ artium & Theologiæ Doctor, atq; Professor Gymnasij Parisiensis, eiusdem Scholę Rector, Basilieñ. atq; Tubingeñ. Academiarū primus instaurator, Ecclesiæ Cathedralis Basiliensis Canonicus, eruditione iuxtà & vitæ instituto vir insignis, adeò studiosus pietatis, vt omnia contemnens ad CHRISTI Saluatoris honorem, Carthusiam Basileæ grates DEO pro beneficijs acceptis persoluturus ingrederetur, regularis disciplinæ vitam & scripturarum studium sibi deligens. De his quæ ad dignum sacerdotem exiguntur scripsit. Resolutiones dubiorum circa Missarum celebrationem occurrentium proposuit. De paßione Dominica volumen edidit,

edidit. Sermones quoq; B. Meffret de Ascensione Domini & conceptione immaculatæ virginis MARIÆ Commentarijs illustrauit doctißimis.

IOANNES Bertram, Norinbergensis, Germanus, Georgij Molitoris auditor quondam atq; discipulus, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Gymnasij Erfordiēsis, pòst Moguntiacensis, vir omni doctrinarū genere clarus, Philosophus, Rhetor atque Theologus. In Prologum Bibliæ Commentarios scripsit doctißimos. Collationes multas ad clerum composuit. De mortis CHRISTI celebratione, horrendo sacrificio, ineffabili Missæ Sacramento volumen absoluit.

IACOBVS Philippus Bergomensis, ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir cùm confeßionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritißimus, libris xvj. Chronicon lectu vtilißimum & iucundißimum ab initio mundi vsq; ad Annum CHRISTI MDiij. deduxit. Edidit rursus ad sacratißimam Beatricem Arrogoniam Hungarorum & Bohemorum reginam librum de memorabilibus & claris mulieribus.

HIERONYMVS de Padua, Italus, sacrarum legū Doctor eximius, Philosophus, Rhetor atq; Poëta, ad Petrum Donatum Paduanæ vrbis Episcopum de paßione Dominica volumen scripsit, cui Iesuidæ titulus tribuitur.

HARTMANNVS Scedel Norinbergensis, Artium & Medicinæ Doctor, vir doctißimus, Poëta grauis, Historicus celeberrimus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, omnia mundi tempora & seriem Imperiorum & maximarum rerum quæ in Ecclesia & Imperijs euenerunt à primo initio vsque ad Annum CHRISTI Mccccxcij. contexuit & in vna veluti tabula seriem Regum & Pontificum & aliarum rerum memorabilium Lectori spectandam exhibere conatus est.

CAROLVS Phernandus, Germanus, Brugis oppido Flandriæ ortus, Scholæ sacrarum disciplinarū præfectus, nō modò laudem in ea facultate promeritus est, verùm etiam & omne gen⁹ alterius sapiētiæ suo excoluerat studio à teneris annis

oculis captus, & ob id etiam primarum literarum ignarus, Poëticá & oratoriam perfectißimè didicerat, omnibus sui miraculum præbens. De Musica quoque numerorumq; proportione nihil eum latebat, Professorem Parisijs agens. Demum contemptis omnibus, Monasterium quod Casale benedictum appellatur, in quadam densißima sylua, decem à ciuitate Bituricensi fermè miliaribus situm ingressus, multa ingenij sui præclara monimenta posteritati reliquit. E quibus expositiones in decertationem Ruperti Gaguini de purißima conceptione sacræ DEI genitricis & virginis MARIÆ aduersus Vincentium de nouo castro Ordinis Prædicatorum scripsit. Laudes Ordinis Carmelitarum prosecutus est. Odarum in laudem CHRISTI libros quatuor absoluit. Elegiarum de contemptu mundi volumen. De quatuor præterea nouißimis librum edidit.

ANGELVS de Clauasio, Ordinis Minorum, Vicarius generalis Cismontanorum fratrum obseruantiæ, vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Iureconsultus celeberrimus, Summam ab authore Angelicam nominatam scripsit.

SEBASTIANVS Brant, Germanus, patria Argentoratensis, vtriusq; Iuris Doctor atque Professor Gymnasij Basiliensis, Philosophus & Poëta insignis, Orator sui temporis facilè omnium eloquentißimus, Rosarium D. MARIÆ Sapphico carmine confecit. In laudem rursus D. virginis ænigmata veteris Testamenti eleganti volumine collegit Porrò & virginalem conceptum poßibilem probauit, & admirationē B. MARIÆ adueniente angelo enumerauit. De locis mirificis B. virginis scripsit Cōmentarios prætereà tùm vtiles tū necessarios cōsolationis Christi ad matrem, de colaphis Christi, de ingratitudine edētium manna, In laudem ordinis Carthusiensium, & de contemptu seculi posteritatis memoriæ consecrauit. Poëmata præterea in honorem sanctorum, inprimis autem Diuorum Sebastiani, Onophrij, Valentini, Christianæ, Iuonis atque Bernardi doctißima composuit.

RODOLPHVS Langius, Germanus, Monasteriensis Ecclesiæ in Vvestphalia Canonicus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilißimus, Philoso-

Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, ad Hermannum Langium eiuſdem Eccleſiæ Decanum, De vrbe Solymarum Commentarios ſcripſit abſolutiſsimos. De tribus S. Magis carmen & doctum & lectu iucundum contexuit.

BAPTISTA Mantuanus, S. Theologiæ Magiſter, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Latinæ linguæ decus & Græcæ clarus interpres, Catholicæ fidei & Euangelicæ doctrinæ totiusq; bonitatis nobiliſsimus doctor, princeps ſuę ætatis Philoſophorum, Rhetor inſignis, Poëta grauis & ingenioſus, nec vlli ſacrarum literarum ſcientia ſecundus, libros de beata vita, de contemptu mortis, de ortu religionũ, de patientia, De S. Catharina, & S. Ioanne Baptiſta conſcripſit. Vitas Beatorum Dionyſij, Georgij & Ludouici doctis Cõmentarijs abſoluit. De Beatis Margaretha, Agatha, Lucia, Apolonia & Cæcilia libros ſingulos edidit. Votum elegiacum ad D. virginem pro recipienda ſoſpitate poſt febrim. Et ad eandem pro extinguenda peſtilentia orationem confecit. De calamitatibus ſuorũ temporum. De laudibus B. virginis MARIÆ. Faſtorum quoq; ſiue de Sacris diebus libros xij. aliaq; plura ſcripturarum monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

ARNOLDVS Boſtius, Germanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Conuentus Gandenſis, elegantis copioſæq; elocutionis vir, ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, cùm tam ſoluta q̃ ligata plurimum polleret oratione, De patronatu MARIÆ volumen ſcripſit, quo ordinis ſui originem & progreſſum oſtendit. Aliud de viris illuſtribus Carthuſienſium. Rurſus de ſui Ordinis viris illuſtribus volumen edidit. Contra Vincentium quoque de nouo Caſtro Commentarios abſoluit.

Ante Annos 70. qui fuit CHRISTI 1495.

NICOLAVS de Alſentia, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, vir ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac diſertus eloquio, fidei propagator acerrimus, princeps ſuæ ætatis Philoſophorum, ſacrarumque literarum Doctor ſubtiliſsimus, in

Exodum & Apocalypsin Ioannis doctissmos Cōmentarios scripsit. Missæ Canonem exposuit. Sermones cùm elegantes tum doctos ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

PHILIPPVS Alberti de Nusia, Germanus, Ordinis fratrū B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Philosophus grauis, Rhetor insignis, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Cantica Canticorum doctissimos libros absoluit. Contra Vincentium præterea de nouo castro Ordinis Prædicatorum de purissima conceptione B. virginis MARIÆ scripsit.

CONRADVS dictus Hensel, Germanus, patria Hasso, natus ex oppido Cassel, pastor & Rector Ecclesię Francofordiensis, vir grauis & prudens, Philosophus insignis, Orator facundus, & nobilissimus rerum diuinarum interpres, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. In Epistolas Canonicas libros vij. conscripsit. In Cantica Canticorum volumen. Expositiones quoque in Apocalypsin Ioannis. Libros itidem de pœnitentia, ieiunio & oratione. De fide, spe & charitate. De sanctificatione Sabbati. De præceptis Ecclesiæ & veritate Euangelica. De interdicto. De libertate Ecclesiastica, & quos inscripsit de quatuor virtutibus quas Cardinales vocant. Lucubrationes porrò in Euangelia & Epistolas Pauli composuit, Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit, Contra hæreticos & maleficos. Cōtra Hussitas quoque Boëmos scripsit, De mysterio Sacrificij Missæ volumen Archiepiscopo Coloniensi, Sermones rursus plures cùm elegantes tum doctos aliaque plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

FRANCISCVS Vviler, Ordinis Minorum, vir suæ ætatis eloquentissimus, Poëta grauis, Musicus absolutissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Contra quendam conceptionem DEI genitricis purissimam impugnantem in modum libelli prolixam Epistolam scripsit. De

passione

paſsione Dominica Commentarios. Alios de vitijs & virtutibus abſoluit. Sermones plures ad populum habitos poſteritatis memoriæ conſecrauit.

GODEFRIDVS Candelarij, Prior Conuentus & fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli in vrbe regia Aquenſi, vir ſacrarum literarum ſtudijs doctus & inprimis eruditus, dicendi artifex & Orator eloquens, Sermones in ſolennibus habitos ſcripſit.

GVILIELMVS de Velde, patria Gelrenſis, Canonicus Collegij diſciplinæ regularis S. Auguſtini in Franckhentall, inter Vvormatiam Vangionum vrbem & Spiram Nemetum Auguſtam, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, Philoſophus & Mathematicus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritiſsimus, Statuta Sororum ordinis ſui in lucem produxit. Opus de toto vniuerſo, id eſt, de mundi principio, medio & fine libris xxiiij. abſoluit. Sermones elegantes atque doctiſsimos ſcripſit.

IACOBVS Vvimphelingus, Slettatenſis, Germanus, Sacræ paginæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Erfordienſis, pòſt Haidelbergenſis, Presbyter Eccleſiæ Spirenſis, Eccleſiaſtæ munus haud modica apud Nemetes laude perfecit. Vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atque ſacris ſcripturis doctiſsimus, Philoſophus inſignis, Hiſtoricus grauis, Poëta & Orator facundiſsimus, ad Bertholdum Archiepiſcopum Moguntinum opus celeberrimum Hexametro & Pentametro verſu elegantiſsimo in laudem B. MARIÆ virginis DEI matris compoſuit, cui de triplici candore titulus tribuitur. De laudibus & cæremonijs Eccleſiæ Nemetũ Carmen Ad Ludoicum de Helmſtat Spirenſium Antiſtitem ſcripſit. Petente rurſus Ludoico Epiſcopo Officium de compaſsione B. MARIÆ ſemper virginis compoſuit, quod per Spirenſem Diœceſin quotannis ſolenniter peragitur. De nuncio angelico heroicum carmen abſoluit. Excuſationem ad Iulium ij. Pontificem tranſmiſit, quòd ſcripſerit Auguſtinum non fuiſſe Monachum, aut fratrem mendicantem,

Librum

Librum de vita & moribus Episcoporum, aliorumq; Prælatorum & Principum composuit. De Hymnorum & Sequentiarum quas vocant authoribus Commentariolum edidit. Symbolum Athanasianum exposuit. Prothinologiam de bono modo prædicandi confecit. Contra fratrem pensantem manus, conceptionem DEI genitricis & Basiliense Concilium improbantem epistolas aliquot scripsit. Orationes contra inuasores Sacerdotum, pro immunitate Ecclesiastica, ad Cardinalem Tornacensem, ad Raimundum nuncium indulgentiarũ, Ad gymnosophistas Haidelbergenses, De S. Catharina ad eosdem, De Spiritu Sancto, De assumptione Diuæ Parthenices, ad Synodos Vvormatiensem, Spirensem, Slettatensem, & alias complures habuit, multaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit. Obijt xvij. Calend. Decembr. Anno MDxxviij.

IOANNES Spanheimensis Benedictinæ professionis Moguntinæ Diœcesios Abbas, Germanus, patria Mosellanus, ex Villa Trittenheim, Treuerensis Diœcesios, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis doctissimus, Philosophus, Orator atq; Poëta celebris, De visitatione Monachorum Commentarium perfecit, Benedictinæ regulæ expositionem contexuit. Exhortationum vel homiliarum ad monachos volumina scripsit. Commentarios prҿterea de tentationibus claustralium & remedijs earum. De vita Sacerdotum. De vitio proprietatis. De miseria huius vitæ. De ruina ordinis sui. De illustribus viris sui ordinis. De luminaribus Germaniæ. De Sancta Anna, Et scriptoribus Ecclesiasticis posteritatis memoriæ consecrauit. Chronicon Monasterij Spanheimensis. Aliud rursus Monasterij Hirsaugiensis. Vitam S. Herminæ monialis & primæ Abbatissæ in horreo Treuerensi. Laudes S. Andreæ Apostoli Laudes S. Ioseph nutricij Domini. Laudes S. Benedicti Abbatis. Laudes vitæ monasticæ. Laudes veræ pœnitentiæ & studij diuinarum literarum scripto proposuit. De miraculis S. Matris Annæ. Contra maleficos & superstitiones ab Ecclesia prohibitas. De miraculis ad memoriam S. virginis MARIÆ apud Dittelbach ostensis. De miraculis eiusdem in Vrticeto apud Helprunnam ostensis. De vita D. Rabani præsulis. De vita S. Maximi Episcopi libros edidit, & mille alia volumina Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

IOANNES

IOANNES Gerbrandi de Leydis, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus, Orator & Historicus celebris, nec vlli Theologorum secundus, scripsit sui Ordinis historias libros x. Sermones cùm elegantes tum doctos ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

IOANNES Godfrid de Odernheim, Oppenhaimensis Ecclesiæ Pastor, vir tam diuinis quàm profanis scripturis eruditus, Theologus profundus, Sermones elegantes atque doctissimos scripsit. Augustinum porrò de ciuitate DEI in Germanicam transtulit linguam.

IOANNES Kesselerus Gislingensis Presbyter, Sueuus, insigni spectataq; virtute præditus vir, Poëta grauis & ingeniosus, Historicus celeberrimus, De laudibus D. Nicolai Episcopi Sapphico carmine. Rursus de S. Andrea Apostolo eodem carminis genere scripsit.

IOANNES de Lamshem Vvormatiensis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Monachus Kirsgartensis, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectissimus, Theologus sacrarũ legum exercitatissimus, De institutione & vtilitate fraternitatis rosarij D. MARIÆ scripsit Commentarios rursus absoluit, quibus speculi Missæ, Speculi nouissimorũ, & Arræ æternæ salutis titulus tribuitur.

IOANNES de Veteri aqua, aliâs de Gauda, patria Holandus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Cassellensis, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, grauis & ingeniosus Poëta, Historicus celeberrimus, tum præterea Sacrarum literarum scientia nemini secundus, de initio ac incrementis Ordinis sui libros tres absoluit, quibus fasciculi temporum Ordinis Carmelitarum titulus tribuitur. De conceptione B MARIÆ virginis volumen edidit. Contra Vvigandum Ordinis Prædicatorij Monachum. Epistolas, Sermones plures ad populum habitos scripsit.

IOANNES Vvyricus, ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir tam diuina q̃ profana literatura doctissimus, Orator omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, Theologus profūdus. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones in solennibus habitos scripsit.

Ante Annos 69. qui fuit CHRISTI 1496.

PETRVS Sutor, Ordinis Carthusiensium, doctrina & eloquentia vir clarus, Sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, De translatione Bibliæ volumen & doctum & prolixum scripsit.

RVGERVS Venray, Germanus, Ordinis Canonicorum regularium S. Augustini, cœnobij D. Apostoli Petri, quod non longè à Vvormatia situm, Heyne dicitur, vir tum sacrarum tum profanarum literarum peritissimus, De inquisitione beatæ vitæ Commentarios scripsit. Hymnorum de S. Parthenice MARIA volumen absoluit.

Ante Annos 68. qui fuit CHRISTI 1497.

BERNARDINVS de Busto, Mediolanensis, Ordinis Minorum, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, de excellentijs reginæ cœli Sanctæ matris MARIÆ inuiolatæ DEI Genitricis Commentarium absoluit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

Ante Annos 67. qui fuit CHRISTI 1498.

IOANNES Henlin, vir & doctrina & pietatis studio insignis, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam disciplinas adiecerat, Expositionem Antiphonæ seu Cantici Salue regina. auctoritatibus Propheticis, Bibliæ, Sanctorū Patrum, Doctorumq́; dictis ac historijs decoratam scripsit.

SIMON de Spira, Germanus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, Conuentus Spirensis,

renſis, Sacræ Theologiæ Doctor atque Profeſſor Gymnaſij Pariſienſis, inſigni ſpectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiã & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Contra Iudæos volumen edidit. Sermones elegantes atque doctiſsimos ad populum habitos ſcripſit.

CYPRIANVS Benetus, Arragonenſis, Ordinis Prædicatorum, vir eruditione & eloquentia clarus, Philoſophus atque Orator perfectus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Cõmentarios de prima orbis ſede, de Concilo, de Eccleſiaſtica poteſtate, de Papæ dominio ſcripſit.

Ante Annos 65. qui fuit CHRISTI 1500.

GVILIELMVS Pepinus, vir & moribus & doctrina ſpectatus, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus grauis, Orator facundus, nec vlli Theologorum ſecundus, Sermones in ſolennibus habitos ſcripſit.

IOANNES Nauclerus, Germanus, non procul à Tubinga in agro Vvirtebergenſi natus, Iuris vtriuſque Doctor, Eccleſiæ Tubingenſis Præpoſitus, & vniuerſitatis Cancellarius, vir literis & fide præſtãs, Chronicon ab initio Mundi vſq; ad ſua tempora & Annum CHRISTI MD. duobus voluminibus comprehendit, & in Germanicis præcipuè rebus multa quæ ab alijs ſcriptoribus non exponuntur annotauit.

Ante Annos 63. qui fuit CHRISTI 1502.

ALBERTVS Crantzius, vir & doctrina & pietatis ſtudio inſignis, Hiſtoricus celeberrimus, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam diſciplinas adiecerat, gentis Saxonicæ, & Vandalicæ, & regionum borealium, Daniæ, Sueciæ ſeu Gotthiæ, & Norici hiſtoriam facundè deſcripſit, vſque ad Annum CHRISTI MDIIII. Seriem rurſus & ſucceſsiones omnium Epiſcoporum in duodecim Saxoniæ inferioris & Vveſtphaliæ Eccleſijs Cathedralibus enumerat: & narrationes de rebus in Imperio & vicinia geſtis intexit. Orditur autem à Caroli

Magni temporibus, qui Ecclesiam Bremensem, instituto Episcopo S. Vvillehado circa Annum CHRISTI Dcclxxxviij. fundauit: ac inter cætera præfatur, Se post diuturnum bellum cum gente Saxonica pacem fecisse, hac conditione, vt pristinam libertatem & immunitatem retineret integram, sed tamen victa iam DEO gratias ageret, & deinceps armis & fide Domino & Redemptori nostro IESV CHRISTO seruiret.

Ante Annos 62. qui fuit CHRISTI 1503.

IOANNES Stella, Presyter Venetus, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, Historicus celeberrimus, de vita & moribus Summorum Pōtificum à Petro Apostolo vsque ad Iulium ij. & Annum CHRISTI MDIII. ad Antoninum Surianum Patriarcham Venetum scripsit.

Ante Annos 61. qui fuit CHRISTI 1504.

IOANNES Abbas Liuciasensis, vir disertissimus, doctrina & pietatis studio insignis, Theologus profundus, vt literas sacras illustraret insigne volumen scripsit, cui exercitiorum spiritualium titulus tribuitur.

BAPTISTA de Salis, Ordinis Minorum, prouinciæ Ianuensis, Philosophus clarissimus, Rhetor insignis, atque Theologorum sui seculi facilè princeps, Summam casuum conscientiæ ab authore Baptistinianam nominatam conscripsit.

Ante Annos 60. qui fuit CHRISTI 1505.

IOANNES Franciscus Picus, Mirandulæ Dominus & Concordiæ Comes, illustris Principis Galeoti Pici filius, & Ioannis Pici ex fratre nepos, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, diuinarum literarum Græcarumq; disciplinarum, nec non artis Oratoriæ atque Philosophiæ egregiè peritus, cùm constanter sacræ Philosophiæ incumberet, De rerum prænotione libros ix. pro veritate religionis contra superstitiosas vanitates edidit. De morte CHRISTI & propria cogitanda libros tres Hieronymo Sauonarolæ dicauit. De studio diuinæ & humanæ Philosophiæ ad Albertū Pium Carpensem scripsit. De diuini amoris imaginatione ad Maximilianum,

num Cæſarem volumen abſoluit. Poëma heroicum de myſterijs Dominicæ Crucis nuper in Germaniam delapſis compoſuit. De fide & ordine credendi theoremata ad Iulium II. Pontificem Maximum ſcripſit. Examen vanitatis doctrinæ gentium & veritatis Chriſtianæ diſciplinæ libris vj. propoſuit, aliaq; plura ingenij ſui monimenta Eccleſiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 57. qui fuit CHRISTI 1508.

NICOLAVS Nyſe, Prouincialis Franciæ, ordinis Minorum de obſeruantia, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Sermones in honorem Sanctorum habitos plures ſcripſit.

Ante Annos 56. qui fuit CHRISTI 1509.

MARCVS Vogerius Sauonenſis, Ligur, ordinis Minorum, ſacræ Theologiæ Doctor, Epiſcopus Senogallienſis, Presbyter Cardinalis S. MARIÆ trans Tyberim, Epiſcopus Præneſtinus, & Archipresbyter S. Petri, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia ſpectatus, Orator facundus, Theologorum ſuæ ætatis facilè princeps, Sermones in ſolennibus habitos ſcripſit. Obijt Romæ xv. calend. Iulij Anno CHRISTI MDxvj. ſepultus ad S. MARIAM trans Tyberim.

PAVLVS Corteſius, Protonotarius Apoſtolicus, inſigni ſpectataq; virtute præditus vir, Poëta grauis & ingenioſus, Hiſtoricus celeberrimus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Quatuor libros Sentētiarum Lombardi expoſuit.

SANTES Pagninus, Lucenſis, Ordinis Prædicatorum, Concionator Apoſtolicus, vir trium principalium linguarum Hebraicæ, Græcæ & Latinæ peritus, ob vitæ continentiam & ſacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus, vtrunq; Teſtamentum ex Hebraica & Græca veritate ferè ad verbum tranſtulit. Sermones elegantes atq; doctiſsimos ſcripſit.

IODOCVS Gallus Rubeaquenſis, ſacræ Theologiæ Doctor, Spirenſis Eccleſiæ Presbyter, vir ſapiens & clarus, ingenio ſubtilis, eloquio grauis & acer, qui ſacras ſcripturas diligenter & fœliciter perceperat, Hiſtoricus celeberrimus, car-

minibus et prosa laudatus, De tētatione mundi & Sathanæ libros tres absoluit. Orationes de fide, confessione, ac martyrio S. Catharinæ. De natiuitate CHRISTI. De missione ac officio Spiritus sancti. De baptismo Ioannis & CHRISTI. De annunciatione Dominica ad clerum Spirensem & Vvormatiensem conscripsit, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Obijt Nemetum Augustæ Spiræ Anno MDxvj. in Cathedralis ambitu basilicæ sepultus.

IOANNES Coletus, Anglicus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Pauli Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis. Lucubrationes porrò in Prouerbia Salomonis, Euangelium Matthæi, Symbolum Apostolicum, & Dominicam precationem scripsit. Breuiloquium dictorum CHRISTI absoluit. Disputationem contra Erasmum de tædio & pauore CHRISTI instante supplicio crucis conscripsit. Moritur xix. calend. Nouembr. Anno MDxix.

Ante Annos 55. *qui fuit CHRISTI* 1510.

GREGORIVS Breikopff, Konicius, sacræ paginæ Doctor, vir omni doctrinarum genere celeberrimus, Poëta grauis, & insignis sui seculi Historiographus, Sapphica de D. Catharina & stricta B. Hieronymi vita scripsit. Moritur Lipsiæ Anno MDxxix.

IOANNES de Colonia Agrippina, ordinis Minorum, sacræ paginæ Doctor, vir omni literatura doctissimus, Orator facundus, suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, Quatuor libros Sentētiarum Lombardi exposuit. Sermones cùm elegantes tum doctos posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 54. *qui fuit CHRISTI* 1511.

PETRVS Galatinus, Ordinis Minorum, Artium & sacræ Theologiæ Doctor, Laurentij Pucij Cardinalis familiaris, insigni spectataq; virtute præditus vir, ob vitæ continentiam & sacrarum maximè literarum peritiam toto orbe clarus. Opus de arcanis Catholicæ veritatis aduersus Iudaicam nostri seculi obstinationem scripsit.

IOAN-

IOANNES de Fabrica, ordinis Minorum, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, De indulgentijs pro animabus in purgatorio scripsit.

Ante Annos 53. qui fuit CHRISTI 1512.

MICHAEL Lochmaier, Germanus, Patauiensis Canonicus, sacræ Theologiæ & Decretorum Doctor, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Theologus sacrarum diuinarum absolutissimus, Sermones cùm elegantes tum doctos scripsit. Parochiale curatorum diuisum in Decadem absoluit, cuius capita sunt: De iure Parochiali quid sit, & in quibus consistat. De decimis & primitijs. De oblationibus. De pœnitentijs recipiendis. De Missis audiendis. De sepulturis & remedijs. De canonica portione. De benedictione nubentium. De collatione Sacramentorum & prouentibus.

IACOBVS Peretz de Valentia, Chrisopolitanus Episcopus, Ordinis fratrum Eremitarũ S. Augustini, vir omni doctrinarum genere clarus, Philosophus & Orator eminentissimus, Theologus sacrarum literarum exercitatissimus, Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. Lucubrationes porrò in Cantica illa Ecclesiastica Zachariæ, Symeonis B. MARIÆ virginis, SS. Augustini & Ambrosij conscripsit. Contra Iudæos volumen edidit. Cantica Canticorũ Salomonis exposuit, aliaq; plura ingenij sui monimenta, quæ plurimum Ecclesiæ DEI afferunt vtilitatis, posteritatis memoriæ consecrauit.

OLIVERIVS Mallardus Parisiensis, ordinis Minorum, vir doctissimus, nec vlli Theologorum secundus, moribus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, Sermones plures & eleganter & doctè compositos, quorum infinitus penè est numerus, absoluit.

SILVESTER de Prierio, Bononiensis, ordinis Prædicatorum, sacræ paginæ Doctor, ac clarissimus sanæ doctrinæ sancti Thomæ Aquinatis expositor, vir admiratione omnium dignissimus, qui sacras atque profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum

lectione

lectione politam, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Defensionem doctrinæ S. Thomæ Aquinatis scripsit. Summam casuum cōscientiæ absoluit. Sermones plures ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 52. *qui fuit* CHRISTI 1513.

LVDOVICVS Ordinis Minorum, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta grauis & ingeniosus, Theologus profundus, nec vlli sacrarum literarum scientia secundus, Sermones in honorem Sanctorum de B. MARIA virgine & in solennibus habitos scripsit.

Ante Annos 51. *qui fuit* CHRISTI 1514.

IOANNES Herold, Ordinis Prædicatorum, quem alio nomine Discipulum vocant, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, Sermones cùm elegantes tum doctos ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

SANCTIVS Porta, Hispanus, Ordinis Prædicatorum Conuentus Cæsaraugustani, Philosophus, Rhetor atq; Historicus celebris, nec vlli Theologorum secundus, Sermones plures in honorem Sanctorum habitos scripsit.

THEODERICVS Gresmund de Meschode, Spirensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Carmen de historia violatæ crucis scripsit. Idem carmen interpretatus est Hieronymus Gebuilerus, qui in vita Gresmundi inquit, eum laudes Philosophiæ & liberalium artium luculentissimis Dialogis complexum esse, vita functis Epitaphia excudisse, ad multorum preces Epigrammata varia tum sale tum iocis referta cecinisse, Viglij & Capnionis amicitia floruisse. Tandem ætatis Anno xl. ex passionibus vuulę suffocatum. Fuisse gracili corpore, statura mediocri, honesto vultu, capillo subnigro, cæsijs oculis.

PELLBARTVS de Themesuuar, ordinis Minorum, vir Græcæ & Latinæ doctus, Historicus celebris, qui sacras atq; profanas literas summè didicerat, Sermones plures cùm elegantes tum doctos ad populum habitos scripsit.

Ante Annos 50. qui fuit CHRISTI 1515.

IOANNES Adelphus, Artium & Medicinæ Doctor, Physicus Argentoratensis, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, Expositiones Sequentiarum, quas vocant, ne dum Scholasticis sed & Ecclesiasticis cognitu necessarias absoluit.

MATTHÆVS monachus Cistertiensis, sacræ paginæ Doctor, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine prestantissimus, Theologus scripturarum diuinarum absolutissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Euangelium rursus Matthæi commentarijs illustrauit doctissimis.

IOANNES Maior, Hadyngionensis, natione Scotus, vir eruditione & eloquentia clarus, Theologus profundus, Historicus celeberrimus nec vlli sacrarum literarum scientia secundus, Quatuor libros in sentẽtias scripsit, Expositiones supra Quinquagenas Psalmorum absoluit.

Ante Annos 49. qui fuit CHRISTI 1516.

PAVLVS Vuan, Ecclesiæ Pataviensis Presbyter, vir & moribus & Doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Sermones plures cùm elegantes tum doctos in solennibus habitos scripsit.

Ante Annos 48. qui fuit CHRISTI 1517.

DOMINICVS Iacobatius, Romanus, Episcopus Lucerinus, auditor Rotæ, Presbyter Cardinalis S. Laurentij in Pane, & Perna, pôst S. Clemẽtis, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus profundus, De Concilio volumen & doctum & prolixum scripsit. Obijt Romæ Mense Ianuario Anno MDxxviij. sepultus ad S. Eustachium.

Ante Annos 47. qui fuit CHRISTI 1518.

MATHIAS Ringmannus, Philesius, Vogesigenus, Iacobi Vvimpffelingi Slettatensis auditor quondam atq;

diſcipulus, vir diſertiſsimus, tam vita quàm eloquentia ſpectatus, cùm non minus internis animi dotibus quàm externis diuitiarũ opibus floreret, paſsionis Dominicæ ex quatuor Euangeliſtis hiſtoriam docto volumine conſcripſit.

Ante Annos 46. qui fuit CHRISTI 1519.

FRANCISCVS Albertinus, Italus, patria Florentinus, vir omni doctrinarum genere clarus, Philoſophus & Orator eminentiſsimus, Hiſtoricus celeberrimus, cùm ſacras atq; profanas literas æquè didicerat, De confeſsione volumen. Aliud de modo rectè viuendi compoſuit. De Sacramento commentariũ edidit. Expoſitionem rurſus in orationem Dominicam & Angelicam ſalutationem ſcripſit.

Ante Annos 45. qui fuit CHRISTI 1520.

SYLVESTER Prieras, Ordinis Prædicatorũ, ſacri Palatij Magiſter, cui præcipua certè laus in profana ſimul & ſacra Philoſophia omnibus omnium præclarorum virorum calculis tribuitur, primus Lutheri hæreſim tum vigentem oppugnauit, pro veritate Romanæ Eccleſiæ volumen conſcribens, quo cùm falſas Lutheri opiniones ad verbum refellit, tum vitam & mores eiuſdem hæreſiarchæ deſcribit.

Ante Annos 44. qui fuit CHRISTI 1521.

EDVARDVS Leus, Anglus, vir cùm confeſſionis gloria, tum vita & conuerſatione plurimum inſignis, Philoſophus clarus, Theologus profundus, multorumq; literarum et rerum peritiſsimus, aduerſus Deſiderij Eraſmi Roterodami expoſitiones in nouum Teſtamentum Commentarios ſcripſit.

Ante Annos 43. qui fuit CHRISTI 1522.

HADRIANVS vi. Florentij filius, Traiectenſis, Belga, Presbyter Cardinalis S. Pammachij, Pontifex Maximus renunciatus, ſedit in Apoſtolica ſede annũ vnũ, menſes viij & D. vj. Peractis ſolennibus coronationis, protinus totus cõuertitur ad cognoſcẽdas res vrbanas ferendasq; ſuppetias rebus pro afflictis, vbicunq; opus eſſet. Inter hæc non minore ſollicitudine, Lutheraniſmum

nismũ profligare nititur. Scripsit ad Senatũ ciuitatis Bambergensis. Dedit ad hæc literas ferè ad singulos quosq; Principes, & Ecclesiasticos Laicos eiusdẽ exempli, sed præsertim ad Ducẽ Saxoniæ Fridericum, in cuius dominatu, totius incendij fax Lutherus agebat, monens eum, vt haberet ob oculos quàm inelubilis, tetraque gloriæ suæ ad posteros macula foret, fouisse hominem phreneticum, qui non minus impijs ac Satanicis, quàm stolidis nænijs orbem penè vniuersum in exitium inuolueret. Præterea adiutorem fuisse labefactandæ pietati, quam tot Martyrum fusus sanguis, tot eruditissimorum hominum vigiliæ, tot fortissimorum Principum inuicta arma, summo nixu stabiliuissent: alioqui non eum de ea temeritate causam fœliciter dicturum, cùm standum esset ad tribunal Iudicis CHRISTI. Et alia multa in eandem sententiam. Resipisceret igitur, & ingressus per vestigia fidei maiorum suorum, non sineret prudentiam suam præstigijs vnius rabiosi homunculi illudi, qui scilicet nihil scriptis suis nefandis produceret, quod temporum superiorum Cõcilijs ex professo damnatum non esset. Spondebat ad hæc, vbi primùm sedatis bellorum turbis posset, indicere Concilium vniuersale, vt quicquid Romæ, quicquid alibi, apud Episcopos, Abbates, & vniuersum denique ordinem Ecclesiasticum collapsum esset, in pristinum gradum restitueretur, ne quid hac parte possent obtendere, quo minus monitis suis morem gererent. In summa, tantum effecit sedulitate, authoritateq;, quam sanctitas vitæ, præstantiaq; doctrinæ pepererãt, tum gratia, qua maxima apud Germanos, Pontifex Germanus valebat, vt malum illud iam tum vtrunque mitesceret, & spes magna esset, nisi mors eius impedisset, fortassis breui, aut in totum, aut ex maxima certè parte explodendum. Obijt Romæ in Palatio xviij. calend. Octobr. Anno MDxxiij sepultus ad S. Petrum.

GILBERTVS Crab, natione Scotus, vir cùm cõfessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, nec vlli Theologorum secundus, pro integritate B. MARIÆ semper virginis volumen scripsit. Obijt quadragenarius Anno MDxxiiij.

Ante Annos 42. qui fuit CHRISTI 1523.

IODOCVS Vvindshemius, apud inclytorum Francorum Herbipolim Hagensium concionator, & diuini verbi præco, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disertus eloquio, princeps suæ ætatis Philosophorũ, Confeßionẽ & in decem præcepta diuina velut paraphrasticôs sub Christiani pœnitẽtis persona enarrationẽ scripsit.

FOELIX Pratensis, vir & moribus & doctrina clarus, Philosophus, & Rhetor insignis, Poëta grauis, Hebræo atq; Latino instructus eloquio, Psalterium Dauidis transtulit iuxta Hebraicam veritatem.

Ante Annos 41. *qui fuit* *CHRISTI* 1524.

IODOCVS Badius Gandensis, Germanus, qui olim Ferrariæ Baptistam Guarinũ literas Græcas docentem audiuit, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator facundus, Poëta grauis, sacrarumq; literarum scientia nemini secundus, Contra Vincentium de nouo castro volumen scripsit. Psalterium D. MARIÆ virginis Sapphicis absoluit. Philippi postremò Beroaldi Næniã de paßione Domini Cõmentarijs illustrauit doctißimis.

IODOCVS Chlictoueus, Neoportuensis, sacræ paginæ Doctor, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantißimus, Philosophus grauis, Rhetor insignis, & Theologorum suæ ætatis nulli secundus, Ioannem Damascenum Cõmentarijs illustrauit doctißimis. Expositionum in eam partem Euangelii Ioannis libros quatuor scripsit, super quam totidem libri Cyrilli interciderunt. Propugnaculum Ecclesiæ contra Lutheranos edidit. Commentarium, cui Antilutheri titulus tribuitur, absoluit. De Sacramento Eucharistiæ cõtra Ioannem Oecolampadium scripsit. Improbationẽ quorundam articulorum Lutheri posteritati reliquit. De veneratione Sanctorum. De puritate conceptionis B. MARIÆ. De mystica numerorum significatione. De vita & moribus Sacerdotum. De neceßitate peccati Adæ. De laude monasticæ religionis. De dignitate annunciationis B. MARIÆ. De ieiunio. De Missæ sacrificio atq; laudibus SS. Ludouici & Ceciliæ libros, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

THOMAS de Vio, Caietanus, Ordinis Prædicatorum.

catorum generalis Magister, sacræ Theologiæ Doctor, Presbyter Cardinalis S. Xysti, prophetico dono, Apostolica gratia illustris atq; conspicuus, vir constans & incomparabilis doctrinę, Ecclesiam DEI periclitantem fide & industria sua quoad fieri potuit sustentauit, aduersus Lutheranos mirificè disseruit. De fide & operibus. De communione. De confessione. De Satisfactione, & inuocatione Sanctorum libros edidit. Omnes libros historicos veteris Testamenti, item Pentateuchum, Iob, Psalmos & Prouerbia, Euangelia rursus & Epistolas Apostolorum Commentarijs illustrauit doctissimis. De authoritate Papę & cōcilij volumen. Aliud de diuina institutione Pontificatus perfecit. De coniugio quoque libros scripsit. Moritur Romæ v. Idus Septēbris Anni MDxxxiiij, sepultus ad Mineruam.

VILLA Sancta, vir suæ ætatis doctissimus, sacrarum legum interpres nobilissimus, Londini de libero arbitrio cōtra Melanchthonem scripsit.

Ante Annos 38. *qui fuit* CHRISTI 1527.

GVILIELMVS Gregorius, natione Scotus, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Philosophus subtilis, Theologus sacrarum literarum scientia nemini secundus, Quatuor libros Sententiarū Lombardi exposuit. Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. De duplici potestate libros. Alios de triplici animæ potentia. De regno CHRISTI æterno. De triplici principatu. De scripturæ sensibus & sacra Synaxi conscripsit. Sermones rursus cùm elegantes tum doctos ad populū habitos plures posteritatis memoriæ consecrauit.

IOANNES Fischerius, Anglus, Episcopus Roffensis, Presbyter Cardinalis S. Vitalis, totius Angliæ religione & doctrina tum facilè princeps, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, acerrimè contra Lutherū depugnauit, erroremq; eius & fraudem in publicum produxit, quod ex libris eius qui adhuc aduersus Lutherum circumferuntur, satis apparet. Aduersus Lutheri enim xxj. articulos. Contra captiuitatem Babylonicam

eiuſdem pro ſacrificio Miſſæ. In defenſionem Sacerdotij, pro Lutheri damnatione, pro defenſione regis in Lutherum. De matrimonio eiuſdem volumina ſcripſit. Extant eius quoque ſcripta alia diuinis referta doctrinis, in vij. Pſalmos pœnitentiales, Precationum, de vij. Sacramentis, Et contra Oecolampadij hæreſim liber. Vir ſanctus, quia Catharinæ Reginæ Angliæ repudium ſua authoritate approbare recuſaret, & Regi ſupremi capitis Eccleſiæ authoritatem ſibi aſſumenti nollet aſſentiri, xxj. menſis Iunij die Anno CHRISTI MDxxxv. Londini pro Catholicæ partis defenſione iam ſenex capitis ſupplicio affectus eſt.

THOMAS Morus, Henrici viij. Anglorum Regis Cancellarius, nobilis & ingenuus heros, Apoſtolicæ vitæ vir, arcana & myſtica diuinarum ſcripturarum interpretatione altus atque ſublimis, fidei propagator acerrimus, mirè ſui temporis hæreſeon impias ac portentoſas opiniones, Lutheri præcipuè retexit & confutauit, multa variaq; memoriæ digna relinquens monumenta. Extant eius pro miſſa contra Ioannem Frith, pro Purgatorio contra eundem, de iuſtificatione operum, De Eccleſia contra Robertum Barnes Commentarij, aliaq; plurima ingenij ſui monimenta, quæ multum religioni Catholicæ afferunt vtilitatis. Omne tormenti & afflictionis genus ſub Henrico viij. Anglorum Rege expertus vij. tandem Iulij die Anno MDxxxv. pro ea quam complexus eſt religione immortalitatis coronam reportauit.

Ante Annos 37. *qui fuit* CHRISTI 1528.

IOANNES Camers, Ordinis minorum, Conuentus Vienenſis in Auſtria, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus, Orator atque Poëta celebris, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Eutropium & Auguſtinum de ciuitate DEI Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis.

CONRADVS Vvimpina de fagis, ſacræ Theologiæ Doctor, vir eximius, qui ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam diſciplinas adiecerat, Catholicæ religionis contra hæreſes propugnator inuictus, Lutheri opiniones redarguit, & ſapientiſ-

pientiſsimus aduerſus eaſdem doctè ſcripſit. Pro trinubio rurſus S. Annæ contra Fabrum Stapulenſem volumen edidit.

BERNARDVS Lutzenburgus, Ordinis Prędicatorum, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritiſsimus, cùm ſacras atque profanas literas ſummè didicerat, librum in commendationem B. Ioſephi ſponſi Chriſtiferę virginis & nutricij Domini noſtri IESV CHRISTI, Alium rurſus de purgatorio ſcripſit. Catalogum hæreticorum omnium penè qui ad Annum CHRISTI MDxxx. paſsim literarum monumentis proditi ſunt, illorum nomina errores & tempora quibus vixerunt indicantem, libris quinque abſoluit

LVDOVICVS Caruaialus, Monachus, vir eruditione & eloquentia clarus, Philoſophus atque Orator perfectiſſimus, nec vlli Theologorum ſecundus, ſcripſit Apologiam contra Eraſmum. Item Dulcorationem amarulentiarũ Eraſmicæ reſponſionis.

CHRISTOPHORVS Longolius, Maclinię nobili Germaniæ oppido honeſto inter ſuos loco natus, Iuris vtriuſque Doctor, atque Profeſſor Gymnaſij Pictauienſis, vir comis, pacificus, eloquens & humaniſsimus, Philoſophus, Rhetor atque Poëta, dicendi ſtudio plurimas regiónes peragrauit, Italiam, Galliam, Heluetiam, Hiſpaniam & Angliam. Cùm Chriſtianæ profeſsionis ſtudioſiſsimus eſſet, ad Lutheranos iam damnatos orationem, qua eos ad Romanam Eccleſiam reducere conatur ſcripſit.

IACOBVS Hochſtrat, vir diſertiſsimus, non minus vita quàm eloquentia inſignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobiliſsimus, contra Lutherum volumen de fide & operibus prudenter & doctè compoſuit.

Ante Annos 36. qui fuit CHRISTI 1529.

PAVLVS Annicola, Cellæ veteris Abbas, vir omni literatura doctiſsimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atque ſacris ſcripturis abſolutiſsimus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide inuictus, De votis monaſticis;

De

De Missa. De ieiunio. De inuocatione Sanctorum. De vna specie Sacramenti. De auctoritate Papæ. De operum meritis, & Coniugio Sacerdotum contra Lutherum scripsit. Obijt Anno CHRISTI MDxxxv.

IACOBVS Latomus, Sacræ Theologiæ Doctor atque Professor Louaniensis, vir certè vndecunque doctissimus, & diuinarum scripturarum nobilissimus interpres, aduersus Bucerum insigne volumen edidit, fabulosas eius opiniones & calumnias satis refellens. Scripsit præterea contra articulos Martini Lutheri. Responsionem ad libellum à Luthero emissum, pro articulis à Theologis Louaniensibus damnatis. De primatu Pontificis aduersus Lutherum. De varijs quæstionum generibus, quibus certat Ecclesia intus & foris, de Ecclesia. De ratione obligandi humanæ legis. De confessione secreta. Ad Helleborum Ioannis Oecolampadij responsum. De fide & operibus. De Monachorum institutis, votis & obligationibus. De trium linguarũ et studij theologici ratione Dialogum. Pro Dialogo de tribus linguis Apologiam. Aduersus librum D. Erasmi de sarcienda Ecclesiæ concordia. Confutationum aduersus Guilielmum Tyndalum libros tres. De matrimonio. De quibusdam Articulis in Ecclesia controuersis. Disputationem Quodlibeticam tribus Quæstionibus absolutam.

Ante Annos 35. *qui fuit* CHRISTI 1530.

GVALTHERVS Catton, Anglicus, in Nordouicensi Minoritarũ Collegio Francisci Asiatis obseruator, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Quæstionum volumen edidit.

CONRADVS Chendin, egregium de fide & vita Christiana specimen ac studium complectens, cõtra nuptias Lutheri volumen scripsit, aliaque ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

Ante Annos 34. *qui fuit* CHRISTI 1531.

IACOBVS Lopis Stunica, nobilis Hispanus, vir

vir eruditione & eloquentia clarus, Philosophus atque Orator perfectissimus, Theologus sacrarũ legum exercitatissimus, multa in Erasmum piè conscripsit.

IANVS à Suola, eques & Iureconsultus, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator facundus, Poëta grauis, sacrarumq; literarum scientia nemini secundus, scripsit Alphabetum theologicum, siue tropos vtriusq; Testamenti, è Dionysio Areopagita, Gregorio Magno, alijsq; veterum, summa fide collectos & explicatos ordine Alphabetico. Item Genethliacon mũdi poëma Heroicum.

CORNELIVS Crocus Amsterodamus, veræ pietatis propugnator inuictus, cùm alijs rebus vir bonus, tum quoduis adire discrimen propter CHRISTVM promptus & paratus, editis libris adulterinas de nostra religione hæreticorum opiniones prodidit. Tum de fide & operibus librum edidit. Scripsit & volumen de Ecclesiastica authoritate.

Ante Annos 33. qui fuit CHRISTI 1532.

HIERONYMVS Emserus, Sueuus, sacræ Theologiæ Doctor, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, vitam S. Brunonis Episcopi docto volumine complexus est. Assertionem impolluti vitalisq; Missæ Sacrificij contra Lutherum edidit. De Canone Missæ contra Zwinglium Commentarios absoluit. Transtulit quoq; Testamentum nouum in linguam germanicam, & expositiones adiecit, aliaq; plura scripturarum monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

IACOBVS Spiegelius Selestadiensis, Germanus, V.I. Doctor, Carolo v. Imperatori à Consilijs & Secretis, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atq; Orator perfectus, inter cætera ingenij sui monimenta, Ioannis Francisci Pici Carmen de mysterijs Dominicæ crucis nuper in Germaniam delapsis Commentarijs illustrauit doctissimis.

HADRIANVS Venetus, Ordinis Prædicatorum, Philosophus cùm in disputationibus tum in argumen-

torum & demonstrationum probationibus argutus atq; subtilis, omni doctrina consumatissimus, de arte inquirendi hęreticos volumen composuit.

IOANNES Dietenbergius, Sacræ Theologiæ Doctor atque Professor, hæreticæ prauitatis inquisitor, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Græco atque Latino instructus eloquio, Philosophus & Orator celebris, nec vlli Theologorum secundus, Lutheranorum hæresim tum vigentem oppugnauit, cùm falsas eorum opiniones ad verbum refellens, tum vitam & mores authorum eius erroris describens. In defensionem rursus Sacrificij Missæ volumen absoluit. Phimostomum siue Confutatorium scripturariorum (sic Lutheranos vocat) & frenum Lutheranorum apud Confluentes Rheni & Mossellæ scripsit. De diuortio rursus Cōmentariolum, & alia ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

IOANNES Vualdeby, Anglicus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus celebris, Theologus profundus, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, Quæstionum Theologicarum volumen edidit. Quatuor rursus Sententiarum libros Lombardi exposuit.

ALBERTVS Pius, Comes & Princeps Carporum, vir omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, multa in sui temporis hæreses scripsit, sed illa potissimum extant, quæ pro impolluto vitalię; missæ Sacrificio cōposuit. Aduersus Erasmum præterea Commentariolum absoluit.

B E D A, Sacræ paginæ Doctor atque Professor Gymnasij Parisiensis, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, Philosophus clarus, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus pro fide nostra contra Erasmum libros conscripsit. Inuectus quoque est in Lutherum, assimulatam & dæmoniacam eius opinionem accuratè recensens.

Ante Annos 32. qui fuit CHRISTI 1533.

GASPAR Sasgerus Minorita, vir sapiens & clarus,

clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui Sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, Scrutinium Scripturæ ad tollenda in Christiana religione dissidia scripsit. Extant eius quoque Commentarij de libero arbitrio, de diuortio, & Missæ Sacrificio, quibus acerrimè contra Lutherum depugnauit, erroremque eius & fraudem in publicum produxit.

IACOBVS Calcus de Papia Italiæ natus, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, doctrina & eloquentia vir clarus, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, de diuortio Henrici viij. Anglorum Regis. De incerto Purgatorij loco volumē. Aliud de Genealogia CHRISTI & filio hominis absoluit.

Ante Annos 31. qui fuit CHRISTI 1534.

IOANNES Tytleshale, Nordouicensis, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir tum sacrarum tum profanarum literarum peritissimus. Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Apocalypsin Ioannis Commentarijs illustrauit doctissimis. Sermones ad populum habitos plures scripsit.

GERMANVS Brixius Antisiodorensis, Gallus, Canonicus Parisiensis, Philosophus insignis, Historicus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, vir sanè ita vtraque lingua doctus, vt è Græco in latinum & Chrysostomi Dialogum de Episcopatu & Sacerdotio siue de dignitate & onere Episcopi libros vj & Homilias octo priores in Epistolam Pauli ad Romanos ex eodem, Babylam rursus Martyrem transtulerit.

Ante Annos 30. qui fuit CHRISTI 1535.

IOANNES Eckius, Sueuus, Germanus, sacræ Theologiæ Doctor, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, acerrimè contra Lutherum depugnauit, erroremq; eius & fraudem in publicum produxit, quod ex libris eius qui adhuc circumferuntur satis apparet. Extant eius de primatu Petri siue Pontificis aduersus Lutherum Commentarij Ad Sigismundum

Poloniæ Regem de Sacrificio Missæ contra Lutheranos libri. De Missa libri tres, quibus eam sacrificium esse ex Scripturis ostendere & aduersæ partis obiecta diluere conatur. Enchiridion locorũ communium ad Conradum à Tungen Herbipoleñ. Episcopum, aduersus Lutherum & alios hostes Ecclesiæ Chrysopassus siue de prædestinatione centurię sex, ad Duces Baioarię, Epistola ad Heluetios Germanicè scripta de fide Lutherana & Vlrico Zwinglio. Apologia aduersus Bucerum, & alia pro Contareno. De purgatorio volumina. Sermones in solennibus habiti plures. Obijt Ingolstadij iiij. Id. Februarij Anno MDxliij. Cui hoc posteritas monumentum reliquit.

VIATOR PRECES FVNDE
ECKIVS HIC IACET
ABI MORITVRE

IOANNI ECKIO THEOLOGO INVICTO FRATRI DE SE BENE MERITO SIMON ECKIVS M. P. VIXIT ANN. LVI. M. II. D. XXI. OBIIT ANNO MDXLIII. QVARTO IDVS FEBRVARII SVB MERIDIEM.

IOANNES Campensis, Hebrϛæ linguæ apud Louanienses in Buslidiano Collegio Professor, vir omni literatura doctissimus, adeoq; subtilissimus rerum diuinarum interpres, Philosophus grauis, Orator facundus, Expositiones in Psalteriũ Dauidis & Ecclesiasten Salomonis doctissimas scripsit.

Ante Annos 29. qui fuit CHRISTI 1536.

IOANNES Driedonis, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, De gratia & libero arbitrio volumen. Aliud de concordia liberi arbitrij absoluit. Commentarios rursus de captiuitate & redemptione humani generis edidit.

ALQISIVS Marlianus, Mediolanensis Tudeñ. Episcopus

Episcopus, non obscura familia natus, & sacrarum literarum studijs eruditus, pro fide nostra decertans, præclarum contra Lutherum volumen edidit. Obijt VVormatiæ in conuentu Imperij sub Carolo.

IOANNES Lodouicus Viues, Valentinus, natione Hispanus, vir arcana & mystica diuinarũ scripturarũ interpretatione altus atq; sublimis, fidei propagator acerrimus, Philosophus celeberrimus, dicẽdi artifex & Orator facundus, nobilissimas aliquot lucubrationes doctè prorsus & accuratè conscriptas edidit, in quibus eloquentiæ sapientiam ita coniunxit, vt nemo etiam eruditus non cum aliquo fructu earum se lectionem hausisse fateatur. De concordia humani generis libros iiij. cùm institutum esset in Italia Cõcilium ad Carolum v. Cæsarẽ scripsit. Quàm misera esset vita Christianorũ sub Turca docto volumine recẽset. De subuentione pauperũ siue de humanis necessitatibus Commentarios perfecit. Sacrum diurnum de sudore IESV CHRISTI. Meditationẽ porrò de passione Saluatoris, in Psalmũ xxxvij. cõscripsit. Excitationes animi in DEVM. Præparationes animi ad orandũ. Preces & meditationes quotidianas. Preces et meditationes generales. Expositionẽ quoq; in orationem Dominicam absoluit. De veritate fidei Christianæ libros quinq;, in quibus de religionis nostræ fundamentis aduersus Ethnicos, Iudæos, Agarenos siue Mahumetanos, & peruersè Christianos plurima subtilissimè simul atque exactissimè disputantur, composuit: vt author in hosce omnem ingenij doctrinęq; vim exercuisse, & veluti cygneum quoddam melos iam iam moriturus cecinisse videri possit. Tempus natale CHRISTI, Clypei CHRISTI, Descriptionem & triumphum CHRISTI proposuit. Aurelij Augustini opus de ciuitate DEI magnis sudoribus emendatum, ad venerandæ vetustatis exemplaria miro ingenio, maximo acumine, eruditione excultissima stylo mundo & exterso, qualis authorem per omne disciplinarum scriptorumq; genus versatũ exercitũq;, & res illas magnas & præstãtissimas, & eas quibus cũ disputabatur decebat, Commentarijs illustrauit doctissimis. Obijt Brugis in Germania inferiore, calculi, podagræ, febriumque doloribus, cùm vix dum peruenisset ad annum ætatis octauum & quadragesimum, magno sui desiderio studiosis relicto.

IOANNES Poleſtede, Sudouolcas, Ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritiſsimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi expoſuit. Sermones elegantes atq; doctiſsimos ſcripſit. Obijt Eboraci v. calend. Martij Anno MDxlj.

ANTONIVS Marinarius, ordinis fratrum B. MARIÆ ſemper virginis de monte Carmeli, ſacræ paginæ Doctor, vir ingenioſus, grauis & ornatus moribus, Chriſtianæ religionis obſeruantiſsimus, Orator facundus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, De conſonantia IESV CHRISTI & Prophetarum libros tres conſcripſit.

Ante Annos 28. qui fuit CHRISTI 1537.

NICOLAVS Buochnerus, Sueuus, patria Tubingenſis, ex Ducatu Vvirtenbergenſi, Zwifaltenſis Benedictinæ profeſsionis, Conſtantienſis Diæceſios Abbas, vir clarus, Poëta, Orator atq; Theologus ſuæ ætatis celeberrimus, De monaſticæ vitæ laudibus Commentarios abſoluit.

IOANNES Iuſtus Landſpergius, Bauarus, ordinis Carthuſienſium, domus S. Barbaræ in Agrippinatum vrbe Colonia, vir doctiſsimus & in monaſtica diſciplina exercitatus, nec vlli Theologorum ſecundus, Sermones plures cùm elegantes tũ doctos ad populum habitos poſteritatis memoriæ cõſecrauit.

FRANCISCVS Georgius Venetus, Ordinis Minorum, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator atque Theologus ſuæ ætatis celeberrimus, in ſcripturam ſacram problemata edidit. De harmonia rurſus volumen abſoluit.

M. HIERONYMVS Vida Cremonenſis, Albæ Epiſcopus, vir ingenioſus, grauis & ornatus moribus, Chriſtianæ religionis obſeruantiſsimus, Orator facundus, Poëta grauis, Chriſtiados, hoc eſt, de CHRISTI vita geſtis ac morte vj. libros abſoluit, inuitatus præmijs à Leone x. & Clemente vij. propoſitis. Hymnos præterea de rebus diuinis poſteritatis memoriæ conſecrauit.

ÆGIDIVS Fabri, vir suæ ætatis doctissimus, sacrarum legum interpres nobilissimus, Quatuor libros Sententiarum Lombardi exposuit. Sermones cùm elegantes tum doctos scripsit.

Ante Annos 27. qui fuit CHRISTI 1538.

ALARDVS Amstelredamus, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus grauis, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, Matthæi Philadelphiensis apud Ephesum metropolitani precationes, compendiariam inprimis viam ad resipiscentiam præstiuentes & ad sumptionem Dominici corporis non parum conducentes, in Latinum sermonem conuertit. Similia rursus sacra congessit.

IOANNES Lambert aliјs Nicols, Anglus, patria Nordouicensis, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, De veritate Eucharistiæ volumen scripsit.

IACOBVS Sadoletus, Mutinensis, Episcopus Carpenctoratensis, Presbyter Cardinalis S. Calisti, pòst S. Petri ad Vincula, titulo Eudoxiæ, Præsul cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus, disciplinis omnibus perceptis, sacrarum maximè literarum in quibus conquieuit scientia enituit. Et cùm Bibliothecæ diuinæ diligentissimus inuestigator esset, Epistolam Pauli ad Romanos Commentarijs illustrauit doctissimis. Expositiones in Psalmos I. & xciij. scripsit. Epistolam rursus S. P. Q. Genuensi, qua in obedientiam Romani Pontificis eos deducere conatur, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit. Obijt Romæ mense Octobr. Anno MDxlvij. sepultus in titulo suo.

FRANCISCVS Bonadus, Angeriæ Presbyter, Santonensis, Aquitanus, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, grauis & ingeniosus Poëta, Historicus celebris, tum præterea sacrarum literarum scientia nemini secundus Dialogū Domini nostri IESV CHRISTI ac triumphantis eiusdē resurrectionem ex Matthæo perfecit. Dauidis oracula ad Psalmorum seriem

cl. numeris Poëticis exarauit. Epistolas D. Pauli omnes numero xiiij. elegiacis versibus Paraphrasticè traduxit. Monodiarũ præterea illustrium aliquot personarum veteris & noui Testamenti libros tres scripsit.

MICHAEL Vehe, vir eximius, qui ad diuinæ doctrinæ cognitionem profanas etiam disciplinas adiecerat, Catholicæ religionis contra hæreses propugnator inuictus, Lutheri de sacrificio Missæ opiniones redarguit, & sapientissimus, in Missæ defensionem aduersus Lutherum doctè scripsit, alia porrò studij diligentiæque suæ sub Carolo v. Imperatore de rebus sacris monumenta relinquens.

PETRVS Crabbe, Machliniẽsis, ordinis Minorum de obseruantia, & vitæ instituto & doctrina vir clarus, cùm diuinis delectaretur scripturis, Concilia omnia ab Apostolorum temporibus ad Annum CHRITSI MDxxxix. ex vetustissimis diuersarum regionum Bibliothecis in duos tomos conscripsit.

Ante Annos 26. qui fuit CHRISTI 1539.

PETRVS Aurelius, vir eloquentia nobilis, Apostolicaq; doctrina insignis, illustre contra Lutherum nostram defendens religionem volumen scripsit.

FRANCISCVS Romæus, à Castellione, ordinis Prædicatorum, fidei Christianæ defensor insignis, omnes sui temporis Magistros literarum sacrarum scientia, eruditione & doctrina superans, editis libris de libertate operum & necessitate in Pseudophilosophos Christianos inuectus est.

ALPHONSVS de Castro, Hispanus, Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Doctor, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, fidei propagator acerrimus, mirè veterum hæreseon impias ac portentosas opiniones, & ætate sua Lutheri præcipuè retexit & confutauit, multa variaque memoriæ digna relinquens monimenta, Extant eius contra hæreses. Pro hæreticorum iusta punitione, & de lege pœnali Commentarij.

AMBROSIVS Pelargus, Niddanus, Ordinis Prædicatorum, eximius veræ pietatis propugnator, qui diuitijs, genere, gloria & sapientiæ studijs præclaram consecutus famam,

pro

pro fide nostra decertans, contra Ioannem Oecolampadium de Missæ sacrificio doctũ edidit volumen. Vir sanè ita vtraq; lingua doctus, vt è Græco in Latinum eloquium & Symbolum Nicænũ, & S. Chrysostomi liturgiam, ad exemplar D. Symeonis quod apud Belgicam Treuerim habetur transtulerit. Adiecta est Doxologia Græcæ simul & Latinæ, quæ & in Missa & in precibus matutinis vsui fuit veteribus.

AVGVSTINVS Steuchus, Eugubinus, Canonicus regularis S. Saluatoris, Episcopus Chisanus, Apostolicæ sedis Bibliothecarius, vir in Hebræis iuxtà & Christianis disciplinis præclarus, nec Græcarum ignarus, castitatis decus & ornamentum, Philosophorum suæ ætatis princeps, Theosophiæ præclarissimus Doctor, aduersus hæreticorum phalanges fortiter rem gessit, & contra Lutheri prædonum more structas insidias constanter decertauit, ac præ cæteris maximè imposturas eius tribus voluminibus & deprehendit & redarguit. Commentarios quoq; contra Laurentium Vallam de falsa donatione Constantini absoluit. Expositiones in aliquot Dauidis Psalmos scripsit. Cosmopœiæ vel de mundano opificio volumen. Rursus de perenni Philosophia libros decem, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura posteritatis memoriæ consecrauit.

ANTONIVS Broickuuy à Koninckfteyn, obseruantiæ regularis Nouimagensis Gardianus, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, sacra quatuor Euangelia Commentarijs illustrauit doctissimis.

Ante Annos 25. qui fuit CHRISTI 1540.

AVGVSTINVS Alueldensis, Ordinis Minorum, vir disertissimus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, Malagma contra infirmitatem Ioannis Loniceri & Martini Lutheri prudenter & doctè composuit. De confessione rursus Sacramentali volumen edidit.

HECTOR Pinitus, Gallus, sacræ paginæ Doctor, vir & moribus & doctrina clarus, Philosophus & Orator insignis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Esaiam Prophetam Commentarijs illustrauit doctissimis.

GASPAR Contarenus, Venetus, Presbyter Cardinalis S. Praxedis, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, de Sacramentis volumẽ prudenter & doctè cõposuit. Moritur Bononiæ mense Augusto Anno MDxlij. sepultus ad S. Petronium.

Ante Annos 24. qui fuit CHRISTI 1541.

MARCVS Marullus Spalatensis, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus, ac disert⁹ eloquio, fidei propagator acerrim⁹, princeps suæ ætatis Philosophorũ, Poëta grauis & ingeniosus, sacrarumq; literarũ scientia nemini secundus, opus verè Euangelicum, cui Euangelistarij titulus tribuitur, sub fidei, spei & charitatis titulis, in libros vij. partitus est. De religiosè porrò viuendi institutione libros sex, aliaq; ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

DVBRAVA, vir tum profanarum tum sacrarum literarum peritissimus, præterea verò hæreticis refellendis exercitatissimus, aduersus Lutherum insigne volumen, de instituendis ministris Ecclesiæ scripsit. Pauli Epistolam ad Colossenses Commentarijs illustrauit doctissimis.

ISIDORVS Clarius Brixianus, monachus Casinensis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, trium principalium linguarum, Hebraicæ Græcæ & Latinæ interpres, Philosophus celebris, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, Ad eos qui à communi Ecclesiæ sententia discessere adhortationem ad concordiam scripsit. Vtrumq; Testamentum ad Hebraicam & Græcam veritatem transtulit adiectis expositionibus.

ALPHONSVS Viruesius, Canariensis Episcopus. veræ pietatis propugnator inuictus, cùm alijs rebus vir bonus, tum quouis adire discrimen propter CHRISTVM promptus & paratus, editis libris aduersus Lutherana dogmata per Philippum Melanchtonem defensa scripsit.

FRAN-

FRANCISCVS Titelmannus Hassellensis, Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Doctor atq; Professor Gymnasij Louaniensis, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Orator facundus, nec vlli Theologorũ suæ ætatis secundus, Pauli Epistolas omnes Cõmentarijs illustrauit doctissimis. Complexiones in librũ Iob, in Cantica Canticorũ, & Psalteriũ Dauidis scripsit. Lucubrationes porrò in Euangelia sanctorũ Matthæi & Ioannis absoluit, aliaque plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

IOACHIMVS Mirycianus, vir grauis & ornatus moribus, Philosophus cùm in disputationibus tum in argumentorum & demonstrationum probationibus argutus atque subtilis, omni doctrina consumatissimus, contra Lutherum carmina scripsit. Elegiam de morte Emseri composuit. Orationem rursus Dominicam Commentarijs illustrauit doctissimis.

CALLISTVS Placentinus, Canonicus regularis, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura suæ ætate nobilissimus, qui hæreticis constanti semper animo restitit, pro fidei nostræ defensione contra Lutherum Commentarios, de libero arbitrio atque necessitate bonorum operum & eruditione & dicendi facultate subtilissimos composuit.

ALEXANDER Seton, natione Scotus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, in vtramque Petri Epistolam scripsit. Canonicam Iacobi & Actorum caput xviij. Commentarijs illustrauit doctissimis, Sermones plures in solennibus habitos scripsit.

IOANNES Fabri, Germanus, Episcopus Viennensis, fidei Christianæ defensor insignis, omnes sui temporis Pontifices literarum sacrarum scientia, eruditione & doctrina superãs, editis libris in sui temporis hæreses inuectus est. Pro imaginibus Sanctorum contra Lutherum volumen De Missæ rursus sacrificio librum absoluit. Propugnaculũ Ecclesiæ aduersus Lutherũ scripsit De fide & operibus. De inconstantia Lutheri Quare sectę Lutheri nõ adhęreat. De Zwinglij tyrãnide varioq; sacrilegio. De potestate Papæ cõtra Lutherũ & sacrosancta Eucharistia

libros reliquit. Aduersus Balthasarum Pacimontanum, postremò Anabaptistarum nostri seculi primum authorem Orthodoxæ fidei Catholicam defensionem composuit. De inuocatione & intercessione beatissimæ, perpetuæ ac immaculatæ virginis matris DEI, Angelorum, Euangelistarum, Apostolorum, Martyrum & aliorum electorum DEI contra Ioannem Oecolampadium scripsit.

Ante Annos 23. qui fuit CHRISTI 1542.

MATHIAS Aquensis, sacræ Theologiæ Licentiatus & Professor Gymnasij Montani in Agrippinatum vrbe Colonia, vir cùm profanarum tum sacrarum literarum peritissimus, præterea verò hæreticis refellendis exercitatissimus, contra Lutherum adsertionem Catholicæ religionis scripsit, demonstrans Orthodoxæ fidei regulam cum dilucida refutatione perniciosorum dogmatum huius calamitosissimæ tempestatis.

GREGORIVS Cortesius, Mutinensis, monachus congregationis Cassinensis, & Abbas S. Benedicti in Padulirone, Presbyter Cardinalis sancti Cyriaci in Thermis, eximius veræ pietatis propugnator; diuitijs, genere, gloria & sapientiæ studijs præclaram consecutus famam, aduersus authorē qui scripsit Petrum Apostolum non fuisse Romæ, volumen absoluit. Obijt Romæ xj. calend. Octobris Anno MDxlviij. sepultus ad SS. Apostolos.

Ante Annos 22. qui fuit CHRISTI 1543.

IOANNES Hasenbergius, Boëmus, regiorum liberorum Ferdinandi præceptor, elegantis copiosæq; elocutionis vir, multa copiosè & doctè contra Lutherum scripsit.

Ante Annos 21. qui fuit CHRISTI 1544.

BEATVS Theodoretus, monachus, sacræ paginæ Doctor, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, de quæstionibus scripturæ diuinæ ambiguis volumen scripsit.

Ante Annos 20. qui fuit CHRISTI 1545.

SEBA-

SEBASTIANVS ab Heusensteyn, Germanus, Hasso vtriusque Iuris Doctor, Sanctæ Moguntinæ Sedis Archipræsul, vir fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atq; sacris scripturis doctissimus, vt incremẽta sua Ecclesia caperet, Synodales cõstitutiones ex Iure & Patrum Decretis sumptas colligens, omni clero vt perfectius vitæ institutum assumeret scripto proposuit.

Ante Annos 19. qui fuit CHRISTI 1546.

BARTHOLOMÆVS Carrantza de Miranda, Hispanus, Ordinis Prędicatorum, Primas Hispaniæ, & Archiepiscopus Toletanus, Sacræ Theologiæ Professor, Legatus ad Cõcilium Tridentinũ, Regens in Collegio S. Gregorij in Valle Oletana, vnus omnium sapientissimus & eloquentissimus, vir bonus & grauis, tam secularibus quàm diuinis scripturis eruditus, tanta ingenij vbertate, tanta dicendi copia, tam diuino atq; incredibili orationis genere effulsit, vt miraculũ sui omnibus præberet. Cõtrouersiã de necessaria residentia Episcoporũ & aliorum inferiorũ pastorũ edidit explicatam Tridenti. Scripsit Summam omnium Conciliorum & Pontificum à S. Petro vsque ad Paulum iij. qua succinctè omnia ea complectitur quæ alibi sparsim tradita sunt.

Ante Annos 18. qui fuit CHRISTI 1547.

IOANNES Knipshouius, vir admiratione omnium dignissimus, CHRISTI amator & cultor insignis, cõtra Andream Osiandrum de iustificatione hominis Christianæ professioni patrocinatus est, vanã apostatæ linguæ loquacitatem nocentemq; mentis insaniam luculentis scriptis conuincens.

RVARDVS Tapperus Enchusianus, sacræ paginæ Doctor, Gymnasij Louaniensis Cancellarius, vir prophetico dono, Apostolica gratia illustris atque cõspicuus, Ecclesiam CHRISTI periclitantem fide & industria sua quoad fieri potuit sustentauit, Duos Tomos Louanienses quos vocant, in defensionem articulorum contra Lutherum scripsit. Obijt Bruxellæ in Brabantia, vocatus à Rege ad Concilium Anno CHRISTI MDlix. ætatis suæ lxxiiij. Sexto Non. Mart. Hora quinta ma-

tutina in ædibus D. Viglij Swichemi Phrisij: sepultus autem Louanij in æde D.P. ad thecam V.S. intra chorum.

PETRVS Sylvius, Ordinis Prædicatorum, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarũ & rerum peritissimus, pro fide nostra decertans, præclarum contra Lutherum edidit volumen.

NICOLAVS Villagagno, Gallus, eques Rhodius, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras Scripturas diligenter & fœliciter perceperat, acerrimè contra Caluinum & Philippum Melanchtonem depugnauit, in defensionem Sacramenti Eucharistiæ errorem q; eorundẽ & fraudem in publicum produxit.

IOANNES Mensingus, eximius veræ pietatis propugnator, qui diuitijs, genere, gloria & sapientiæ studio præclaram consecutus famam, pro nostra religione decertans, in defensionem impolluti vitalisq; Missæ Sacrificij, præclarum contra Lutherum volumen edidit.

IOANNES Gagneius, sacræ Theologiæ Doctor, vir & moribus & doctrina clarus, Philosophus & Orator insignis, Theologus sacrarũ legum exercitatissimus, Sacra quatuor CHRISTI Euangelia, & Acta Apostolorum Commentarijs illustrauit doctissimis, ex Græcis Latinisq; commentatoribus selectissima quæq; colligens. Psalmos Dauidis lxxv. in Lyricos versus seruata ecclesiasticæ versionis veritate redegit. Edidit hendecasyllabon de sacro CHRISTI corpore in Eucharistia. Præterea ex Diuionensi bibliotheca Alcimum Auitum, et ex Barbarensi Cl. Marium victorem poëtas Christianos edidit. Primasium in omnes Pauli Epistolas edidit, & eundem in gratiam Regis Francisci in linguam Gallicam transtulit.

IOANNES Chrysostomus, cognomento Hirsbegkius, Abbas Schyrensis in Bauaris, vir literis & virtute clarissimus, Philosophus insignis, Theologus profundus, contra abusum scripturæ diuinæ axiomata composuit.

EVSTACHIVS Zicherius, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atq; sublimis, fidei propagator acerrimus, mirè hæreseôn impias

pias ac portentosas opiniones, Lutheri præcipuè, in defensionem Sacramentorum retexit & confutauit, multa variaq; memoriæ digna relinquens monimenta.

IVLIVS Pfluog, Naumburgensis Episcopus, nõ obscura familia natus, & sacrarum literarum studijs doctus, Philosophus grauis, Orator facundus, Catholicæ religionis contra hæreses propugnator inuictus, Lutheri opiniones redarguit & sapientissimus aduersus easdem doctè scripsit. De institutione porrò Christiani hominis volumen absoluit.

AMBROSIVS Catharinus Politus, Ordinis Prædicatorum, Legatus ad Concilium Tridentinum, ex Episcopo Minoriensi Archiepiscopus Vpsalensis, vir certè vndecunque doctissimus, & diuinarum scripturarum nobilissimus interpres, aduersus hæreticorũ phalanges fortiter rem gessit, & contra Lutheri prædonum more structas insidias constanter decertauit, ac præ cæteris maximè imposturas eius & deprehendit & redarguit, luculentos quinque aduersus eundem libros conscribens. De residentia porrò Episcoporum & correctione Anni. De prædestinatione. Considerationum quoque libros quatuor absoluit. Pauli postremò Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis.

FRANCISCVS Malet, sacræ paginæ Doctor, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præstantissimus. Philosophus grauis, Orator facũdus, Ioannis Euangelium Commentarijs illustrauit doctissimis.

ANDREAS Vega Hispanus, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus profundus, de iustificatione volumen & doctum & prolixum scripsit.

IACOBVS Haryson, natione Scotus, vir grauis & ornatus moribus, Philosophus cùm in disputationibus tum in argumentorum & demonstrationum probationibus argutus atque subtilis, omni doctrina consumatissimus, scripsit de amplectenda in Christiana religione concordia librum, ad Eduardum Ducem Somersetensem, supremum Anglorum Regis protectorem.

Ante Annos 17. qui fuit CHRISTI 1548.

AVGVSTINVS Marius, vir disertissimus, nõ minus vita quàm eloquentia insignis, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilissimus, de prædestinatione volumen scripsit.

ADAMVS Vvernherus de Themar, Germanus, Iuris Cæsarei Doctor, Bauariæ Ducum Præceptor Haidelbergæ, sacræ Imperialis Cameræ Procurator & Aduocatus Spiræ, Philosophus, Rhetor atq; Historicus celebris, Poëta grauis & ingeniosus, laudes S. Annæ matris MARIÆ virginis insigni volumine complexus est.

THOMAS Radinus, Todiscus, Italus, Placentinus, sacræ Theologiæ Doctor, vir cùm profanarum tum sacrarum literarum peritissimus, præterea verò hæreticis refellendis exercitatissimus, aduersus Lutherum orationem ad Principes & populos Germaniæ scripsit, fabulosas eius doctrinas & opiniones satis refellens. Edidit & in Philippum Melanchthonem Cõmentariolum.

FRANCISCVS Vatablus, Regius Hebraicę linguæ Professor Lutetiæ Parisiorum, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator facundus, Poëta grauis, Philosophus insignis, sacrarumq; literarũ scientia nemini secundus, Pentateuchũ Moysis Commentarijs illustrauit doctissimis, aliaq; plura ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

HECQVETIVS Atrebatinus, sacræ paginæ Doctor, Ordinis fratrum B. MARIÆ semper virginis de monte Carmeli, vir suæ ætatis doctissimus, sacrarum legum interpres nobilissimus. Scænam rerum multarum inuersarum contra Lutherum scripsit.

CONRADVS Brunus, Iureconsultus, vir arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, fidei propagator acerrimus, mirè sui temporis hæreseon impias ac portentosas opiniones, Lutheri præcipuè retexit

texit & confutauit, Extant eius contra hæreses libri sex. De imaginibus. De cæremonijs Ecclesiasticis. De seditionibus De calumnijs & vniuersali Concilio Commentarij.Contra præfationem postremò Historiæ centuriarum hæreticorum liber.

MARTINVS Cromerus, Legatus Regis Poloniæ, vir disertißimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide nobilißimus, contra nostri temporis hæreses volumen prudenter & doctè composuit. De falsa & vera religione Commentarios scripsit.

CATHARINA Anglorum Regina, Henrici viij. vxor primùm, deinde D. Thomæ Seymour auunculi Regis Eduardi sexti coniunx, omnium bonarum artium peritißima, adeò profecit in Sacris literis, vt & meditationum in Psalmos librum, & de lamentatione peccatoris volumen conscriberet.

ARNOLDVS Vesaliensis, vir omni literatura doctißimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatißimus, atq; sacris scripturis absolutißimus, Exegesin Decalogi scripsit. De veneratione Sanctorum & modo confitendi Commentarios absoluit.

BARTHOLOMÆVS Latomus Arlunensis, Regius Professor Lutetiæ, Legum Doctor, Sacræ Imperialis Cameræ Assessor Spiræ, vir vndecunque doctißimus, Orator facundus, Philosophus grauis, veræ pietatis propugnator inuictus, De Ecclesiæ & Episcoporum communione, authoritate atque potestate contra Bucerum scripsit. Refutationē rursus calumniarum Buceri composuit.

HELMESIVS, vir tum sacrarum tum profanarum literarum peritißimus, De verbo DEI volumen & doctum & prolixum scripsit. Sermones in honorem Sanctorum & Solennibus habitos plures posteritatis memoriæ consecrauit.

LANCELOTVS Rydley, Canthuariensis, vir omni literatura doctißimus, adeoq; subtilißimus rerum diuinarū interpres, Philosophus grauis, Orator facundus, Expositiones in Iosue, in Paulum ad Ephesios, ad Philippenses, & Colossenses scripsit Posteriores rursus Ioannis Epistolas, & Canonicam Iudæ Commentarijs illustrauit doctißimis.

IOANNES Bernardus Fœlicianus, Venetus, elegantis copiosæq; elocutionis vir, sacrarum literarũ studijs doctus & inprimis eruditus, Græcæ & Latinæ linguarum peritus, Cathenam illam auream (vt vocant) siue Oecumenij interpretationem Græcam in Acta Apostolorum & Epistolas Catholicas perfecit.

Ante Annos 16. qui fuit CHRISTI 1549.

IOANNES Lamptenus Rhenanus, elegantis copiosæq; elocutionis vir, Philosophus insignis, Theologus profundus, multarumque literarum & rerum peritissimus, librum Georgij Vvicelij de Sacrosanctissima Eucharistia Ecclesiæ IESV CHRISTI ex Germanico sermone in Latinum transtulit.

MARTINVS Duncanus Kempensis, Guormarianę Ecclesiæ in Holandia Pastor, vir ingeniosus, grauis & ornatus moribus, Christianæ religionis obseruantissimus, Orator facundus, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, scripsit confutationē Anabaptisticæ hæreseos, & veri Christiani Baptismi, ac potissimum pædobaptismatis assertionem, contra Memnonis Simonis virulentas blasphemias.

ADAMVS Sasbaut, Ordinis Minorum, sacræ paginæ Doctor atque Professor Gymnasij Louaniensis, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator atque Theologus suæ ætatis celeberrimus, Homilias plures ad diuersos scripsit. Pauli Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis.

IOANNES Fabri Heylbronnensis, Sueuus, sacræ paginæ Doctor, vir cùm profanarum tum sacrarum literarũ peritissimus, prǽterea verò hæreticis refellendis exercitatissimus, de fructibus quibus dignoscuntur hæretici, deq; eorum nominibus ex Philastrio, Epiphanio, Augustino, Eusebio, & quibus armis vincendi scripsit. Quòd fides esse possit sine charitate docto volumine proposuit. Piarum meditationum Commentariolum absoluit. Sermones plures in Cathedrali Augustana basilica ad populum habitos posteritatis memoriæ consecrauit.

IOAN-

IOANNES Ferus, Ordinis Minorum, sacræ Theologiæ Doctor, vir vndecunque doctissimus, Orator facundus, Philosophus grauis, veræ pietatis propugnator inuictus, Ecclesiasticum Salomonis, Euangelia Sanctorum Matthæi atque Ioannis, & Pauli Epistolam ad Romanos Commentarijs illustrauit doctissimis. Lucubrationes porrò in primam Epistolam Ioannis, in librum Esther, & lxvj. Psalmum edidit. Examen ordinandorum proposuit. Precationum libellum absoluit. Iudicium postremò de articulis fidei Cæsareæ Maiestatis Augustæ Anno MDxxx. habitum posteritati reliquit. Sermones elegantes atque doctissimos scripsit.

IOANNES Cochleus Norinbergensis, Germanus, sacræ paginæ Doctor, apud Diuam virginem Francofordiæ Decanus, vnus omnium sapientissimus & eloquentissimus, vir bonus & grauis, tam secularibus quàm diuinis scripturis eruditus, tanta ingenij vbertate, tanta dicendi copia, tam diuino atq; incredibili orationis genere effulsit, vt miraculum sui omnibus præberet, De canonicæ scripturæ, & Catholicæ Ecclesiæ authoritate contra Bullingerum volumen scripsit. Sacerdotij ac Sacrificij nouæ legis defensionem aduersus Vuolfgangi Musculi Augustæ concionantis arrosiones composuit: multa in hoc libello adfert de Eucharistia & Missa contra Zwinglianos. Extant eius quoque libri de animarum purgatorio. Aduersus locos communes Melanchtonis. De potestate generalis Concilij. Contra Lutherum de gratia Sacramentorum. De Petro & Roma contra Velenum. Contra Epistolam Pomerani ad Anglos scriptam. Ad Bernenses contra disputationem ne fieret. Apologetici pro Duce Georgio ad Electorem Saxoniæ. Assertionum contra mendacia Lutheri pro Duce Georgio. De missa & transsubstantiatione contra Chronica Franci. De Missa & consecratione Sacerdotum contra Itherū. De xxj. Articulis Anabaptistarū. Ad Iustum Ionā de missa cōtra Lutherū. Ad regē Scotiæ cōtra Alesiū & Melanchtonem. De Authoritate conciliorū. Contra Catechismū Moibani. Cōtra Araneas Morysini Angli. Cōtra Ioannem Sturmiū de cōsilio Cardinaliū delectorū. De matrimonio Regis Angliæ. Defensionū Roffensis Episcopi & Mori. De vera Ecclesia. De ordinatione

 Episco-

Episcoporum & Presbyterorum &de Eucharistiæ consecratione. De inuocatione Sanctorum eorumq; intercessione, & de reliquijs imaginibusque eorundem, contra Bullingerum. De modo & vsu orandi antiquo. De veneratione reliquiarum contra Caluinũ, & alij plures qui diuinum eius ingeniũ manifestè declarant. Obijt Viennæ in Austria Anno MDlij.

ALBERTVS Pighius Campensis, sacræ Theologiæ Doctor, Præpositus Germaniæ inferioris, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, qui sacras scripturas diligenter & fœliciter perceperat, acerrimè in Missæ defensionem contra Lutherũ depugnauit, errorem q; eius & fraudem in publicum produxit. Assertionem præterea Ecclesiasticæ hierarchiæ scripsit. De libero arbitrio contra Caluinum. De controuersijs in Comitijs Ratisbonensibus & componendis dissidijs Cōmentarios absoluit.

ALEXANDER Campegius, ciuis & Episcopus Bononiensis, Presbyter Cardinalis S. Luciæ in Silice, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Philosophus subtilis, Theologus sacrarum literarũ scientia nemini secundus, De authoritate Romani Pontificis volumen. Aliud de Concilijs scripsit. Obijt Romæ xij. Cal. Octobris Anni MDliiij. sepultus ad S. MARIAM trans Tyberim.

VVOLFGANGVS Sedelius, Concionator Ducalis Monacensis, vir suæ ætatis doctissimus, sacrarum legum interpres nobilissimus, De templo Salomonis mystico volumen. Aliud de studio Theologiæ scripsit. Examen rursus ordinandorum absoluit.

Ante Annos 16. qui fuit CHRISTI 1549.

ANTHONIVS Monchiaceni, Gallus, fidei Christianæ defensor insignis, Philosophus grauis, Orator facundus, nec vlli Theologorum suæ ætatis secundus, in defensionem Sacrificij Missæ aduersus Misoliturgorum blasphemias ac nouorum huius temporis sectariorum Caluini & suorum opiniones volumen scripsit.

ROBER-

ROBERTVS Senalis, Gallus, patria Parisiensis Episcopus Abrincensis, sacræ Theologiæ Doctor, vir omni genere sapientiæ clarus, multa in sui temporis hæreses scripsit, sed illa potissimum extant, quæ de cœna Domini aduersus Martinum Bucerum. De sacro cœlibatu tuendo. De vsu vtriusque gladij spiritualis videlicet & temporalis, atque contra Interim Cæsareum composuit.

· IOANNES Hofmeisterus, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, cùm sacras atque profanas literas summè didicerat, Canones siue claues ad interpretandum sacras scripturas proposuit. Euangelia SS. Marci & Lucæ Commentarijs illustrauit doctissimis. Locos communes rerum Theologicarum quæ hodie in controuersia agitantur ad regulam & consensum veræ Catholicæque Ecclesiæ composuit. Sermones plures cùm elegantes tum doctos scripsit. Iudicium de articulis fidei Cæsareæ Maiestatis Augustæ Anni MDxxx. posteritatis memoriæ consecrauit.

ANTONIVS Cope, vir equestris, eruditione & eloquentia clarus, Philosophus atque Orator perfectissimus, nec vlli Theologorum secundus, ad Angliæ Reginam Catharinam elucidationes in viginti Psalmos Dauidicos Britannicè scripsit.

Ante Annos 15. *qui fuit* CHRISTI 1550.

ALOISIVS Lippomannus, ex Methonensi Veronēsis Episcopus, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis absolutissimus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide inuictus, Catenam in Exodum & Genesim ex authoribus Ecclesiasticis plus minus sexaginta, ijsque partim Latinis partim Græcis conscripsit Vitas rursus Sanctorum libris octo complexus est.

MARTINVS Peresius, alijs à Yala, Episcopus Goadixensis, Hispanus, veræ pietatis propugnator inuictus. Orator facundus, Philosophus grauis, Theologus sacrarum legū exercita-

ercitatissimus, De diuinis, Apostolicis atq; Ecclesiasticis traditionibus volumen scripsit.

MATTHÆVS Galenus Vestcappellius, sacræ paginæ Doctor Louaniensis, primò Dilingensis, pôst Duacensis, quam nuper erexit Rex Hispaniarũ, Professor Academiæ, vir eruditione & eloquentia clarus, Poëta atque Orator perfectus, inter cætera ingenij sui monimenta de monasticis originibus volumen. Aliud de Sacerdotio Catholico scripsit. Hildeuinum quoq; primus historicum prælo diuulgari curauit.

IOANNES Viguerius, Granatensis, Ordinis Prædicatorum apud Tholosam, sacræ Theologiæ Doctor atque Professor, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus grauis, Orator verò omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, Theologiæ Summam conscripsit. Institutiones Christianæ Theosophiæ proposuit. Pauli Epistolas omnes Commentarijs illustrauit doctissimis.

IOANNES Langus, Silesius, Consiliarius Regius, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus celebris, Orator facundus, Nicephori Callisti Xantopuli Ecclesiasticæ historiæ libros xviij. è Græco in Latinum sermonem transtulit. Gregorij quoq; Nazanzeni Sententiarum libros tres è Græco in Latinum vertit.

IOANNES Minturnus, elegantis copiosæq́ elocutionis vir, sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, De Ecclesiæ officio præclarum volumen absoluit.

ALPHONSVS de Herrera, Ordinis Prædicatorum, Caroli v. Cæsaris concionator, vir arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, fidei propagator acerrimus, Philosophus celeberrimus, dicendi artifex & Orator facundus, Catholicæ religionis contra hæreses propugnator inuictus, aduersus Lutherum per bona opera & virtutem Christianum quemq; apud DEVM promouere doctissimè scripsit.

IOANNES Bunderius, Gandensis, Ordinis Prædicatorum, hæreticæ prauitatis inquisitor, Philosophus insignis,

gnis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritissimus, Compendium concertationis huius seculi sapientum ac Theologorum per Dialogi modum proposuit.

Ante Annos 14. qui fuit CHRISTI 1551.

FRANCISCVS Horantius, Hispanus, Ordinis Minorum, sacræ paginæ Doctor, Orator Philippi Regis Hispaniæ in Concilio Tridentino, vir cùm profanarum tum sacrarũ literarum peritissimus, prǽterea verò hæreticis refellendis exercitatissimus, contra Caluinum locorum Catholicorum sacræ scripturæ volumen & prudenter & doctè perfecit.

LEVINVS Brechtus, Ordinis Minorum Conuentus Louaniensis, vir & moribus & doctrina clarus, Philosophus & Orator insignis, Historicus celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, illustrium aliquot Martyrum historias doctis Commentarijs absoluit.

ALBERTVS Nouocampianus, vir sacrarum literarum studijs doctus & inprimis eruditus, ingenio clarus ac disertus eloquio, princeps suæ ætatis Philosophorum, Apologiam pro fide Catholica. Orationem similiter de corruptissimis seculi huius moribus varijsq; atq; turbulentis in religione Christiana doctrinis scripsit. Scopum Biblicum veteris & noui Testamenti cum expositionibus summam doctrinæ Christianæ complectentibus proposuit.

FRIDERICVS Nausea, Blancicampianus, Episcopus Vienensis, Iureconsultus & sacræ Theologiæ Doctor, Apostolicæ vitæ vir, arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, fidei propagator acerrimus, impias ac portentosas hæresium opiniones, & Lutheri præcipuè retexit atque confutauit, multa variaque memoriæ digna relinquens monumenta. Extant eius in præcellentem Christianæ religionis Christianæque sacerdotij dignitatem libri. Alij rursus pro ineunda in Christiana religione Concordia. De Sacramento Eucharistiæ. Decisionum & declarationum in xij. articulos fidei. De rebus gestis & Sanctorum martyrio. De diuinis in Ecclesia officijs. Censurarum vnà cum solutione trium quæstio-

quæstionum contra Zwinglium. Metaphraseon in Euangelium Matthæi. In fidei xij. articulos contra fidei aduersarios. Miscellaneorum pro horis Canonicis. Miscellaneorum pro Missa & eius officio. De coniugio Sacerdotum & votis monasticis. De primitijs Sacerdotalibus. Panegyrici in MARIAM virginem. Enarrationem in Tobiam. Heptalogorum in ferias vij MARIÆ virginis. In Euangelia Dominicalia per totum annum. Christianorum precationum. Homiliaticarum Apologiarum pro salutatione angelica. Super eo quod CHRISTVS ait, Reddite Cæsari quæ Cæsaris sunt. In Psalmos xix. Dauidis. In Euangelia de tēpore & Sanctis. In lxxviij Psalmos. De Christiano matrimonio. In orationem Dominicam: Catechismi Catholici Enarrationum in Decalogum. De reconciliandis in religione dissensionibus. De consummatione seculi. In illud, Beati qui lugent. De Antichristo. De Methodi ratione concionandi. Enarrationum in librum Iudith. De nouissimo die. De noua Hierusalem. De concilio Tridentino. De mirabilibus. De officijs mysticis. Contra vniuersos fidei Christianæ aduersarios, & plures alij quæ eximij eius & planè diuini ingenij magno sunt documento.

Ante Annos 13. *qui fuit* CHRISTI 1552.

PETRVS Alites Carnutensis, Montanus primarius, vir & moribus & doctrina spectatus, Philosophus clarus, Rhetor insignis, Poëta grauis, nec vlli Theologorum secundus, De vtroque IESV CHRISTI aduentu, summoque & generali iudicio, de prodigijs signisque ipsum præcedentibus, de mortuorum resuscitatione, de pœnis inferni, & gloria Paradysi: adiectis CHRISTI, Prophetarum, & Sibyllarum præconijs, carmine & prosa conscripsit Commentarios.

PETRVS à Soto, vir singularis literaturæ & eloquentiæ, fidei Christianæ defensor insignis, omnes sui temporis Magistros literarum sacrarum scientia, eruditione & doctrina superans, editis libris Catholicæ assertionem religionis, Sacerdotū rursus institutiones conscripsit. Moritur in Concilio Tridentino.

IOANNES Baptista Folengus, vir vndecunq; doctissimus, vitæ & morum conuersatione clarus, Philosophus

insignis, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, Psalterium Dauidis Commentarijs illustrauit doctissimis. Epistolam rursus D. Ioannis Canonicam exposuit.

Ante Annos 12. qui fuit CHRISTI 1553.

IOANNES Schlotanus, Gessensis, Ordinis Prædicatorum, vir legum & institutionum Romanarum peritissimus, scriptorum nobilissimus. Christiano planè animo pro fide nostra decertauit, & aduersus hæreses depugnauit: Scripsit enim de retinenda fide Orthodoxa & Catholica contra sectas & præcipuè Lutheranam. De baptismo. De ieiunio. Sermones rursus elegantes atq; doctissimos posteritatis memoriæ consecrauit.

Ante Annos 11. qui fuit CHRISTI 1554.

DOMINICVS à Soto, Segobiensis, Ordinis Prædicatorum, vir omni literatura doctissimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatissimus, atque sacris scripturis absolutissimus, Pauli Epistolas omnes exposuit. De natura & gratia libros tres absoluit.

IOANNES à Bononia, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia spectatus, veterum lectione diues, ingenio subtilis, & clarus eloquio, Orator facundus, Philosophus grauis, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, de æterna DEI prædestinatione volumen scripsit.

Ante Annos 10. qui fuit CHRISTI 1555.

CASALIVS, Portugaliæ Antistes, Legatus ad Tridentinum Concilium, vir omni genere doctrinarum & sapientiæ clarus, Lutheri assimulatam ac dæmoniacam opinionem scripto refutauit, authores dissectionis accuratè recensens. Feruntur præterea varij eius libri de iustificatione, de sacrificio Missæ atque communione.

IOANNES Gropperus, Germanus, Legum Doctor, ad S. Gereonem Scholasticus, insignis Collegij Bonnensis Præpositus, Coloniensis Ecclesiæ Archidiaconus, Presbyter Cardinalis S. Luciæ in Silice, vir tum profanarum tum sacra-

rum literarum peritiſsimus, præterea verò hæreticis refellendis exercitatiſsimus. De Euchariſtiæ Sacramento doctum atque prolixum volumen ſcripſit. Concilium Prouinciale Colonienſe in publicum produxit. Moritur xiiij. die Martij Anno MDlix. Romæ honorificè ſepultus.

Ante Annos 9. qui fuit CHRISTI 1556.

MELCHIOR Canus, ſacræ Theologiæ & Canonum Doctor, atque Profeſſor primariæ Cathedræ in Academia Salmanticenſi, olim præfectus, Franciſci à Victoria diſcipulus, Epiſcopus Canarenſis in inſulis fortunatis, Ordinis Prædicatorum, veræ pietatis propugnator inuictus, cùm alijs rebus vir bonus, tum quoduis adire diſcrimen propter DEVM promptus & paratus, locorum Theologicorum libros xij. cùm doctè tum prudenter compoſuit.

IACOBVS Noguera, Hiſpanus, ſacræ paginæ Doctor, Decanus Vienenſis in Auſtria, pòſt Epiſcopus factus Italiæ, inſigni ſpectataque virtute præditus vir, Hiſtoricus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritiſsimus, De CHRISTI Eccleſia Commentarios abſoluit.

Ante Annos 8. qui fuit CHRISTI 1557.

MICHAEL Sidonius, Epiſcopus Merſeburgenſis, ſacri Imperialis Conſiſtorij apud Nemetum Auguſtam Spiram Præſes, Princeps ingenioſus, grauis & ornatus moribus, literarum cultor eximius, Philoſophus inſignis, Hiſtoricus celeberrimus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Conciones de ſacrificio Miſſæ habitas ſcripſit. Catechiſmum Catholicum. Canonis porrò Miſſæ paraphraſticam expoſitionem cum declaratione cæremoniarum & breui ad populum exhortatione compoſuit.

IOANNES Caſparus Rutlandus Brettanus, Philoſophus grauis, Hiſtoricus prudens, atque ſuæ ætatis nobiliſſimus rerum diuinarum interpres, ſtudiorum & obſeruator & cultor inſignis, Locos communes Theologicos prudenter & doctè conſcripſit.

IOAN

IOANNES Olaus Magnus, Gothus, Archiepiscopus Vpsalensis, vir Reipub. consultissimus, Theologorum suæ ætatis princeps, constans & incomparabilis doctrinæ vir, prophetico dono Apostolicaque gratia illustris, Gothorum Sueonumque historiam ex probatis antiquorum monimentis collectam xxiiij. libris deduxit. Extat eius quoque de Suetiæ Præsulibus liber.

CHILIANVS Leib, ex Ostrofrancorum oppidulo Ochssenfurt natus, Rebdorphensis Canonicorum Regularium S. Augustini prope Aichstadium post ipsam arcem Episcopalem in amœnissima valle ad Almonũ fluuium Præpositus, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus multarumq; literarum & rerum peritissimus, nec vlli Theologorum secundus, De sacræ scripturæ dissonis translationibus volumen composuit.

Ante Annos 7. qui fuit CHRISTI 1558.

IOANNES Carolus Bouius, Episcopus Ostudensis, vir disertissimus, non minus vita quàm eloquentia insignis, Constitutiones Apostolicas B. Clementis Romani Pontificis libros viij. in vulgus produxit, ad Orthodoxam fidem astruendam.

ONVPHRIVS Panuinius Veronensis, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, Philosophus, Rhetor atque Historicus celebris, nec vlli Theologorum secundus, Romanos Pontifices & Cardinales S.R.E. à B. Petro vsq; ad Paulum iiij. & Annum CHRISTI MDlvij. deduxit.

CVTHBERTVS Tonstallus, Anglus, Dunelmensis Antistes, Philosophus insignis, Theologus celeberrimus, multarumque literarum & rerum peritissimus, cùm sacras atque profanas literas summè didicerat, linguam habens vsu loquendi & maiorum lectione politam, De veritate corporis & sanguinis Domini nostri IESV CHRISTI in Eucharistia volumen scripsit.

Ante Annos 6. qui fuit CHRISTI 1559.

MATHIAS Zithardus, Ferdinandi Cæsaris Concionator aulicus, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarum legum exercitatissimus, Piarum precationum Commentariolum absoluit. Homilias plures ad diuersos scripsit.

PHILIPPVS Iacobus Vvidmanstadius, Academicus Vienensis, elegantis copiosæque elocutionis vir, de Societatis IESV initijs, progressu rebusq; gestis nonnullis volumen prudenter & doctè composuit.

Ante Annos 5. qui fuit CHRISTI 1560.

IACOBVS Eysengrein Stutgardianus, ex Ducatu Vvirtenbergesi, Sueuus, parens meus inprimis colendus, à Secretis Ferdinando I. Romanorum Regi, pôst Iudicij Cameræ Imperialis Lector, Philosophus, Orator, Poëta & Iureconsultus, trium principalium linguarum dum per ætatem liceret haud mediocriter peritus, nec Italicæ ignarus, Psalmos aliquot Dauidicos ex Hebræo in Latinum transtulit eloquium. Hodæporicon fratris Fœlicis Fabri Vlmensis multis vigilijs, maximis laboribus describens, Guilielmo Vvernhero Baroni de Zimmern, iam mendis purgatum & eliminatum præfixa præliminari Epistola Pentametro versu dicauit. Precationes postremò & Gratiarum actiones quædam, ex medio Græcorum Horologio iuxta morem & ritum sanctæ Romanæ & Catholicæ Ecclesiæ dicendas, pro sua & filiorum suorum omnium humilima obseruátissimaq; deuotione collegit.

IOANNES de Polanco, sacræ paginæ Doctor, Societatis IESV, doctrina & eloquentia vir clarus, Orator facundus, Philosophus grauis, sacrarumq; literarum scientia nemini secundus, Confessionis Methodum absoluit. Duodecim rursus Articulorum fidei expositionem scripsit.

STORAIVS, sacræ Theologiæ Magister, inferioris Germaniæ hæreticæ prauitatis inquisitor, vir doctissimus, & omni literatura consumatissimus, pietate, religione atq; dignitate maximè illustris, De Decalogo & Apostolico Symbolo volumina confecit.

LAVRENTIVS à villa Vincentio, Xerezanus, sacræ paginæ Doctor, Ordinis fratrum Eremitarum S. Augustini, vir cùm confessionis gloria tum vita & côuersatione plurimû insignis, Philosophus clarus, Historicus celeberrimus, multarumq́ue literarum & rerum peritissimus, De rectè formando Theologiæ studio libros quatuor. Alios item tres de formandis sacris concionibus seu de interpretatione scripturarum populari composuit.

GVILIELMVS Lindanus, Dordracensis, sacræ paginæ Doctor, Regius Consiliarius, Philippi Traiectensium Præsulis & archidiaconorum per Frisiam Vicarius, Palatijq́; Hagensis Decanus, Flandriæ Antistes, vir doctrina, moribus, pietate, religione atque dignitate maximè illustris, Philosophus, Rhetor atque Historicus, Panoplia Euangelica scripsit. De Eucharistiæ Sacramento volumen edidit.

Ante Annos 4. qui fuit CHRISTI 1561.

GEORGIVS Vvicelius, Germanus, vir sapiens & clarus, ingenio subtilis, eloquio grauis & acer, in omnibus iuxtà disciplinis singulariter doctus, aduersus hæreticorum phalanges fortiter rem gessit, & côtra Lutheri prædonum more structas insidias constanter decertauit. Extant eius libri pro defensione bonorum operum. De vera iustificatione. De Ecclesia Sanctorû. De Arbore bonæ, Antichristo, intercessione diuorum & ieiunio. De die mortis Dominicæ. De Ecclesia Christianorum contra Iustum Ionam. Expositionum vij. Psalmorum. De Eucharistia iuxta sensum scripturæ ac Sanctorum Patrum. De bonorum operum ad iustitiam simul ac salutem æternam necessitate. Catechismi Ecclesiæ. De Concilio. De oratione, ieiunio & eleemosyna. De pœnitentia, confessione & potestate clauium. De Euangelio Martini Lutheri & eius Ecclesia. De vera Iustificatione Christianorum. Vita & syncero DEI verbo. De pastoribus veris. Actorum Eislebensium. De remissione peccatorum Enarrationum Euangeliorum & Epistolarum Dominicalium. Enarrationum Canticorum MARIÆ virginis & Zachariæ Sacerdotis ac Symeonis iusti cum tribus Psalmis Dauidicis. Responsionum ad Articulos

Lutheri de Concilio. De religionis dissidio. Quæstionum Catechisticarum. Typi Ecclesiæ prioris. Hagiologij seu de Sanctis Ecclesiæ. Catechistici examinis. Pædagogiæ Christianæ. Precationum. Enarrationum in Haggæum Prophetam. Et plures alij quę eximij eius studij satis magno sunt documento.

Ante Annos 3. qui fuit CHRISTI 1562.

VILLAL Pandeus, Hispanus, Theologus Pontificius, Philosophus grauis, Orator facundus, atque suæ ætatis nobilissimus rerum diuinarum interpres, studiorum & obseruator & cultor insignis, contra xxxiiij. Protestantes librum. Aduersus Fabricium Montanum rursus pro Concilio Tridentino volumen edidit.

Ante Annos 2. qui fuit CHRISTI 1563.

DIEGHVS Payua Andradius, Lusitanus, Portugalensis, Societatis IESV, fidei Christianæ defensor insignis, omnes sui temporis Magistros literarum sacrarum scientia, eruditione & doctrina superans, Orthodoxarum explicationum libros decem scripsit, in quibus omnia ferè de religione capita, quæ his temporibus ab hæreticis in controuersiam vocantur, apertè & dilucidè explicantur, præsertim contra Martini Kemnicij petulantem audaciam, qui Coloniensem censuram, quam à viris Societatis IESV compositam esse ait, vnà cum eiusdem sanctissimæ societatis vitæ ratione, temerè calumniandam suscepit.

Ante Annum qui fuit CHRISTI 1564.

FRIDERICVS Staphylus, Osnaburgensis, Vvestphalus, Cõsiliarius Ducis Prussiæ, sacræ Theologiæ Doctor, Ferdinando j. Imperatori & Alberto Bauariæ Duci à Consilijs, Scholę Ingolstadiensis Superintendens, Philosophus acutissimus, Theologus subtilissimus, Iureconsultus celebris, Dialecticus acutus, magnus Orator, excellens Mathematicus, trium linguarum peritissimus, mendacij osor, veritatis propugnator acerrimus, editis libris fortiter aduersariorũ phalanges contriuit. Graphicè suis coloribus admirabilem illam dogmatum ac sententiarum cõfusionem

fionem depinxit, quæ in dies ac in horas quodammodo apud illos mutatur, totiq; mundo sectas tam dissectas proposuit legendas, vt nisi quis extrema mentis cæcitate sit percussus, Babylonicæ turris ædificatores agnoscere facilè queat, atque adeò perfectam Lutheranę Theologiæ in tria membra distinctæ Epitomen descripsit. Contra Iacobum Andream præterea Prodromum, mox Hysterodromum composuit. Postremò valedicentis instar Germanicum amanuensi, Prockelio libellum dictat, cuius titulum esse voluit, De vltima defectione &c. In quo omnes Catholicæ professionis homines sedulò adhortatur, quatenus à vera & Orthodoxa nostra religione ne latum quidē vnguem discedant, Lutheriq; illius archinebulonis & aliorum eiusdem farinæ hæreticorum dogmata cane peius & angue detestentur. Miro insuper artificio ostendit, Catholicos nō à Lutherana, sed Lutheranos à Catholica religione defecisse, sicq; non immeritò appellari posse Antichristi pcursores. Obijt Ingolstadij v. Martij Anno CHRISTI MDlxiiij. Ætatis suæ lj. M. vj. D. ix. in Monasterio Franciscanorū sepultus.

Hoc Anno, qui est CHRISTI 1565.

IOANNES Leisentritius, Budissinensis Ecclesiæ Decanus, insigni spectataq; virtute præditus vir, princeps suæ ætatis Philosophorum, sacrarum literarum Doctor subtilissimus, preces ante & post Missæ celebrationem dicendas ex Sanctis & probatis Catholicæ Ecclesiæ patribus deprompsit.

MICHAEL Baius, sacrarum literarum in Academia Louaniensi Professor Regius, Philosophus cùm in disputationibus tum in argumentorum & demonstrationum probationibus argutus atque subtilis, omni doctrina cōsumatissimus, De meritis operum libros. Alios de prima hominis iustitia, & virtutibus impiorum scripsit. De Sacramentis contra Caluinum volumen absoluit. De verbis rursus sine quibus non perficitur Sacramentum Baptismi Commentarium edidit.

IONNES Holthusius Kempensis, Augustæ Vindelicorum ad D. MARIAM virginem Ludirector, &
Ordinan-

Ordinandorum examinator, Artium & Philoſophiæ Magiſter, vir diſertiſsimus, moribus & doctrina inſignis, nec minus vita quàm conuerſatione præclarus, Modum examinandi Sacrorum Ordinum Candidatos iuxta Auguſtanæ Eccleſiæ morem conſcripſit, & inſtar Catechiſmi per Quæſtiones & pias Catholicasq; reſponſiones ſuccincta breuitate digeſsit.

OSVALDVS Fiſcherus Arenſpergenſis, Bauarus, ſacrarum literarũ Profeſſor, Epiſcopus Darienſis, & Mauritij Friſingenſis Epiſcopi in Pontificalibus Vicarius, vir omni literatura doctiſsimus, fide Catholicus, in lege DEI exercitatiſsimus, atque Sacris ſcripturis abſolutiſsimus, Orator grauis & facundus, De vera ſtudendi ſacræ Theologiæ ratione libros tres abſoluit. Septem Pſalmos Pœnitentiales Commentarijs illuſtrauit doctiſsimis.

IOANNES Garetius, Ordinis fratrum Eremitarum S. Auguſtini, Canonicus apud Martinianos Louanij, & à confeſsionibus virginibus Sacris in Mishaga prope Antuerpiam, vir arcana & myſtica diuinarum Scripturarum interpretatione altus atque ſublimis, fidei propagator acerrimus, Philoſophus celeberrimus, dicendi artifex & Orator facundus, De veritate corporis CHRISTI contra hæreticos volumen abſoluit. Sacrificij Miſſę & Cęremoniarum eius ex Sanctis Patribus aſſertionem ſcripſit.

MICHAEL de Medina, Hiſpanus, Ordinis minorum, ſacræ Theologiæ Doctor Toletanus, Legatus ad Concilium Tridentinum, vir omni literatura doctiſsimus, adeoq; ſubtiliſsimus rerum diuinarum interpres, Philoſophus grauis, Orator facundus, De recta in DEVM fide volumen. Aliud de indulgentijs ſcripſit.

PETRVS Caniſius, ſacræ paginæ Doctor, Societatis IESV, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mirabili ingenij flumine præſtantiſsimus, Philoſophus clarus, Orator facundus, Theologus ſacrarum legum exercitatiſsimus, Catechiſmum Chriſtianum perfecit, Sacra quatuor Euangelia &

Epiſtolas

Epistolas Pauli Commentarijs illustrauit doctissimis. Martyrologium, siue, de sanctis Ecclesiæ scripsit.

MARTINVS Eysengrein Stutgardianus, ex Ducatu Vuirtenbergensi. Sueuus, Patruelis meus, sacræ Theologiæ Licentiatus, Gymnasij quondam Vienensis in Austria Professor, & Canonicus Ecclesiæ Cathedralis, nunc sacræ paginæ Ordinarius Ingolstadiensis, S. Mauritij Pastor, Prothonotarius Apostolicus, Præpositus Mosburgensis, & Illustrissimi Bauariæ Ducis Consiliarius, vir & moribus & doctrina spectatus, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator insignis, Iureconsultus celebris, nec vlli Theologorum secundus, multa scripturarum monimenta perfecit, quæ in dies expectamus: extat eius Concio egregia & catholica, cur tam multi hodie ad Lutheranismum deficiant, vtq; hisce calamitosis temporibus aduersus Satanæ tentationes quibus is fidem oppugnat resistendum sit. Alia rursus de reliquijs & inuocatione Sanctorũ, tum infinitæ plures, quas hîc commemorare supersedeo, de his suo tempore.

IOANNES Albertus Vuimpinensis, Artium & Philosophiæ Doctor, atque Professor Academiæ Ingolstadiensis, vir tam diuina quàm profana literatura doctissimus, Philosophus celebris, Orator omnibus ijs artibus quæ sunt libero homine dignæ perpolitus, hæreticæ prauitatis athleta pro CHRISTI fide inuictus, in nostræ religionis defensionem contra Spangenbergium multa præclara scripsit volumina. Orationem quoque funebrem in vij. Exequiarum Staphyli die habitam absoluit.

RODOLPHVS Clenck, Saxo, I. V. Licentiatus & sacræ Theologiæ Doctor atque Professor, vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex & Orator eloquens, Philosophus subtilis, nec vlli in omni literatura secundus, Orationem funebrem in D. Staphyli tricesimo habitam scripsit.

GEORGIVS Theander, sacræ Theologiæ Doctor & Professor Ordinarius, Scholæ Ingolstadiensis Procancellarius, vir cùm eloquentia tum multarum rerum peritia & mira-

bili ingenij flumine præſtantiſsimus, Philoſophus grauis, Rhetor inſignis, Hiſtoricus celebris, Orationem funebrem in exequijs Staphyli habitam ſcripſit.

MICHAEL Buochinger, Presbyter in Alſatia, vir eximius, qui ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam diſciplinas adiecerat, Catholicæ religionis contra hæreſes propugnator inuictus, Lutheri opiniones redarguit, & ſapientiſsimus aduerſus eaſdem de imaginibus, ieiunio & Euchariſtia doctè ſcripſit. Eccleſiaſticam Hiſtoriam à S. Petro ad noſtra tempora deduxit.

ALPHONSVS Piſanus, Societatis IESV, ſacræ Theologiæ Doctor, atque Profeſſor Gymnaſij Ingolſtadienſis, vir & moribus & doctrina inſignis, omni literatura ſua ætate nobiliſsimus, Philoſophus & Orator celebris, De origine Sacræ ſcripturæ & fidei Catholicæ theſes ſcripſit.

CASPARVS Fraſius, Aiſchenſis, Bauarus, Vveihenſtephanus Benedictinæ profeſsionis extra Friſingam Abbas, vir eximius, pius & liberalis, cùm ad diuinæ cognitionem doctrinæ profanas etiam diſciplinas adiecerat, Alphabetum planè Catholicon authoritatibus Patrum & Sacræ ſcripturæ communitum poſteritatis memoriæ conſecrauit.

THOMAS, ſi rectè memini, de Plantis, Churienſis Epiſcopus, Philoſophus inſignis, Theologus celeberrimus, multarumq; literarum & rerum peritus, vir planè diuinus, Epiſtolam ſatis prolixam ad me ſcripſit, qua licet ignoto mihi, ſuæ Eccleſiæ calamitates ob hæreticorum hoſtiles incurſiones frequentes & continuas ita purè, ita doctè, & ſyncerè tradit, vt legenti vix lachrymas excuſſerim, in qua facilè aduerti plures ſanctos Martyres adhuc noſtra tempeſtate in illo exulceratiſsimo ſeculo extare, qui pro CHRISTO athletæ inuicti martyrij palmam ſubeant.

GERARDVS Mathiſius Gelrenſis, ſacræ

Theologiæ

Theologiæ Doctor atque Professor, Gymnasij Montani Regens in Agrippinatum vrbe Colonia, Metropolitanæ Coloniensis Ecclesiæ Presbyter Canonicus, Præceptor meus inprimis colendus, vir arcana & mystica diuinarum scripturarum interpretatione altus atque sublimis, fidei propagator acerrimus, Philosophus celeberrimus, dicendi artifex & Orator facundus, nobilissimas aliquot lucubrationes doctè prorsus & accuratè conscriptas edidit, in quibus eloquentiæ sapientiam ita coniunxit, vt nemo etiam eruditus non cum aliquo fructu earum se lectionem hausisse fateatur, Epistolam Pauli ad Romanos Commentarijs illustrauit doctissimis.

MATHIAS Bredebachius, Kerstensis, veræ pietatis propugnator inuictus, cùm alijs rebus vir bonus, tũ quoduis adire discrimen propter CHRISTVM promptus & paratus, editis libris De dissidijs Ecclesiæ componendis, aduersus calumnias Henrici Pilei scripsit. Euangelium Matthæi & lxix. Psalmum Commentarijs illustrauit doctissimis.

IOANNES Ægolphus à Knöringen, Herbipolensis & Augustanæ Ecclesiarum Canonicus, elegantis copiosæq; elocutionis vir, Septem Psalmos Pœnitentiales & alia quædam in Germanicam transtulit linguam.

GEORGIVS Lautherius, Artium & Philosophiæ Doctor, Germanus, patria Ehingensis, Sueuus, Pastor quondam D. MARIÆ virginis Ingolstadij, nunc Illustrissimi Bauariæ Ducis Concionator aulicus, vir eruditione & eloquentia clarus, Philosophus atque Orator perfectissimus, Theologus Sacrarum legum exercitatissimus, De Sacrificio Missæ volumen absoluit.

GERARDVS Hutingius Dötinchemensis, sacræ Theologiæ Licentiatus, Gymnasij Montani in Agrippinatum vrbe Colonia Professer, Præceptor meus inprimis colendus, doctrina & eloquẽtia vir clarus, Orator facũdus, Poëta grauis, Vitas quatuor Euangelistarum, parabolas & miracula ex Diuo Hiero-

 nymo,

nymo, Theophylacto, & reliquis Orthodoxis patribus collectas descripsit. Orationē D. Basilij Magni aduersus ebriosos carmine elegiaco è Græco traduxit. Synopsin sacrosancti vtriusque instrumenti. Querimoniam rursus Ecclesiæ ad CHRISTVM pro liberatione à malis absoluit.

IOANNES Nasus, Ordinis Minorum, Conuentus Ingolstadiensis, vir doctissimus, atque in monastica disciplina exercitatus, Orator facundus, nec vlli Theologorum secundus, Catechismum Catholicum cùm pium tum doctum posteritati consecrauit.

LAVRENTIVS Surius, Ordinis Carthusiensium, Domus S. Barbaræ in Agrippinatum vrbe Colonia, vir & moribus & doctrina insignis, omni literatura sua ætate nobilissimus, Philosophus & Orator celebris, Theologus sacrarū legum exercitatissimus, Michaëlis Sidonij Episcopi Merseburgensis Cōciones xv. de Missæ sacrificio in Latinam linguam ex Germanico transtulit. Similiter Florentij Bataui institutionis vitæ Christianæ libros quinque. Sermonem Martini Eysengrinei cur tam multi ad Lutheranismum hodie deficiant, & alia plura in linguam transtulit latinam.

STANISLAVS Hosius, Polonus, perpetuus administrator Episcopatus Varmiensis, S. R. E. Presbyter Cardinalis, Legatus ad Concilium Tridentinum, vir & moribus & doctrina clarus, Philosophus & Rhetor insignis, Contra Coniugium Sacerdotum volumen. Aliud confessionis Polonicæ, de expresso verbo DEI. De calice. Ad Ducem præterea Brunsuicensem Epistolam, vt mittat ad Concilium legatos. Aduersus Brentium quoque prudenter & doctè scripsit.


CONRADVS Kling, Ordinis Minorum, Conuentus Erfordiensis, vir disertissimus, doctrina & pietatis studio insignis, Theologus profundus, vt literas Sacras illustraret, locos communes de omnium ferè dogmatum in Christiana religione

gione controuersijs, vnâ cum hæreticorum argumentis, & eorundem Catholicis resolutionibus. Catechismum Catholicum. De securitate conscientiæ scripsit, & plura alia ingenij sui monimenta Ecclesiæ DEI profutura reliquit.

ERTMANVS Crispus, vir cùm confessionis gloria tum vita & conuersatione plurimum insignis, Philosophus clarus, nec vlli Theologorum secundus, in Schifftlariensi in Bauaris Monasterio, concionem piam & orthodoxam de incarnatione Domini nostri IESV CHRISTI scripsit.

ALBERTVS Sperling, nobilis Pruthenus, vir & moribus & doctrina clarus, De maiestate CHRISTI volumen Ingolstadij absoluit.

FINIS.



INDEX DOCTORVM ECCLESIÆ, QVORVM NOMINA IN HOC LIBRO CONTINENTVR.

Ii *S. Alber-*

Antonius

Fran-

Golsche-

Guiliel-

I.

Matthæus


S. *Quadra-*

S. Teophi-

T.



FINIS.



Giovan Villani
Sabelicus in libri ab orbe condito
Volaterrano
Giovio
Supplem.to de croniche

Ex Sanzeis
Surius
Munsterus,
Melanthon
Carion
Egesippo
bibliotheca gesnerj,
Achilles de temporib.

[illegible]
[illegible]